





# BREVIARIUM

## AD USUM CONGREGATIONIS SANCTI MAURI,

ORDINIS SANCTI BENEDICTI, IN GALLIA.

---

***PARS ÆSTIVA.***






PARISIIS,

Ex Typographiâ PH.-D. PIERRES, Christianissimi Regis Proto-Typographi, nec-non Congregationis S. Mauri Typographi Ordinarii.

M. DCC. LXXXVII.

*Cum Privilegio Regis, & Licentiâ Superiorum.*





# MONITUM.

NEMO nescit quantùm, à primoribus Ecclesiæ sæculis, studii ac laboris impenderint ii quibus divini cultûs instituendi munus obtigit, ut sua constaret publicis Officiis puritas & integritas; eaque accederet etiam concinnitas, quæ ad Cleri, plebisque pietatem alendam, erudiendam fidem, fervorem accendendum maximè conduceret.

Hujusce spiritûs, in Ecclesiâ perenniter vigentis, nunquàm immemor Congregatio sancti Mauri, exquisitiorem Officiorum formam jamdudùm expetebat. Hujus votis & mandato, nunc tandem Breviarium novum ad normam San-Vitoniani expressum sistimus.

Quænam verò peculiaria huic nostro inserta sint, paucis est indicandum.

Amica, inquit S. Cyprianus, & familiaris est oratio Deum de suo rogare. Ideo ex puris Scripturarum fontibus hausta omnia cùm sint à nobis, uberrimo fluxu decurrunt: verùm ut ab illâ, quam Tertullianus appellat *Cædem Scripturarum*, abstineremus, cautio maxima fuit ne in prolixis Responsoriis, alia præter eam adhiberetur utriusque Testamenti connexio, quæ spontè sese obtulit, neque per vim fuit accersenda, aut à genuino sensu, verborum quasi lusibus, detorquenda.

Lectiones è sacris Codicibus excerptas ita disposuimus, ut per anni curriculum ad Vigilias, præcipuæ Librorum veteris Testamenti partes legantur, & Novum ferè integrum, in tertio præsertim Nocturno, ex Regulæ præscripto, servatâ communi huc-usque, in Officiis, Librorum annuâ partitione, recitetur. Quâ in re id solum proprium nobis ac singulare est, quòd intra Quadragesimam Librum *Job* legendum statuis

Regulæ sancti Patris nostri Benedicti consonat omnis omnino, ut par est, Officii nostri Ratio; Triduo tamen ante Pascha excepto, in quo à pervetustâ Romanæ Ecclesiæ, Congregationis nostræ, totiusque Benedictini Ordinis consuetudine recedere nefas duximus.

Ne plus æquo cresceret festivitatum numerus, non alia visum est admittere duodecim Lectionum officia, præter ea quæ sancivit usu suo Catholica Ecclesia, aut universus Ordo noster, salvis nihilominùs Monasterii cujusque consuetudinibus ac juribus. Cætera tribus Lectionibus, inter utrumque Nocturnum, sub ritu *simplici* continentur.

*Psalmorum* distributionem, ut melius Gallicanis usibus consentiret, magis ad Regulæ mentem quàm ad ipsius apices exegimus. Quòd si cui molestiam facessat hæc novitas, is norit ipsum S. Legislatorem nostrum, quod hâc in re constituit, aliorum voluntati sub unâ quam explicat, conditione permittere. « Si » cui, inquit, hæc distributio displicuerit, ordinet si » melius judicaverit, dum omnimodis attendatur, » ut omni hebdomadâ, ex integro numero centum » quinquaginta Psalmorum psallatur, & Dominico » die semper à capite repetatur ad vigilias. » *Regulæ Cap. XVIII.*

Eâdem usi licentiâ, in feriis æstivalibus, pro unâ quam præscribit, brevemque Lectionem appellat S. P. Benedictus, tres suffecimus ad nocturnum officium. Id postulabat scilicet grandis illa documentorum series quibus inspergere Breviarium sategimus; quâ in re duces et magistros habuimus viros in Scripturis sacris, doctrinâ Patrum & Ecclesiæ Traditione versatissimos, Liturgiæ San-Vitonianæ Editores, quorum ad exemplar seriem illam contexuimus. Hanc illam primi non modico labore viam aperuerunt, neque exspectationem infausto exitu decepit experientia.

De consensione Breviarii nostri cum Regulâ S.

Patris nostri Benedicti plura dicere supervacaneum est. Ad cætera pergamus.

Suus cuilibet hebdomadæ diei finis, pietati quasi scopus adsignatur divinorum operum varietate distinctus, eo modo quo *in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum.*

Dominica dies, Deo creanti & Christo resurgenti dicata, Legis insuper novæ promulgationem recolens, uberem divinæ bonitati gratias agendi, & cum Servatore exsultandi materiem suppeditat. Feria secunda, Dei erga homines immensam celebrat caritatem, quâ præsertim nos per Unigenitum suum filios adoptare dignatus est, naturæque divinæ consortes efficere. Feriâ tertiâ, Proximi dilectio præceptis informatur & exemplis Christi, qui pacis & concordiæ magister, docet nos unitatem, & *habitare facit unanimes in domo.* Feriâ quartâ, Spes in Christum roboratur, per quem accessum habemus ad Deum. Feriâ quintâ, Fides quam alit verus ille quo pascimur vitæ panis, celebratur. Feriâ sextâ, Christus in cruce Patri pro salute generis humani, quia ipse voluit, oblatus, invictæ patientiæ documentum præbet, & immensæ caritatis argumentum, ipse noster in laboribus & ærumnis adjutor fortissimus. Sabbato, ad promerendam mercedem bonis operibus adsertam excitamur; & sic perpetuam Ecclesiæ, Christi sponsæ, pacem in cœlis, oraturi semper, & perennes acturi gratias Deo, hìc quoque orare, & gratias agere nunquam desinentes, suspiriis & desideriis prælibamus.

Atque hæc quidem de Breviarii quasi materiâ & formâ. Nunc præcipua quæ in eo tractantur doctrinæ Christianæ capita, servato, quo diversis anni Temporibus, Solemnitatibus & Festivitatibus, ordine sunt accommodata, summatim recolamus: quâ in re facem nobis præbebit San-Vitonianum Specimen copiosâ brevitate multa complexum.

## ÆSTIVÆ PARTIS ARGUMENTUM.

Ecclesia Christi sponsa, de Sponsi latere nata, per universum orbem, Apostolorum prædicatione disseminata, ab ipsis, eorumque discipulis, fidem accepit in Deum Unum & Trinum; Patrem, Filium ejus Jesum Christum, & Spiritum Sanctum. Augustissimum Sanctissimæ, adorandæ, & incomprehensæ TRINITATIS Mysterium, in cujus nomine renati sumus & baptizati, caput est fidei nostræ, totius *Christianæ* Religionis fundamentum, fons à quo singula derivantur salutis nostræ subsidia. Deus unus est; Unus in substantiâ, Trinus in personis. Solus immensus, solus habens immortalitatem, & lucem inhabitans inaccessibilem. Solus bonus, summumque totius creaturæ bonum. Nihil hunc latet, *qui scrutatur renes & corda*, & *oculi ejus in pauperem respiciunt*. Solus potens, suâ providentiâ creat, regit, temperat, & disponit omnia, attingens à fine usque ad finem fortiter & suaviter. Potentiæ, justitiæ, & bonitatis abyssus est; ex eo, per eum, in eo sunt omnia, *in quo & nos vivimus, movemur, & sumus* (1).

Ecclesiam non solùm Spiritu suo regit, sed & carne propriâ pascit bonus Pastor Christus Jesus, *cujus deliciæ esse cum filiis hominum*. Ut ostenderet divitias & potentiam regni sui, & *memoriam faceret mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus*, Sacro-Sanctum, pridie quàm pateretur, Eucharistiæ Sacramentum, ineffabile scilicet in suos usque in finem dilectionis mysterium, instituit. Cœleste prorsus convivium, ad quod solus invitatur, qui *innocens manibus & mundo corde*, veste indutus est nuptiali! Solis etenim sunt SANCTA SANCTIS. Soli

(1) Dom. *SS. Trinitatis*, & *Trid. seq.*

ergo ad mensam Agni convivalem accedant, in quibus vivida fides enitet, sincerus ardet amor Dei, & non ficta operatur in Proximum caritas; qui peccato, sibique mortui, soli Deo vivunt, soloque Christi cum summâ humilitate recipiendi, inardescunt desiderio.

Ad Verba Consecrantis, quæ panem & vinum, Christi corpus & sanguinem efficiunt, quis non obstupescit! At ipse Christus est, qui etiamnum tam grande patrat miraculum; ipse est qui dona proposita sanctificat & transmutat. Totius substantiæ panis & vini, in corpus & sanguinem Christi conversio, quæ & apprimè Transubstantiatio dicitur; vera & realis præsentia corporis & sanguinis Christi in SS. Eucharistiâ, tot sunt inconcussa fidei Catholicæ dogmata, quæ vel à primis Ecclesiæ temporibus, apud antiquissimos avitæ doctrinæ Patres, custodes & vindices consignata, non dubiæ etiam Præscriptionis laude sibi meritò gloriantur (2).

Mirabilis admodum Eucharistici Sacrificii institutor Christus ipse, solus sine maculâ *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, plenitudo veritatis, veritatem adimplens præfiguratæ imaginis, sese Deo Patri obtulit, *sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*, Pontifex idem & victima. Cujus rei Sacramentum, ait S. Augustinus, quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium; quæ, cùm ipsius capitis corpus sit, se ipsam per ipsum discit offerre. Ideò, ut tanti amoris, in Ecclesiâ memoriale perpetuum, & simul continuum præsentiæ suæ, & futuræ gloriæ fidelibus suis visibile pignus relinqueret, sui Sacerdotii homines quosdam effecit participes. Paveant illi ad sanctuarium, considerantes tremendam illam, atque Angelis ipsis formidandam, dignitatem. Nec quisquam sublimem hunc sibi sumat honorem, non doctus, non eruditus, non pius, non omnibus ingenii & animi, ut par

---

(2) Solemn. SS. Eucharistiæ. Dieb. & Dom. intra Octav.

*tis*, pollens virtutibus: sed qui has omnes in se ipso requisitas dotes, divinæ gratiæ munere complectens, insuper VOCATUR A DEO TAMQUAM AARON (3).

Sacerdotii Christiani dignitas in eo præsertim consistit, quòd scilicet Sacerdotes veram habeant potestatem Missæ sacrificii peragendi. Illud porro Missæ sacrificium in oblatione incruentâ Christi, sub panis & vini speciebus verè & realiter præsentis: *non* autem in solâ & nudâ mortis Christi commemoratione ac repræsentatione constituitur. Inde non differt, quantùm ad essentiam, Missæ sacrificium, à crucis sacrificio. Idem est qui offert Pontifex, eadem quæ offertur hostia, solâ offerendi ratione diversâ (4).

*Labia Sacerdotis custodient scientiam*, ait ipsemet Deus. Indoctis non secus ac pravis sanctuarii claudit aditum; & qui scientiam repellunt, eos etiam à Sacerdotio suo repellit. Sciant igitur Sacerdotes legem Domini. Ritus sacros non negligant; Liturgiæ Ecclesiasticæ veteris codices diligenter evolvant. His mirificè Catholicum Eucharistiæ dogma adseritur; quin & rituum primævorum inornatæ majestas maximam in divina mysteria reverentiam instillat. Majorum denique fervidi æmulatores, qualis semper fuerit in contrectandis Sacris religio, in celebrandis Sanctorum Festis pietas, sapientes edisçant (5).

*Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam, & consolationem Scripturarum, spem habeamus.* Inde, Thesaurus Christianorum, Scriptura sacra meritò nuncupatur. *Utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum in justitiâ, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Quantùm huic incumbere debent Sacerdotes Domini, quorum munus est hujusce, & sibi ipsis

(3) Octav. SS. Eucharistiæ IV. Temp. Septembr.

(4) Fer. VI. & Sabb. post Octav. SS. Eucharistiæ.

(5) Hebd. III. post Pent.

depromere, & aliis expandere divitias; Christianorum mentes cœlesti veritatis pabulo enutrire; quos delusit fallax novitatis amor, ad rectum fidei tramitem revocare; demum, *exhortari in doctrinâ sanâ, & eos qui contradicunt, arguere*! Sacros igitur libros, attentâ mentis consideratione meditentur: ex iis si quidem purissimis fontibus emanat, quidquid, ad fulciendam fidem, caritatem promovendam, mores componendos, vitia profliganda, virtutem dignoscendam, pertinet. *Hoc prius scientes*, ait Princeps Apostolorum, *quòd omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit*: Nemo, suæ fidens prudentiæ, aut proprio lumine superbiens, contra SS. Patrum unanimem consensum, audeat Scripturam interpretari: indubiis autem innixus regulis, & à Patre luminum, intelligentiam, animum docilem, & rectam intentionem, quibus indiget, indeficienter postulans, sacra reseret arcana, quorum clavis aurea, Caritas, Humilitas, Vita, nomine & re, Christiana (6).

Hìc jam Moralis disciplinæ limen attigimus. Prævius sit sermo 1° de omnipotentiâ Dei, quo renitente nihil fit, & sine quo non fit aliquid, nisi vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo, fieri velit Omnipotens; 2° de libertate hominis lapsi, quæ summâ cum Dei potestate, præscientiâ, gratuito & necessario divinæ gratiæ auxilio, probè concinit. Ea verò libertas nulla major in nobis existit, quàm cum *liberati à peccato*, & à pravis cupiditatum nexibus expediti, *servi facti sumus justitiæ, quâ libertate Christus nos liberavit* (7).

Altis mentibus insita est justi & injusti notio. Ab ipsâ Creatoris manu in intimis animi penetralibus exarata, in totum, neque oblivione sopiri, neque disputationum nebulis deleri, neque ignorantiæ tenebris obliterari potest. Summa in moribus insti-

(6) Heb. IV & V. post Pent. | (7) Hebd. VI. post Pent.

mendis regula, LEX ÆTERNA, quæ, ait S. Augustinus, est ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans; seu suprema & incommutabilis Veritas, in quâ cernitur & tenetur summum bonum (8).

In hac vitâ, virtus non est posita nisi in eo ut diligamus quod diligendum, & hoc, Deus est; Virtutis nostræ principium & finis, quin & virtus nostra, ipse Christus. Nulla ergo, sine fide in ipsum, virtus vera. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, & sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Hæc illa fides, gratuitum Dei donum est; Initium, ait S. Augustinus, unde bona opera incipiunt; inde S. Doctoris sententiam evolvens S. Prosper: Tota, inquit, infidelium vita peccatum est, & falsa virtus, etiam in optimis moribus; eo sane quòd homines, absque fide, non ad eum finem opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. Credere autem non sufficit: *Dæmones enim credunt, & contremiscunt; & fides sine operibus mortua est*; debet igitur & per dilectionem operari (9). *Quid enim proderit si fidem quis dicat se habere? numquid poterit fides salvare eum?*

Germana fidei & spei cognatio est. Quod illa futurum credit, hæc sibi futurum sperat. Utraque perficitur caritate. Ex fidei enim confessione, ait S. Augustinus, nascitur spes bona fidelium, quam caritas sancta comitatur. Amantes, in desiderio gemimus, qui promissis nondum potimur: sed, quia verax & fidelis est qui promisit, in spe gaudemus, & per ipsum, quæ repromisit, obtinenda speramus, quoniam ipse est spes nostra. Hæc tota exspe-

(8) Heb. VII. post Pent.
(9) Hebd. VIII. & IX. post Pent.

stationis Christianæ ratio; hæc vera hominis à se deficientis, Domino suo autem innitentis, eique soli confidentis, fiducia (10).

Orandi verò animus & affectus unde oritur, nisi ex æternorum desiderio, ex intimo miseriæ & egestatis nostræ sensu? Hìc exules, atque propriæ infirmitatis nostræ conscii, inter irruentes undique acerrimos hostes, ac tot tentationum procellas, unum salutis præsidium, perfugiumque habemus, Orationem scilicet, quæ divinum nobis patrocinium conciliet.

Oratio, hominis est ad Deum locutio. In Fide, Spe, & Caritate, indefessis gemitibus, non in multiloquio orandum est, sed in templo mentis nostræ, ut, in templo Dei, orationis nostræ clamor exaudiri mereatur. Cuivis orationi præcellit Oratio Dominica; Regula postulandi, ait S. Augustinus, à cœlesti Jurisperito data; & ea continet quiquid rectè, & congruenter, orari potest; & ad eam cæteræ aliæ reducuntur orationes. Hanc, quàm disertè & luculenter S. Cyprianus commentatur, in percelebri, neque sat unquam laudando, quem de illâ conscripsit, Libro; quem legimus, inquit S. Augustinus, & ostendimus quemadmodùm docuerit omnia, quæ ad mores nostros pertinent, quibus rectè vivimus, à Patre nostro qui in cœlis est, exposcenda; ne, de libero præsumentes Arbitrio, à divinâ Gratiâ decidamus (11).

Hinc Orationis dotes consectariæ potissimùm recensentur. Quid scilicet, quomodò, & quo ordine sit postulandum à Deo, qui non voce solâ, sed jejuniis, lacrymis, eleemosynis, & omni deprecationis genere, placandus est, & exorandus (12).

---

(10) Hebd. X. post Pent.
(11) Hebd. XI. & XII. post Pentecosten.
(12) Hebd. XIII. post Pentecosten.

In divinis laudibus, primum sibi locum vindicant sacra illa Cantica quæ, à Psalterio quo modulabatur illa David, Psalmi nuncupantur. Hos autem, quamvis ad Vulgatam editionem ex Ecclesiæ usu edere, ut par est, curaverimus : perpaucos tamen versiculos in hâc editione subobscuros, verbis tantisper immutatis, ad clariorem Textûs genuini sensum revocare (salvâ *Tridentino* Concilio debitâ reverentiâ) agressus est Vir de Re-Christianâ optimè meritus, Laurentius-Stephanus Rondet, sacrarum Litterarum Interpres. Atque ut de his neminem lateret, neque nos quisquam sacrilegæ sacri contextûs adulterationis criminaretur, ex *his* saltem præcipuos parenthesi consignavit.

Insuper, hanc vocem DOMINUS, litteris, ut Typographi vocant, capitalibus, in Psalterii decursu excudendam curavit idem, quoties præcelsum, ineffabile, & incommutabile IEOVAH Dei omnipotentis Hebræum nomen sermo Latinus exprimit.

Cæterùm, ad Psalmos quod pertinet, in his Christum & Ecclesiam prædicari, loqui & orare, quisquis non animadverterit, germanum Psalmistæ sensum se neutiquam assecutum esse pro certo habeat : vix enim in iis, nisi utriusque & verba & voces invenias. Ergo ad Christi & Ecclesiæ mentem, psalmodiam nos instituere par est, si aliquem ex eâ fructum percipere velimus.

Nec quemquam moveant maledicta & diræ quibus nimicos suos onerat Psalmista Regius; vaticinia namque sunt, ut fert primigenius ipse textus, ista malorum Christi & Ecclesiæ hostibus impendentium, ob inflexam eorum pervicaciam; non vota, à quibus quàm alienus fuerit vir mansuetissimus sexcentis in locis declarat, & totius vitæ series testatur. Insidiantem vitæ suæ regem Saülem quo pacto ultus est! Quibus gemitibus ac suspiriis mortem ejus prosecutus est! Semei conviciantem sibi, dum fugeret à facie Absalonis filii sui, quâ lenitate sustinuit! Ipse

Abſalone non modo thronum ſuum appetente, ſed necem quoque ipſi moliente, quàm pio ac demiſſo animo ſe geſſit! Cum ipſo coactus prælium committere, quàm ſollicitè duces ſuos, ut incolumem ſervarent eum, exoravit! Cæſum victor cùm audiſſet, quàm paterno affectu deflevit! Davidis itaque Pſalmos, ex ſenſibus quos in vitâ expreſſit interpretemur, ac ritè intellectos, eâdem cum ipſo mente decantemus.

Hanc denique ſibi regulam imprimis conſtitutam eſſe ſciant qui divino incumbunt operi, ut animus voci conſonet, vociſque ſenſui ſeſe accommodet. Si orat Pſalmus, orate; ſi gemit, gemite; ſi gratulatur, gaudete; ſi ſperat, ſperate; & ſi timet, timete. Qui pſallunt, pſallant ſpiritu, pſallant & mente, nunquam immemores quales eſſe ſe deceat coram Deo & Angelis ejus; ſolos enim *rectos decet collaudatio*. Cogitent aut malè & non ſine pecato, aut, quod idem eſt, non orari omnino, niſi mens voci conſentiat; à publicâ privatam orationem, & ab utrâque Dominicæ legis inveſtigationem non disjungant, ut in eâ indeſinenter ſit ipſorum voluntas. Sedulò perpendant, neque coli Deum niſi amando, neque amari, niſi à quibus colitur: vera enim adoratio in ſpiritu & veritate conſiſtit. In ſpiritu quidem adorant, qui cordis affectu plus gemitibus quàm ſermonibus, plus fletu quàm affatu Deum colunt; in veritate, qui exteriore Cultu & piis operibus, veracem mentis affectum teſtantur & exprimunt. Perfecta igitur adoratio eſt, cùm animâ ſimul & corpore, divino obſequio mancipamur.

Sic in æternum, nos olim fuiſſe miſeros neſcituri, ut ait S. Auguſtinus, in laudem & gloriam Gratiæ Chriſti, cujus ſanguine liberati ſumus, miſericordias Domini cantabimus, cùm perficietur in nobis Propheticum illud: *Vacate & videte quoniam ipſe eſt Deus*. Tunc enim benedictione & ſanctificatione refecti in æternâ Civitate videbimus, quoniam ipſe eſt Deus, quo pleni erimus, quando ipſe erit omnia in omnibus. Videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus; ecce quod erit in fine ſine fine.

# VARIANTES

## *Quæ in Psalmis passim occurrunt.*

| | VULGAT. | HEBR. |
|---|---|---|
| Psalm. VII. ℣. 10. | consumetur ... | consummetur. |
| Psalm. IX. ℣. 12. | sanguinem. | sanguinum. |
| Psalm. XII. ℣. 1. | avertis. | avertes. |
| Psalm. XXI. ℣. 1. | (respice in me) | *in Hebr. desunt.* |
| Psalm. XXVIII. ℣. 1. | *filios arietum* | *in Hebr. desunt.* |
| *Psalm.* XLV. ℣. 9. | dii terræ vehementer elevati sunt. | ...Dei sunt fortes terræ; vehementer elevatus est. |
| Psalm. LI. ℣. 4. | lingua dolosa. | linguam dolosam. |
| Psalm. LIV. | (℣. 5. 6. & 7.) | *in Hebr. desunt.* |
| Psalm. LXI. ℣. 4. | cucurri in siti. | placuerunt sibi in mendacio. |
| Psalm. LXVII. ℣. 15. | medios cleros. | medios focos, evolando exibitis inde. *Seu* lapides focarios. *Hieron.* terminos. *Vatabl.* tripodas. *Houbig.* colles. |
| *Id.* ℣. 32. | congregatio. | congregationem. |
| Ps. LXXVII. ℣. 17. | nube diei. | nube per diem. |
| Ps. LXXXVIII. ℣. 80. | vespere. | vesperæ. |
| Ps. CXXXI. ℣. 16. | viduam. | victum. |

Quædam Typographicis curis, rara admodum, effugêre menda in punctis & apicibus: sed studiosâ indagine compertum est, in his & aliis, vix ullum inesse, quod scalpello expungere, aut calamo, Lector benevolus, emendare non possit.

*In sequenti Calendario appositum est tempus quo quisque Sanctus obiit :* an. *significat Anno :* c. an. *circa Annum ;* s. *seculo ;* c. init. s. *circa initium seculi :* c. fin. s. *circa finem seculi. Quibus nihil apponitur, tempus eorum mortis planè incertum.*

| *Cyclus Epact.* | *Litt. Dom.* | *Dies Mensis.* | | JANUARIUS. |
|---|---|---|---|---|
| * | A | Kal. | 1 | CIRCUMCISIO DOMINI ; Impositio nominis JESU, & Octava Natalis ejus. *solemnitas ij. classis.* |
| xxix | b | iv | 2 | Fulgentii, Ruspensis Episcopi, (è die 1) an. 533. *commemoratio.* |
| xxviij | c | iij | 3 | |
| xxvij | d | Prid. | 4 | |
| xxvj | e | Non. | 5 | Vigilia Epiphaniæ. |
| 25. xxv | f | viij | 6 | EPIPHANIA DOMINI. *solemnitas j. classis.* |
| xxiv | g | vij | 7 | De Octava, Epiphaniæ. |
| xxiij | A | vj | 8 | De Octava, Epiphaniæ. |
| xxij | b | v | 9 | De Octava, Epiphaniæ. |
| xxj | c | iv | 10 | De Octava, Epiphaniæ. |
| xx | d | iij | 11 | De Octava, Epiphaniæ. |
| xix | e | Prid. | 12 | De Octava, Epiphaniæ. |
| xviij | f | Idib. | 13 | OCTAVA EPIPHANIÆ ET BAPTISMUS DOMINI. *solemnitas iij. classis.* |
| xvij | g | xix | 14 | Hilarii Pictav. Ep. & Eccl. Doct. (è 13) an. 368. *festum simplex, & commemoratio* S. Felicis Nolani Presbyteri. 265. |
| xvj | A | xviij | 15 | MAURI ABBATIS Congregationis Patroni. (c. an. 584.) *Festivitas j. classis.* |
| xv | b | xvij | 16 | |
| xiv | c | xvj | 17 | Antonii Abbatis, an. 356. *unà simul commemoratio.* S. Pauli, primi Heremitæ. an. 341. *festum simplex.* |
| xiij | d | xv | 18 | Pontificatus, seu Cathedra S. Petri, Apostoli. *festum simplex.* |

| Cyclus Epact. | Litt. Dom | Dies Mensis. | | JANUARIUS. |
|---|---|---|---|---|
| | | | | *Prima Septuagesima.* |
| xij | e | xiv | 19 | |
| xj | f | xiij | 20 | Sebastiani Mart. c. an. 304. *commemoratio*, & S. Fabiani Papæ & Mart. an. 250. *commemoratio.* |
| x | g | xij | 21 | Agnetis Virg. & Mart. an. 301. vel 304. *festum simplex.* |
| ix | A | xj | 22 | Vincentii Diaconi & Mart. c. an. 304. *festum simplex.* |
| viij | b | x | 23 | |
| vij | c | ix | 24 | Timothei, Ephes. Episcopi & Martyris, an. 97. *commemoratio.* |
| vj | d | viij | 25 | CONVERSIO S. PAULI APOSTOLI. an. 30. vel 31. aliis 34. vel 35. *festivitas iij. classis.* |
| v | e | vij | 26 | Polycarpi, Smyrn. Ep. & Mart. c. an. 166. *festum simplex.* |
| iv | f | vj | 27 | Paulæ, Viduæ Romanæ. (è 26.) an. 404. *commemoratio.* |
| iij | g | v | 28 | |
| ij | A | iv | 29 | Francisci Salesii, Genevensis Ep. (è 28. Decemb.) an. 1622. *commemoratio.* |
| j | b | iij | 30 | |
| * | c | Prid. | 31 | |

## FEBRUARIUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxix | d | Kal. | 1 | Ignatii Antiocheni Ep. & Mart. an. 107. *festum simplex.* |
| xxviij | e | iv | 2 | PRÆSENTATIO DOMINI ET PURIFICATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, *solemnitas ij. classis.* |
| xxvij | f | iij | 3 | S. JOSEPH, Sponsi B. M. Virg. (è 19. Mart.) 1. sec. *festivitas iij. classis. Commemoratio* S. Blasii, Ep. & Mart. an. 316. |

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | FEBRUARIUS. |
|---|---|---|---|---|
| 25.xxvj. | g | Prid. | 4 | *Prima dies Cinerum.* |
| xxv.xxiv | A | Non. | 5 | Agathæ, Virg. & Mart. an. 251. *commemoratio.* |
| xxiij | b | viij | 6 | |
| xxij | c | vij | 7 | |
| xxj | d | vj | 8 | |
| xx | e | v | 9 | Apolloniæ, Alexandr. Virg. & Martyris, an. 249. *commem.* |
| xix | f | iv | 10 | SCHOLASTICÆ, VIRGINIS. c. an. 543. *festiv. ij. class. (si in Quadragesima, anticipatur.)* |
| xviij | g | iij | 11 | |
| xvij | A | Prid. | 12 | |
| xvj | b | Idib. | 13 | |
| xv | c | xvj | 14 | |
| xiv | d | xv | 15 | |
| xiij | e | xiv | 16 | |
| xij | f | xiij | 17 | |
| xj | g | xij | 18 | Symeonis Jerosolym. Ep. & M. an. 106 vel 107. *fest. simpl. (si in Quadragesima, commem.)* |
| x | A | xj | 19 | |
| ix | b | x | 20 | |
| viij | c | ix | 21 | *Ultima Septuagesima.* |
| vij | d | viij | 22 | |
| vj | e | vij | 23 | |
| * | * | * | * | *Dies intercalaris addendus in anno Bissextili.* |
| v | f | vj | 24 | MATTHIÆ APOSTOLI. 1. s. *festiv. iij. class. (si in Quadragesima, anticipatur.)* |
| iv | g | v | 25 | |
| iij | A | iv | 26 | |
| ij | b | iij | 27 | |
| j | c | Prid. | 28 | |

In anno Bissextili Februarius est dierum 29, & festum Sancti Matthiæ celebratur 25 Februarii, & bis dicitur *Sexto Calendas*, id est 24 & 25; & Littera Dominicalis, quæ assumpta fuit in mense Januario, mutatur in præcedentem: ut si in Januario Littera Dominicalis fuit *A*, mutatur in præcedentem quæ est *g*; & sic de aliis.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | MARTIUS. |
|---|---|---|---|---|
| | | | | **MARTIUS.** |
| * | d | Kal. | 1 | |
| xxix | e | vj | 2 | |
| xxviij | f | v | 3 | |
| xxvij | g | iv | 4 | |
| xxvj | A | iij | 5 | |
| xxv | b | Prid. | 6 | |
| xxiv | c | Non. | 7 | Revocati, Saturnini, Felicitatis, Perpetuæ & soc. Mart. c. an. 204. *festum simplex.* ( *si in Quadragesima , commemoratio.* ) |
| xxiij | d | viij | 8 | *Primum Novilunium Paschale.* |
| xxij | e | vij | 9 | Quadraginta Mart. an. 320. *festum simplex.* ( *si in Quadragesima , commemoratio.* ) |
| xxj | f | vj | 10 | |
| xx | g | v | 11 | |
| xix | A | iv | 12 | |
| xviij | b | iij | 13 | |
| xvij | c | Prid. | 14 | |
| xvj | d | Idib. | 15 | |
| xv | e | xvij | 16 | |
| xiv | f | xvj | 17 | Gertrudis, Virg. an. 659. *commemoratio.* |
| xiij | g | xv | 18 | |
| xij | A | xiv | 19 | |
| xj | b | xiij | 20 | |
| x | c | xij | 21 | S. PATRIS N. BENEDICTI ABBATIS. an. 543. *festivitas j. classis.* |
| ix | d | xj | 22 | *Primum Pascha.* |
| viij | e | x | 23 | |
| vij | f | ix | 24 | |
| vj | g | viij | 25 | ANNUNTIATIO ET INCARNATIO DOMINI , *solemnitas ij. classis.* |

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | MARTIUS. |
|---|---|---|---|---|
| v | A | vij | 26 | |
| iv | b | vj | 27 | |
| iij | c | v | 28 | |
| ij | d | iv | 29 | |
| j | e | iij | 30 | |
| * | f | Prid. | 31 | |

# APRILIS.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xxix | g | Kal. | 1 | |
| xxviij | A | iv | 2 | Francisci de Paula, Ord. Minim. Instit. an. 1507. *commem.* |
| xxvij | b | iij | 3 | |
| 25. xxvj | c | Prid. | 4 | |
| xxv. xxiv | d | Non. | 5 | *Ultimum Novilunium Paschale.* |
| xxiij | e | viij | 6 | |
| xxij | f | vij | 7 | |
| xxj | g | vj | 8 | |
| xx | A | v | 9 | |
| xix | b | iv | 10 | |
| xviij | c | iij | 11 | Leonis Magni, Papæ & Eccles. Doct. an. 461. *festum simplex.* (*Si in Quadragesima, commemoratio.*) |
| xvij | d | Prid. | 12 | |
| xvj | e | Idib. | 13 | |
| xv | f | xviij | 14 | |
| xiv | g | xvij | 15 | |
| xiij | A | xvj | 16 | |
| xij | b | xv | 17 | |
| xj | c | xiv | 18 | |
| x | d | xiij | 19 | |
| ix | e | xij | 20 | |
| viij | f | xj | 21 | Anselmi, Cantuar. Ep. an. 1109. *commemoratio.* |
| vij | g | x | 22 | |
| vj | A | ix | 23 | Georgii, Mart. c. an. 303. *commemoratio.* |
| v | b | viij | 24 | |
| iv | c | vij | 25 | MARCI, EVANGELISTÆ. an. 68. *festivitas iij. classis.* |

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | APRILIS. |
|---|---|---|---|---|
| | | | | *Ultimum Pascha.* |
| iij | d | vj | 26 | |
| ij | e | v | 27 | |
| j | f | iv | 28 | |
| * | g | iij | 29 | Roberti Molism. Abb. Ordin. Cistercii Instit. anno 1111. 21. Mart. *commemoratio.* |
| xxix | A | Prid. | 30 | |

| | | | | MAIUS. |
|---|---|---|---|---|
| xxviij | b | Kal. | 1 | PHILIPPI ET JACOBI ALPHÆI, Apost. 1. s. *festivitas iij. classis.* |
| xxvij | c | vj | 2 | Athanasii Alexandr. Ep. & Eccl. Doct. an. 373. *festum simplex.* |
| xxvj | d | v | 3 | INVENTIO S. CRUCIS. a. 326. *solemnitas iij. classis.* |
| 25. xxv | e | iv | 4 | |
| xxiv | f | iij | 5 | |
| xxiij | g | Prid. | 6 | Joannis ante Portam-Latinam. an. 95. *commemoratio.* |
| xxij | A | Non. | 7 | |
| xxj | b | viij | 8 | |
| xx | c | vij | 9 | Gregorii Nazianzeni, Constantinop. Ep. & Ecclef. Doct. c. an. 391. *festum simplex.* |
| xix | d | vj | 10 | |
| xviij | e | v | 11 | *Prima Pentecoste.* |
| xvij | f | iv | 12 | |
| xvj | g | iij | 13 | |
| xv | A | Prid. | 14 | Pachomii, Abbatis. c. an. 349. *commemoratio.* |
| xiv | b | Idib. | 15 | |
| xiij | c | xvij | 16 | |
| xij | d | xvj | 17 | |
| xj | e | xv | 18 | |

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis | | MAIUS. |
|---|---|---|---|---|
| x | f | xiv | 19 | |
| ix | g | xiij | 20 | |
| viij | A | xij | 21 | Mariæ Ægyptiæ, Pœnitentis (è 9. Apr.) v. vel vj. s. *commemoratio.* |
| vij | b | xj | 22 | |
| vj | c | x | 23 | |
| v | d | ix | 24 | |
| iv | e | viij | 25 | |
| iij | f | vij | 26 | Augustini, Cant. Episc. Angl. Apost. an. 607. *commem.* |
| ij | g | vj | 27 | |
| j | A | v | 28 | |
| * | b | iv | 29 | |
| xxix | c | iij | 30 | Felicis, Papæ & Mart. an. 274. *commemoratio.* |
| xxviij | d | Prid. | 31 | |
| | | | | Dominicâ primâ post Pentecosten, fit officium de SS. TRINITATE. *solemnitas ij. classis.* |

## JUNIUS.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis | | JUNIUS. |
|---|---|---|---|---|
| xxvij | e | Kal. | 1 | |
| 25. xxvj | f | iv | 2 | Pothini, Lugdun. Ep. Blandinæ Virgin. & soc. Mart. an. 177. *festum. simpl.* & *commemoratio* SS. Marcellini Presbyt. & Petri Exorcistæ, Martyrum, an. 304. |
| xxv. xxiv | g | iij | 3 | |
| xxiij | A | Prid. | 4 | |
| xxij | b | Non. | 5 | Bonifacii, Mogunt. Ep. & Mart. Germaniæ Apost. anno 754. *commemoratio.* |
| xxj | c | viij | 6 | Norberti, Magdeburg. Ep. Ord. Præmonstrat. Instit. an. 1134. *commemoratio.* |
| xx | d | vij | 7 | |
| xix | e | vj | 8 | |

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | JUNIUS. |
|---|---|---|---|---|
| xviij | f | v | 9 | |
| xvij | g | iv | 10 | |
| xvj | A | iij | 11 | BARNABÆ APOSTOLI. I. C. *festivitas iij. classis.* |
| xv | b | Prid. | 12 | |
| xiv | c | Idib. | 13 | *Ultima Pentecoste.* |
| xiij | d | xviij | 14 | |
| xij | e | xvij | 15 | |
| xj | f | xvj | 16 | |
| x | g | xv | 17 | |
| ix | A | xiv | 18 | |
| viij | b | xiij | 19 | Gervasii & Protasii, Martyrum. j. vel ij. f. *commemoratio.* |
| vij | c | xij | 20 | |
| vj | d | xj | 21 | Basilii magni, Cæsar. in Cappadocia Ep. & Eccl. Doct. (è 14) obiit 1. Jan. 379. *festum simplex.* |
| v | e | x | 22 | Paulini Nolani Ep. an. 431. *commemoratio.* |
| iv | f | ix | 23 | Vigilia. |
| iij | g | viij | 24 | NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ, *festivitas j. classis.* |
| ij | A | vij | 25 | Prosperi Aquitani. c. an. 456. *commemoratio.* |
| j | b | vj | 26 | Joannis & Pauli, Mart. c. an. 362. *commemoratio.* |
| * | c | v | 27 | |
| xxix | d | iv | 28 | Irenæi, Lugdun. Episc. & soc. Mart. c. an. 202. *festum simplex*, & *commemoratio* Vigiliæ SS. Apostolorum. |
| xxviij | e | iij | 29 | PETRI ET PAULI APOST. an. 67. *festivitas j. classis.* |
| xxvij | f | Prid. | 30 | Commemoratio S. Pauli Apostoli. *festum simplex.* |

# JULIUS.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | |
|---|---|---|---|---|
| xxvj | g | Kal. | 1 | |
| 25.xxv | A | vj | 2 | VISITATIO B. MARIÆ VIRGINIS. *solemnitas iij. classis.* |
| xxiv | b | v | 3 | |
| xxiij | c | iv | 4 | |
| xxij | d | iij | 5 | |
| xxj | e | Prid. | 6 | |
| xx | f | Non. | 7 | |
| xix | g | viij | 8 | |
| xviij | A | vij | 9 | |
| xvij | b | vj | 10 | Septem Fratrum, & S. Felicitatis matris eorum, Mart. c. an. 150. *commemoratio.* |
| xvj | c | v | 11 | TRANSLATIO S. PATRIS N. BENEDICTI. c. an. 633. *festivitas j. classis.* |
| xv | d | iv | 12 | De Octava, S. Benedicti, *commemoratio.* |
| xiv | e | iij | 13 | De Octava, S. Benedicti, *commemoratio.* |
| xiij | f | Prid. | 14 | De Octava, S. Benedicti, *commemoratio.* |
| xij | g | Idib. | 15 | De Octava, S. Benedicti, *commemoratio.* |
| xj | A | xvij | 16 | De Octava, S. Benedicti, *commemoratio.* |
| x | b | xvj | 17 | De Octava, S. Benedicti, *commemoratio.* |
| ix | c | xv | 18 | OMNIUM SANCTORUM MONACHORUM Ordinis S. Benedicti, *festivitas ij. classis.* |
| viij | d | xiv | 19 | Thomæ Aquinatis, Presb. & Doct. (è 7. Mart.) an. 1274. *Canonizatio* 18. an. 1333. *festum simplex.* |
| vij | e | xiij | 20 | |
| vj | f | xij | 21 | |
| v | g | xj | 22 | MARIÆ MAGDALENES. 1. ſ. *festivitas iij. classis.* |
| iv | A | x | 23 | |
| iij | b | ix | 24 | |
| ij | c | viij | 25 | JACOBI ZEBEDÆI APOSTOLI. 1. ſec. *festivitas iij. classis.* |
| j | d | vij | 26 | Joachim & Annæ, Parentum B. Mariæ Virg. *commemoratio.* |

| *Cyclus Epact.* | *Litt. Dom.* | *Dies Mensis.* | | JULIUS. |
|---|---|---|---|---|
| * | c | vj | 27 | |
| xxix | f | v | 28 | |
| xxviij | g | iv | 29 | Lazari à Christo suscitati, & SS. Mariæ & Marthæ, sororum ejus, Christi hospitum. *festum simplex.* |
| xxvij | A | iij | 30 | |
| 25.xxvj | b | Prid. | 31 | Germani, Autissiodorensis Ep. an. 448. vel 444. *unà comm.* S. Lupi Trecensis Ep. a. 478. *festum simplex.* |

## AUGUSTUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxv.xxiv | c | Kal. | 1 | Petri ad Vincula. an. 44. & 63. *festum simpl. & commem.* SS. Septem Fratrum Machabæorum Martyrum a. 167. *ante Christum.* |
| xxiij | d | iv | 2 | |
| xxij | e | iij | 3 | |
| xxj | f | Prid. | 4 | Dominici Presbit. Ord. Prædicat. Instit. an. 1211. *commem.* |
| xx | g | Non. | 5 | |
| xix | A | viij | 6 | TRANSFIGURATIO DOMINI. an. 28. vel 32. *solemnitas iij. classis. commem.* S. Xysti Papæ & Mart. an. 258. |
| xviij | b | vij | 7 | |
| xvij | c | vj | 8 | |
| xvj | d | v | 9 | |
| xv | e | iv | 10 | LAURENTII DIACONI ET MART. an. 258. *festivitas iij. classis.* |
| xiv | f | iij | 11 | |
| xiij | g | Prid. | 12 | Martyrum Africanorum Typasian. pro consubstantialitate Verbi. v. sec. *festum simplex.* |
| xij | A | Idib. | 13 | |
| xj | b | xix | 14 | Vigilia. |

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | AUGUSTUS. |
|---|---|---|---|---|
| x | c | xviiij | 15 | ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRGINIS. 1. f. *festiv. j. classis.* |
| ix | d | xvij | 16 | De Octava, } Assumptionis, *commemoratio.* |
| viij | e | xvj | 17 | De Octava, } Assumptionis, *commemoratio.* |
| vij | f | xv | 18 | De Octava, } Assumptionis, *commemoratio.* |
| vj | g | xiv | 19 | De Octava, } Assumptionis, *commemoratio.* |
| v | A | xiij | 20 | Bernardi Claravall. Abb. & Eccl. Doct. an. 1152. *festum simplex. comm.* Octavæ. |
| iv | b | xij | 21 | De Octava, *commemoratio.* |
| iij | c | xj | 22 | Octava Assumptionis B. Mariæ. *festum simplex.* |
| ij | d | x | 23 | |
| j | e | ix | 24 | BARTHOLOMÆI APOSTOLI. 1. f. *festivitas iij. classis.* |
| * | f | viij | 25 | LUDOVICI IX. FRANCIÆ REG. an. 1270. *festivitas iij. classis.* |
| xxix | g | vij | 26 | |
| xxviij | A | vj | 27 | Cæsarii, Arelat. Ep. & Eccles. Doct. an. 542. *commemoratio.* |
| xxvij | b | v | 28 | AUGUSTINI Hipp. Ep. & Eccl. Doct. an. 430. *festiv. iij. clas. und simul comm.* S. Monicæ viduæ, matris ejus. an. 387. |
| xxvj | c | iv | 29 | Decollatio S. Joannis Baptistæ. an. 28. vel 32. *festum simplex.* |
| 25. xxv | d | iij | 30 | |
| xxiv | e | Prid. | 31 | |
| | | | | **SEPTEMBER.** |
| xxiij | f | Kal. | 1 | |
| xxij | g | iv | 2 | |
| xxj | A | iij | 3 | GREGORII MAGNI, Papæ & Eccl. Doct. (è 12 Mart.) an. 604. *ordinatio hâc die :* an. 590. *festivitas iij. classis.* |
| xx | b | Prid. | 4 | |
| xix | c | Non. | 5 | |
| xviij | d | viij | 6 | |
| xvij | e | vij | 7 | |
| xvj | f | vj | 8 | NATIVITAS B. MARIÆ VIRG. *festivitas ij. classis.* |

| *Cyclus Epact.* | *Litt. Dom.* | *Dies Mensis.* | | SEPTEMBER. |
|---|---|---|---|---|
| xv | g | v | 9 | |
| xiv | A | iv | 10 | |
| xiij | b | iij | 11 | |
| xij | c | Prid. | 12 | |
| xj | d | Idib. | 13 | |
| x | e | xviij | 14 | EXALTATIO S. CRUCIS, imperante Heraclio. an. 628. *solemnitas iij. classis. commemoratio* S. Cornelii Pap. & Mart. (è 14) an. 252. vel 311. *Post Exaltationem S. Crucis, Feriis iv. vj. & Sabbato fiunt jejunia* IV. TEMPORUM. *Officium annotatur in Proprio Sanctorum.* |
| ix | f | xvij | 15 | |
| viij | g | xvj | 16 | Euphemiæ, Calcedon. Virg. & Mart. an. 307. *commemoratio.* |
| vij | A | xv | 17 | |
| vj | b | xiv | 18 | Joannis Chrysostomi, Constantinop. Ep. & Eccles. Doct. (è 14) an. 407. *festum simpl.* |
| v | c | xiij | 19 | Cypriani, Carthag. Ep. & Mart. (è 14) an. 258. *festum simplex.* |
| iv | d | xij | 20 | |
| iij | e | xj | 21 | MATTHÆI APOST. ET EVANG. 1. f. *festivitas iij. classis.* |
| ij | f | x | 22 | Mauritii & soc. Mart. an. 286. *commemoratio.* |
| j | g | ix | 23 | S. Theclæ, Virginis & primæ Martyris. c. fin. j. f. *commemoratio.* |
| * | A | viij | 24 | Lini. c. an. 78. & Cleti c. an. 78. Pap. & Mart. *commemoratio.* |
| xxix | b | vij | 25 | |
| xxviij | c | vj | 26 | |
| xxvij | d | v | 27 | Cosmæ & Damiani frat. Mart. c. init. iv. f. *commemoratio.* |
| 25.xxvj | e | iv | 28 | |
| xxv.xxiv | f | iij | 29 | MICHAELIS ARCHANGELI, & omnium SS. Angelorum. *festivitas iij. classis.* |
| xxiij | g | Prid. | 30 | Hieronymi, Presb. & Ecclesiæ Doct. an. 420. *festum simplex.* |

# OCTOBER.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | OCTOBER. |
|---|---|---|---|---|
| xxij | A | Kal. | 1 | Remigii, Remensis Episcopi (è 13 Jan.) c. an. 533. *Translatio hâc die.* c. an. 585. *festum simplex.* |
| xxj | b | vj | 2 | |
| xx | c | v | 3 | |
| xix | d | iv | 4 | Francisci Assisinatis, Ord. Fratr. Min. Instit. an. 1226. *commemoratio.* |
| xviij | e | iij | 5 | Placidi et sociorum Mart. vj. s. *festivitas iij. classis.* |
| xvij | f | Prid. | 6 | Brunonis, Ord. Carthus. Instit. an. 1101. *festum simplex.* |
| xvj | g | Non. | 7 | |
| xv | A | viij | 8 | |
| xiv | b | vij | 9 | Dionysii Paris. Ep. Rustici & Eleutherii Mart. an. 275 vel 286 *festum simplex.* |
| xiij | c | vj | 10 | Cyrilli Jerosolymitani Ep. (è 18 Mart.) an. 386. *festum simplex.* |
| xij | d | v | 11 | |
| xj | e | iv | 12 | |
| x | f | iij | 13 | |
| ix | g | Prid. | 14 | |
| viij | A | Idib. | 15 | Theresiæ Virg. Ord. Carmelit. Instaurat. an. 1582. *commemoratio.* |
| vij | b | xvij | 16 | |
| vj | c | xvj | 17 | |
| v | d | xv | 18 | Lucæ Evangelistæ. 1. s. *festivitas iij. classis.* |
| iv | e | xiv | 19 | |
| iij | f | xiij | 20 | |
| ij | g | xij | 21 | Hilarionis, Abbatis. an. 371. vel 372. *commemoratio.* |
| j | A | xj | 22 | |
| * | b | x | 23 | Justini Philosophi & Martyris. an. 167. *festum simplex.* |

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis | | OCTOBER. |
|---|---|---|---|---|
| xxix | c | ix | 24 | |
| xxviij | d | viij | 25 | |
| xxvij | e | vij | 26 | |
| xxvj | f | vj | 27 | |
| 25. xxv | g | v | 28 | SIMONIS ET JUDÆ, APOST. 1. s. *festivitas iij. classis. com.* S. Anastasiæ Feminæ & Mart. c. a. 305. |
| xxiv | A | iv | 29 | |
| xxiij | b | iij | 30 | |
| xxij | c | Prid. | 31 | Vigilia Omnium Sanctorum. |
| | | | | **NOVEMBER.** |
| xxj | d | Kal. | 1 | OMNIUM SANCTORUM. instit. c. an. 835. *festivitas j. classis.* |
| xx | e | iv | 2 | COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM instit. an. 998. *festivitas ij. classis.* |
| xix | f | iij | 3 | De Octava, *commemoratio.* |
| xviij | g | Prid. | 4 | Caroli Boromæi, Mediolan. Ep. an. 1584. *festum simpl. commemoratio* Octavæ. |
| xvij | A | Non. | 5 | De Octava, } Omnium SS. *commemoratio.* |
| xvj | b | viij | 6 | De Octava, } Omnium SS. *commemoratio.* |
| xv | c | vij | 7 | De Octava, } Omnium SS. *commemoratio.* |
| xiv | d | vj | 8 | SS. RELIQUIARUM, inst. a. 1194. & Oct. omn. Sanct. *festivitas ij. classis.* |
| xiij | e | v | 9 | VITONI, VIRDUNENSIS Ep. c. an. 525. *festivitas iij. classis.* |
| xij | f | iv | 10 | |
| xj | g | iij | 11 | MARTINI TURONENSIS Ep. an. 397. *festivitas iij. class.* |
| x | A | Prid. | 12 | |
| ix | b | Idib. | 13 | Martini, Papæ & Mart. an. 655. *commemoratio.* |
| viij | c | xviij | 14 | |
| vij | d | xvij | 15 | |
| vj | e | xvj | 16 | |
| v | f | xv | 17 | Gregorii Thaumaturgi, Neocæ- |

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | NOVEMBER. |
|---|---|---|---|---|
| | | | | sareensis Ep. an. 270. *commemoratio.* |
| iv | g | xiv | 18 | Odonis Cluniac. Abb. x s. *commemoratio.* |
| iij | A | xiij | 19 | |
| ij | b | xij | 20 | |
| j | c | xj | 21 | Præsentatio B. Mariæ Virginis. *festum simplex ; commem.* S. Columbani Abbatis. an 592. |
| * | d | x | 22 | Cæciliæ Virg. & Mart. ij. vel iij. s. *commemoratio.* |
| *.xxix | e | ix | 23 | Clementis, Papæ & Mart. an. 100 *festum simplex.* |
| xxviij | f | viij | 24 | Chrysogoni, Martyris. an. 304. *commemoratio.* |
| xxvij | g | vij | 25 | Catharinæ, Virg. & Martyris. iv s. *commemoratio.* |
| xxv.xxvj | A | vj | 26 | Genovefæ Virg. an. 512. (ob. 3. Jan.) *Hodie Parisiis, Memoria Miraculi Ardentium.* an. 1131. *festum simplex.* |
| xxv.xxiv | b | v | 27 | *Prima sedes Adventus.* |
| xxiij | c | iv | 28 | |
| xxij | d | iij | 29 | |
| xxj | e | Prid. | 30 | ANDREÆ APOSTOLI. 1. sec. *festivitas iij. classis.* |

| | | | | DECEMBER. |
|---|---|---|---|---|
| xx | f | Kal. | 1 | |
| xix | g | iv | 2 | |
| xviij | A | iij | 3 | *Ultima sedes Adventûs.* |
| xvij | b | Prid. | 4 | |
| xvj | c | Non. | 5 | |
| xv | d | viij | 6 | Nicolai, Myrensis Episc. iv. sec. *festum simplex.* |
| xiv | e | vij | 7 | Ambrosii, Mediol. Ep. & Eccl. Doct. an. 397. *festum simpl.* |
| xiij | f | vj | 8 | CONCEPTIO B. MARIÆ VIRGINIS. *festivitas iij. classis.* |

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | Dies Mensis. | | DECEMBER. |
|---|---|---|---|---|
| xii | g | v | 9 | |
| xj | A | iv | 10 | |
| x | b | iij | 11 | |
| ix | c | Prid. | 12 | |
| viij | d | Idib. | 13 | Luciæ, Virg. & Mart. an. 304. vel 305. *commemoratio.* |
| vij | e | xix | 14 | |
| vj | f | xviij | 15 | |
| v | g | xvij | 16 | |
| iv | A | xvj | 17 | |
| iij | b | xv | 18 | |
| ij | c | xiv | 19 | |
| j | d | xiij | 20 | |
| * | e | xij | 21 | THOMÆ, Apost. 1. f. *festivitas iij. classis.* |
| xxix | f | xj | 22 | |
| xxviij | g | x | 23 | |
| xxvij | A | ix | 24 | Vigilia Natalis Domini. |
| xxvj | b | viij | 25 | NATALE DOMINI N. JESU-CHRISTI. *solemnitas j. classis.* |
| xxv | c | vij | 26 | STEPHANI DIACONI ET PROTOMART. an. 33. *festivitas ij. classis. commemoratio* Oct. Natalis Domini. |
| xxiv | d | vj | 27 | JOANNIS, APOSTOLI & EV. an. 100. vel 104. *festivitas iij. classis. commemoratio* Oct. Natalis Domini. |
| xxiij | e | v | 28 | INNOCENTIUM MARTYRUM. 1. f. *festivitas iij. classis. commem.* Oct. Nat. Domini. |
| xxij | f | iv | 29 | De Octava } Natalis Domini. |
| xxj | g | iij | 30 | De Octava } Natalis Domini. |
| *19. xx | A | Prid. | 31 | De Octava } Natalis Domini. *Commemoratio* S. Sylvestri, Papæ, an. 335. |

* Hæc Epacta 19 nunquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum numero aureo xix.

# QUO MORE AC MODO

## RECITANDÆ SINT.

## HORÆ CANONICÆ.

*Santolius Victorinus.*

I. ALTERNO Jeſſæa choro quæ carmina pſallis,
Æternas Gens nata Deo perſolvere laudes,
Hîc tibi ſervandas, quas ſcripſimus, accipe leges:
Qui formavit, habet, quibus audiat, & Deus aures.

2. Maxima debetur ſanctis reverentia Templis.
Hæc habitat Deus, & præſenti numine replet.
Hujus ad aſpectum, puræ ſine corpore mentes
Terrificæ trepidant crebra inter fulgura lucis.

3. Si mordet te noxa gravis, vel limine in ipſo
Ingreſſum paveas, ſceleris neque conſcius intres
Templa auguſta: ſacris Deus eſt penetralibus ultor.
Si quid at impuri contraxeris, elue labem
Confeſtim. Mundis oculis ſint omnia munda.
Pectoris ille tui ſacros habitare receſſus
Plus ambit, quàm juncta ſimul certo ordine ſaxa.
Sic loca ſancta, metu poſito, luſtratus adibis;
Et ſolves divina tuam in præconia linguam.

4. Ne venias, placare cupis ſi numinis iram,
Elatus caput, & bene-compto bellulus ore,
Promiſſoque capillitio, nec odoribus unctus,
Allicias ſpectantûm oculos; nec veſte placebis,
*Moribus* at puris: decus eſt ſibi ſplendida Virtus.

5. Ne rerum species violent sacraria mentis,
Captivos sensus durâ sub lege tenebis;
Acceptoque jugo, dociles tua jussa capessent,
Mentis ad imperium. MULTÙM est componere sensus.

6. In toto sedeat depicta modestia vultu;
Ut qui te videat, propiori numine tactus,
Sentiat esse Deum præsentem, & pronus adoret.

7. Ne nimiùm celeri confundas omnia cantu;
Sed paveas ad verba, ipso dictata TONANTE.
Plena Deo sunt verba. Moras servare memento:
Cantanti prodest, seu pectora fessa subinde
Respirent, seu mens, quod profert lingua, revolvat;
Et sacras voces arcano ruminet ore.
Ad numeros hilarem lentus ne protrahe cantum.
Nec te adeò recreet vocis sonus: intima rerum
Scrutare, & sensus tecum meditare profundos.

8. Non incompositis lædas clamoribus aures;
Nec leviore sono molles imitabere cantus,
Fractaque femineo supplantans verba palato,
Captabis plausum indecorem: nam talia spernit
Vota, precesque Deus. Puri suspiria cordis,
Et tacitos gemitus attentis auribus audit.

9. At neque cantanti rictus distorqueat ora
Vastior, & rupto se vox de gutture trudat,
Unde solent resonare immani templa boatu.
Non clamore Deus placatur. Ut audiat alto
E solio, nil vocis eget. Vos surda, Prophetæ,
Numina necquicquam valido pulmone vocastis.

10. Concordes animos monſtret concordia vocum,
Par ſtudium. Variâ pro conditione locorum
Ritè obſerventur, quæ ſunt præſcripta quotannis.

11. Abſint bella, procul ſacris diſcordia Templis;
Pro ritu ancipiti ſi quid peccatur, in ipſo
Advertens culpam momento corrige, dum res
Et tempus tulerit. Si qui tibi fortè reſiſtant,
Nec valeas ſolus te contra opponere turbæ:
Errorem permitte. Deo gratiſſimus error!
Mox cujus fuerat melior ſententia, prudens,
Paulatim cum ſe malè-nata remiſerit ira,
Errorem oſtendas, & erit tibi gloria major.

12. Ne tibi longa nimis ſubeant faſtidia cantûs,
Te ſuper aſtra feras; propriis mens libera vinclis
Audeat interdum ſedes percurrere ſanctas,
Cœleſteſque intrare domos. Te junge ſupernis
Obvius agminibus, Superiſque admixtus, adora
Quem cœli prona aula canit, quem terque Beatum,
Terque canit Sanctum. Sic tu novus ætheris hoſpes,
Laudare incipies quem mox laudabis in ævum.
Pectus inundabit quàm pura & ſancta voluptas!

Felix, ſi nondum exutus mortalia membra,
Has retinens leges, patrio præludis Olympo!

---

*Cùm Domino pſalles, pſallendo tu tria ſerves:*
*Sit tibi cor ſurſum, bene profer, reſpice ſenſum.*
*Auſcultando cane, ſimul incipe, deſine plane.*
*Sit mens ſublimis, pes junctus, viſus in imis.*



PRIVATÆ

# PRIVATÆ ORATIONES

## ANTE ET POST OFFICIUM DIVINUM.

*Ante recitationem Officii Divini.*

DOMINE, doce nos oráre: Ipse Spíritus póstulet pro nobis gemítibus inenarrabílibus. Miserére meî, Deus, & exaudi oratiónem meam. *Luc.* 11. *Rom.* 8. *Ps.* 4.

*Ante Officium Nocturnum, & post Completorium, secretò dicitur:*

PAter noster, qui es in cœlis, sanctificétur nomen tuum; advéniat regnum tuum; fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terrâ; panem nostrum quotidiánum da nobis hódie, & dimitte nobis débita nostra, sicut & nos dimíttimus debitóribus nostris: & ne nos indúcas in tentatiónem; sed líbera nos à malo. Amen.

AVe, María, grátiâ plena; Dóminus tecum; benedicta tu in muliéribus, & benedictus fructus ventris tui, JESUS. Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc, & in horâ mortis nostræ. Amen.

CRedo in Deum, Patrem omnipotentem, creatórem cœli & terræ: Et in Jesum Christum Fílium ejus únicum, Dóminum nostrum, qui conceptus est de Spíritu Sancto, natus ex Maríâ Vírgine; passus sub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus, & sepultus: descendit ad ínferos; tértiâ die resurrexit à mórtuis: ascendit ad cœlos; sedet ad déxteram Dei Patris omnipotentis: inde ventúrus est judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatórum, carnis resurrectiónem, vitam æternam. Amen.

*Post recitationem Officii Divini.*

SEdenti in throno, & Agno, benedíctio, & honor, & glória, & potestas in sécula seculórum. Amen.

Soli sapienti Deo, per Jesum Christum, honor & glória in sécula seculórum. Amen.

Veni, Dómine Jesu. Amen. *Apoc.* 5. *Rom.* 16. *Apoc.* 22.

### ORATIO.

*Ex antiquis Psalteriis, apud Thomasium.*

SAlva nos, omnípotens Deus; & per mérita Dómini nostri Jesu Christi, & intercessiónem sanctæ Dei Genitrícis Maríæ, omniumque Sanctórum, esto nobis propítius & clemens; concessâque véniâ peccatórum, da nobis, deinceps velle, posse, & perficere quæ tibi placent, & nobis expédiunt. Da nobis in tribulatióne solátium, in persecutióne auxílium, in omni tentatióne virtútem. Da nobis de prætéritis véniam, de præséntibus quoque malis emendatiónem; atque de futúris largíri nobis dignáre custódiam: Per eumdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

### EXCERPTA

*Ex Regulis generalibus Officii Divini.*

I. Oratio Dominica *Pater*, & Salutatio Angelica *Ave*, secretò dicuntur ante Horas quaslibet, excepto Completorio. Si Hora jungatur Officio præcedenti, tunc ante ejus initium minime dicuntur. In fine unius cujusque Horæ, nisi aliud Officium sequatur, dicto *Benedicamus*, etiam secretò dicuntur: *Pater &c.* & *Ave &c.* Salutatio Angelica sola dicitur ante Offic. votiv. B. Mariæ Virg.

II. Quando, ad Horas & Vesperas, Laudum resumuntur Antiphonæ, quarta semper prætermittitur.

III. Cujuslibet Officii Collecta, semper ad Laudes præfigitur.

IV. Crucicul † & asterisc * tum in Lection. brev. tum in Collectis, cantûs modulationem indicant.



# ABSOLUTIONES ET BENEDICTIONES

*Dicendæ in Officio nocturno ante Lectiones.*

DOMINICA
*Ut in Psalterio.*

IN SOLEMNITATIBUS DOMINI.

*IN I. NOCTURNO.*

ABSOLUTIO. *II. Mach.* 1.

ADapériat Deus cor vestrum in lege suâ, & in præceptis suis, & fáciat pacem. ℟. Amen.

*Benedictio.* Deus Dómini nostri Jesu Christi, Pater glóriæ, det nobis spíritum sapiéntiæ. *Ephes.* 1. ℟. Amen.

*IN II. NOCTURNO.*

ABSOLUTIO. *Ephes.* 4.

OCcurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. ℟. Amen.

*Benedictio.* Fílius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. *I. Joan.* 5. ℟. Amen.

*IN III. NOCTURNO.*

ABSOLUTIO. *Rom.* 15.

DEus spei répleat vos omni gáudio, & pace in credendo; ut abundétis in spe & virtúte Spíritûs sancti. ℟. Amen.

*Benedictio.* Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joan.* 16. ℟. Amen.

IN FESTIVITATIBUS SANCTORUM.

*XII. Lectionum.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Absolutio.* Adapériat, &c.

*Benedictio.* Deus Dómini, &c. *ut suprà in Solemnitatibus.*

*IN II. NOCTURNO.*

ABSOLUTIO. *Act.* 26.

APeriantur óculi nostri, ut convertámur à ténebris ad lucem, & accipiámus sortem inter Sanctos. ℟. Amen.

*Benedictio.* Deus det nobis illumináto óculos cordis, ut sciámus quæ sit spes vocatiónis ejus in Sanctis. *Ephes.* 1. ℟. Amen.

*IN III. NOCTURNO.*

*Absolutio.* Deus spei, &c.

*Benedictio.* Spíritus veritátis, &c. *ut suprà in Solemnitatibus.*

IN FESTIS SANCTORUM *Simplicibus, ut in diebus privatis III. Lectionum.*

ABSOLUTIO, *semper ut in Psalterio, Feriâ occurrente.*

1. *Benedictio.* Pater Dómini nostri Jesu Christi benedícat nos in omni benedictióne spirituáli. *Ephes.* 1. ℟. Amen.

2. *Benedictio.* Dignos nos fáciat Deus in partem sortis Sanctórum, qui erípuit nos de potestáte tenebrárum. *Coloss.* 1. ℟. Amen.

IN OFFICIO FERIALI, *Et etiam in diebus intra Octavas solemnitatum Domini.*

ABSOLUTIO, *ut in Psalterio, Feriâ occurrente.*

1. *Benedictio.* Sciámus supereminentem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Ephes.* 3. ℟. Amen.

2. *Benedictio.* Deus apériat nobis óstium sermónis, ad loquendum mystérium Christi. *Coloss.* 4. ℟. Amen.

*In Officio votivo beatæ Mariæ Virginis, Absolutiones annotantur.*

*In Officiis Defunctorum, non habentur Absolutiones neque Benedictiones.*



PSALTERIUM



# PSALTERIUM

## PER HEBDOMADAM

## *DISPOSITUM,*

## AD MENTEM PATRIS NOSTRI

## SANCTI BENEDICTI.

### *PARS ÆSTIVA.*

DOMINICA.

*Christus resurgens: Dei & divinæ legis laus & amor.*

AD OFFICIUM NOCT.

*Dictis secretò* Pater, Ave, Credo; *altâ voce dicitur:*

DEus, † in adjutórium meũ intende: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps. 69.*

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui Sancto:

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, * & in sécula seculórum. Amen. Allelúia.

*Dein ter*, Dómine, † lábia mea apéries, * & os meum annuntiábit laudem tuam. *Ps. 50.*

*Asteriscus hic * denotat mediationem & pausam.*

PSALMUS 3.

*Christus resurgens; salus in se sperantium Deus.*

1. DOMINE, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insurgunt adversùm me.

2. Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

3. Tu autem, DÓMINE, susceptor meus es, * glória

mea, & exaltans caput meũ.
4. Voce meâ ad Dóminum clamávi; * & exaudívit me de monte sancto suo.
5. Ego dormivi, & soporátus sum, & exurrexi; * quia Dóminus suscépit me.
6. Non timébo míllia pópuli circumdantis me: * exurge, Dómine; salvum me fac, Deus meus.
7. Quóniam tu percussísti omnes adversantes mihi sine causâ: * dentes peccatórum contrivisti.
8. Dómini est salus; * & super pópulum tuum benedíctio tua.
Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui Sancto:
Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, * & in sécula seculórum. Amen.
*Hi duo Versus dicuntur in fine omnium Psalmorum, Divisionum & Canticorum, nisi aliter notetur.*
*Sic inchoantur Vigiliæ in singulis noctibus.*
*In Psalm.* Veníte, *Antiphona, seu Invitatorium:*
Deum, qui regenerávit nos in spem vivam per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis; * Veníte, adorémus. *I. Petri*, I.
*Repetitur.*

PSALMUS 94.
*Invitatio ad Dei laudes, adorationem & obsequium.*

Veníte, exultémus Dómino; jubilémus Deo salutári nostro: præoccupémus fáciem ejus in confessióne, & in psalmis jubilémus ei.
*Repetitur:* Deum, qui regenerávit nos in spem vivam per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis; * Veníte, adorémus.
Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus super omnes deos; quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipse cónspicit; quóniam ipsíus est mare, & ipse fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus.
*Repetitur:* Veníte, adorémus.
Veníte, adorémus, (*hìc prociditur.*) & procidámus ante Deum; plorémus coram Dómino qui fecit nos: quia ipse est Dóminus Deus noster; nos autem pópulus manûs ejus, & oves páscuæ ejus.
*Repetitur:* Deum, qui regenerávit nos in spem vivam per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis; * Veníte, adorémus.
Hódiè si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne, secundùm diem tentatiónis in deserto, ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt me, & vidérunt ópera mea.
*Repetitur:* Veníte, adorémus.
Quadraginta annis offensus fui generatióni huic;

& dixi : Semper hi errant corde : ipsi verò non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in irâ meâ : Si introíbunt in réquiem meã.

*Repetitur :* Deum, qui regenerávit nos in spem vivam per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis ; * Veníte, adorémus.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui Sancto : sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sécula seculórum. Amen.

*Repetitur :* Veníte, adorémus.

*Antiphona.* Deum, qui regenerávit nos in spem vivam per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis ; * Veníte, adorémus.

*Prædictus modus dicendi Psalmum* Veníte, *cum suâ Antiphonâ, cuilibet Tempori vel Festo propriâ, servatur in quocumque Officio.*

HYMNUS. C.

DIe diérum príncipe,
Lux è tenebris éruta :
Christus sepulcri cárcere,
Lux vera mundi, pródiit.
Et mors & horrendum chaos
Vocem jubentis áudiunt :
Nos surdióres, ô pudor !
Deo pigéret óbsequi ?
Umbris sepulta dùm stupet
Natúra, lucis filii
Surgámus, & noctem piis
Exerceámus cánticis.
Legem, Prophétas, & sacro
Psalmos calentes lúmine,
Profána dùm silent loca,
Divína templa pérsonent.
Cœlestis hæc vincat tuba
Cordis sopórem lánguidi ;
Novíque mores éxprimant
Vitam resurgentis novam.
Hoc consequémur, te duce,
Fons caritátis, ô Deus,
Qui legis addis litteræ
Vitæ datórem Spíritum.
Sit laus Patri, laus Fílio ;
Par sit tibi laus, Spíritus,
Afflante quo mentes sacris
Lucent & ardent ígnibus.
Amen.

## IN I. NOCTURNO.

I. PSALMUS I.

*Justorum beatitudo in amore Dei, & legis ejus : sors malorum metuenda.*

1. BEátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in viâ peccatórum non stetit, * & in cáthedrâ pestiléntiæ non sedit:

2. Sed in lege DÓMINI voluntas ejus ; * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

3. Et erit tamquàm lignũ quod plantátum est secus decursus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo, & fólium ejus non défluet :

4. Et ómnia quæcumque fáciet, * prosperabuntur.

5. Non sic ímpii, non sic ; *

ſed tamquàm pulvis quem prójicit ventus à fácie terræ.

6. Ideò non reſurgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio juſtórũ.

7. Quóniam novit DÓMINUS, viam juſtórum; * & iter impiórum períbit.

*Ant.* Novit Dóminus viam juſtórum, & iter impiórum períbit.

II. PSALMUS 2.

*Chriſti incarnatio, victoria & imperium.*

1. QUarè fremuérunt gẽtes, * & pópuli meditáti ſunt inánia?

2. Aſtitérunt Reges terræ, & Príncipes convenérunt in unum, * adversùs DÓMINUM & adversùs Chriſtum ejus.

3. Dirumpámus víncula eórum; * & projiciámus à nobis jugum ipſórum.

4. Qui hábitat in cœlis, irridébit eos; * & Dóminus ſubſannábit eos.

5. Tunc loquétur ad eos in irâ ſuâ; * & in furóre ſuo conturbábit eos.

6. Ego autem conſtitútus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus, * prædicans præceptum ejus.

7. DÓMINUS dixit ad me: * Fílius meus es tu; ego hódiè génui te.

8. Póſtula à me; & dabo tibi gentes hereditátem tuam, * & poſſeſſiónem tuam términos terræ.

9. Reges eos in virgâ férreâ, * & tamquàm vas fíguli confringes eos.

10. Et nunc, Reges, intellígite; * erudímini, qui judicátis terram.

11. Servíte DÓMINO in timóre; * & exſultáte ei cum tremóre.

12. Apprehéndite diſciplínam; * nequandò iraſcátur Dóminus, & pereátis de viâ juſtâ.

13. Cùm exárſerit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

*Ant.* Servíte Dómino in timóre, & exſultáte ei cum tremóre.

III. PSALMUS 15.

*Chriſti Perſonam gerens Rex Propheta, ejus prædicit Reſurrectionem.*

1. COnſerva me, Dómine; * quóniam ſperávi in te.

2. Dixi DÓMINO: Deus meus es tu; * quóniam bonórum meórum non eges.

3. Sanctis qui ſunt in terrâ ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

4. Multiplicátæ ſunt infirmitátes eórum; * póſteà acceleravérunt.

5. Non congregábo conventícula eórum de ſanguínibus; * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

6. DÓMINUS pars hereditátis meæ, & cálicis mei: * tu es qui reſtítues hereditátem meam mihi.

7. Funes cecidérunt mihi in præclàris, * étenim hereditas mea præclára est mihi.

8. Benedícam DÓMINUM, qui tribuit mihi intelléctum: * ínsuper & usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

9. Providébam DÓMINUM in conspéctu meo semper; * quóniam à dextris est mihi, ne commóvear.

10. Propter hoc lætátum est cor meum, & exsultávit lingua mea; * ínsuper & caro mea requiéscet in spe.

11. Quóniam non derelinques ánimam meam in inferno, * nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.

12. Notas mihi fecisti vias vitæ; adimplébis me lætitiâ cum vultu tuo: * delectatiónes in déxterâ tuâ usque in finem.

*Ant.* Dóminus pars hereditátis meæ, & cálicis mei.

IV. PSALMUS 20.

*Ecclesia de Christi Regis sui victoriis gratias agit.*

1. DOMINE, in virtúte tuâ lætábitur Rex: * & super salutáre tuum exsultábit vehementer.

2. Desidérium cordis ejus tribuisti ei; * & voluntáte labiórum ejus non fraudasti eum.

3. Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

4. Vitam pétiit à te; & tribuisti ei: * longitúdinem diérum in séculum, & in séculum séculi.

5. Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam & magnum decórem impónes super eum.

6. Quóniam dabis eum in benedictiónem in séculum séculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

7. Quóniam Rex sperat in DÓMINO; * & in misericórdiâ Altíssimi non commovébitur.

8. Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

9. Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultûs tui: * DÓMINUS in irâ suâ conturbábit eos, & devorábit eos ignis.

10. Fructum eórum de terrâ perdes, * & semen eórum à filiis hóminum.

11. Quóniam declinavérunt in te mala; * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

12. Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

13. Exaltáre, DÓMINE, in virtúte tuâ: * cantábimus & psallémus virtútes tuas.

*Ant.* Exaltáre, Dómine, in virtúte tuâ: cantábimus & psallémus virtútes tuas.

V. PSALMUS 24.

*Implorat peccator Dei misericordiam, & in rectam se deduci viam postulat.*

1. AD te, DÓMINE, levávi ánimam meã:* Deus meus, in te confído.

2. Non erubéscam,*neque irrídeant me inimíci mei.

3. Etenim univérsi qui sustinent te, non confundentur; * confundantur omnes iníqua agentes supervácuè.

4. Vias tuas, DÓMINE, demonstra mihi; * & sémitas tuas édoce me.

5. Dírige me in veritáte tuâ, & doce me, * quia tu es Deus salvátor meus, & te sustínui totâ die.

6. Reminíscere miseratiónum tuárum, DÓMINE,* & misericordiárum tuárum quæ à século sunt.

7. Delícta juventútis meæ, & ignorántias meas ne memíneris: * secundùm misericórdiam tuam meménto meî, tu, propter bonitátem tuam, DÓMINE.

8. Dulcis & rectus DÓMINUS; * propter hoc legem dabit delinquéntibus in viâ.

9. Díriget mansuétos in judício: * docébit mites vias suas.

10. Universæ viæ DÓMINI, misericórdia & véritas; * requiréntibus testaméntum ejus, & testimónia ejus.

11. Propter nomen tuum, DÓMINE, propitiáberis peccáto meo: * multum est enim.

*Ant.* Vias tuas, Dómine, demonstra mihi; & sémitas tuas édoce me.

VI. *Divisio Psalmi* 24.

12. QUis est homo qui timet DÓMINUM? * legem státuit ei in viâ quam elégit.

13. Anima ejus in bonis demorábitur; * & semen ejus hereditábit terram.

14. Firmamentum est DÓMINUS timéntibus eum, * & testamentum ipsíus, ut manifestétur illis.

15. Oculi mei semper ad DÓMINUM; * quóniam ipse evellet de láqueo pedes meos.

16. Réspice in me, & miserére meî; * quia únicus & pauper sum ego.

17. Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt: * de necessitátibus meis érue me.

18. Vide humilitátem meam, & labórem meum;* & dimitte universa delícta mea.

19. Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt; * & ódio iníquo odérunt me.

20. Custódi ánimam meam, & érue me: * non erubescam, quóniam sperávi in te.

21. Innocentes & recti

adhæsérunt mihi; * quia sustínui te.

22. Líbera, Deus, Israel, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

*Ant.* Firmamentum est Dóminus timéntibus eum, & testamentum ipsíus ut manifestétur illis.

℣. Deus, clamábo per diem, & non exaudies; ℟. Et nocte, & non ad insipiéntiam mihi. *Ps.* 21.

ABSOLUTIO. *I. Mach.* 1.

ADapériat Deus cor vestrum in lege suâ, & in præceptis suis, & fáciat pacem.

℟. Amen.

*Dicit Lector*: Jube, Domne, benedícere.

*Benedicit Abbas.*

BENEDICTIO. *Ephes.* 1.

DEus Dómini nostri Jesu Christi Pater glóriæ det nobis spíritum sapiéntiæ.

℟. Amen.

*Lectiones cum Responsoriis in Proprio.*

## IN II. NOCTURNO.

I. PSALMUS 26.

*Fidelium fortitudo ex Deo; æterna vita quærenda bona.*

1. DOMINUS illuminátio mea, & salus mea; * quem timébo?

2. DÓMINUS protector vitæ meæ, * à quo trepidábo?

3. Dum appròpiant super me nocentes, * ut edant carnes meas:

4. Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt, & cecidérunt.

5. Si consístant adversùm me castra, * non timébit cor meum:

6. Si exurgat adversùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

7. Unam pétii à DÓMINO, hanc requíram; * ut inhábitem in domo DÓMINI, ómnibus diébus vitæ meæ:

8. Ut vídeam voluptátem DÓMINI, * & vísitem templum ejus.

9. Quóniam abscondit me in tabernáculo suo; * in die malórum protexit me, in abscóndito tabernáculi sui.

10. In petrâ exaltávit me; * & nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

11. Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis: * cantábo, & psalmum dicam DÓMINO.

12. Exaudi, DÓMINE, vocem meam, quâ clamávi ad te: * miserére meî, & exaudi me.

13. Tibi dixit cor meum: exquisívit te fácies mea; * fáciem tuam, DÓMINE, requíram.

14. Ne avertas fáciem tuam à me; * ne declínes, in irâ, à servo tuo.

15. Adjútor meus esto; ne derelinquas me: * neque despícias me, Deus salutáris meus.

16. Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me: * DÓMINUS autem assumpsit me.

17. Legem pone mihi, DÓMINE, in viâ tuâ; * & dírige me in sémitam rectã, propter inimícos meos.

18. Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me: * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui; & mentíta est iníquitas sibi.

19. Credo vidére bona DÓMINI, * in terrâ vivéntium.

20. Expecta DÓMINUM, viríliter age: * & confortétur cor tuum, & sústine DÓMINUM.

*Ant.* Tibi dixit cor meũ; exquisívit te fácies mea: fáciem tuam, Dómine, requíram.

II. PSALMUS 27.

*Christi & justorum inter adversa spes resurgendi.*

1. AD te, DÓMINE, clamábo; Deus meus, ne síleas à me; * nequandò táceas à me, & assimilábor descendéntibus in lacum.

2. Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dùm oro ad te; * dùm extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

3. Ne simul trahas me cum peccatóribus; * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

4. Qui loquuntur pacem cum próximo suo; * mala autem in córdibus eórum.

5. Da illis secundùm ópera eórum, * & secundùm nequítiam adinventiónum ipsórum.

6. Secundùm ópera mánuum eórum tríbue illis: * redde retributiónem eórum ipsis.

7. Quóniam non intellexérunt ópera DÓMINI, & in ópera mánuum ejus; * déstrues illos, & non ædificábis eos.

8. Benedictus DÓMINUS: * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

9. DÓMINUS adjútor meus, & protector meus: * in ipso sperávit cor meum, & adjútus sum.

10. Et reflóruit caro mea * & ex voluntáte meâ confitébor ei.

11. DÓMINUS fortitúdo plebis suæ; * & protector salvatiónum christi sui est.

12. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hereditáti tuæ; * & rege eos, & extolle illos usque in æternum.

*Ant.* In Dómino sperávit cor meum, & adjútus sum; & reflóruit caro mea.

III. PSALMUS 29.

*Christus post suos in passione labores, & suam in resurrectione victoriam, gratias agit.*

1. EXaltábo te, DÓMINE, quóniam suscepisti me; * nec delectasti inimícos meos super me.

2. DÓMINE, Deus meus, clamávi ad te; * & sanasti me.

3. DÓMINE, eduxisti ab inferno ánimam meam: * salvasti me à descendéntibus in lacum.

4. Psállite DÓMINO, sancti ejus; * & confitémini memóriæ sanctitátis ejus.

5. Quóniam ira in indignatióne ejus; * & vita in voluntáte ejus.

6. Ad vésperum demorábitur fletus; * & ad matutinum lætitia.

7. Ego autem dixi in abundántiâ meâ: * Non movébor in æternum.

8. DÓMINE, in voluntáte tuâ, * præstitisti decóri meo virtútem.

9. Avertisti fáciem tuam à me; * & factus sum conturbátus.

10. Ad te, DÓMINE, clamábo; * & ad Deum meum deprecábor.

11. Quæ utílitas in sánguine meo; * dùm descendo in corruptiónem?

12. Numquid confitébitur tibi pulvis; * aut annuntiábit veritátem tuam?

13. Audívit DÓMINUS, & misertus est meî: * DÓMINUS factus est adjútor meus.

14. Convertisti planctum meum in gáudium mihi: * conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitiâ:

15. Ut cantet tibi glória mea, * & non compungar.

16. DÓMINE, Deus meus, * in æternum confitébor tibi.

*Ant.* Dómine, eduxisti ab inferno ánimam meam; salvasti me à descendéntibus in lacum.

IV. PSALMUS 95.

*Regnat super gentes Christus, per quem cœli facti sunt.*

1. CAntáte DÓMINO cánticum novum: * cantáte DÓMINO, omnis terra.

2. Cantáte DÓMINO, & benedícite nómini ejus: * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

3. Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus:

4. Quóniam magnus DÓMINUS, & laudábilis nimis; * terríbilis est super omnes deos:

5. Quóniam omnes dii géntium, dæmónia; * DÓMINUS autem cœlos fecit.

6. Conféssio & pulchritúdo in conspectu ejus: * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

7. Afferte DÓMINO, pátriæ géntium, afferte DÓ-

MINO glóriam & honórem : * afferte DÓMINO glóriam nómini ejus.

8. Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus : * adoráte DÓMINUM in átrio sancto ejus.

9. Commoveátur à fácie ejus universa terra : * dícite in géntibus : Quia DÓMINUS regnávit.

10. Etenim correxit orbem terræ, qui non commovébitur : * judicábit pópulos in æquitáte.

11. Læténtur cœli, & exultet terra; commoveátur mare, & plenitúdo ejus : * gaudébunt campi & ómnia quæ in eis sunt.

12. Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie DÓMINI, quia venit; * quóniam venit judicáre terram.

13. Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte suâ.

*Ant.* Dícite in géntibus: Quia Dóminus regnávit.

V. PSALMUS 96.

*Christus Rex exaltatus super omnes deos : ab Angelis adorando.*

1. DOMINUS regnávit; exultet terra : * læténtur ínsulæ multæ.

2. Nubes, & calígo in circúitu ejus : * justítia & judíciũ corréctio sedis ejus.

3. Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

4. Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ : * vidit, & commóta est terra.

5. Montes sicut cera fluxérunt, à fácie DÓMINI, * à fácie Dómini omnis terra.

6. Annuntiavérunt cœli justítiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

7. Confundántur omnes qui adórant sculptília, * & qui gloriantur in simulácris suis.

8. Adoráte eum, * omnes Angeli ejus.

9. Audívit, & lætáta est Sion : * & exultavérunt fíliæ Judæ, propter judícia tua, DÓMINE.

10. Quóniam tu DÓMINUS altíssimus super omnem terram : * nimis exaltátus es super omnes deos.

11. Qui dilígitis DÓMINUM, odíte malum : * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum; de manu peccatóris liberábit eos.

12. Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

13. Lætámini, justi, in DÓMINO; * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

*Ant.* Adoráte eum, omnes Angeli ejus.

VI. PSALMUS 97.

*Christus resurgens notum facit gentibus salutare suum.*

1. CANtáte DÓMINO cánticum novum; * quia mirabília fecit.

2. Salvávit sibi déxtera ejus, * & bráchium sanctum ejus.

3. Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspectu géntium revelávit justítiam suam.

4. Recordátus est misericórdiæ suæ, * & veritátis suæ dómui Israel.

5. Vidérunt omnes términi terræ, * salutáre Dei nostri.

6. Jubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, & exultáte, & psállite.

7. Psállite Dómino in cítharâ: * in cítharâ & voce psalmi.

8. In tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ, * jubiláte in conspectu Regis Dómini.

9. Moveátur mare, & plenitúdo ejus; * orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

10. Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspectu Dómini;* quóniam venit judicáre terram.

11. Judicábit orbem terrárum in justítiâ, * & pópulos in æquitáte.

*Ant.* Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri.

℣. Notas mihi fecisti vias vitæ: ℟. Adimplébis me lætitiâ cum vultu tuo. *Ps.* 15.

Absolutio. *Ephes.* 4.

Occurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Fílii Dei, ut non circumferámur omni vento doctrínæ. ℟. Amen.

Benedictio. *I. Joan.* 5.

Filius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. ℟. Amen.

*In Festivitatibus, Absolutio & Benedictio propria, ad caput Psalterii.*

## *IN III. NOCTURNO.*

I. Canticum. *I. Paral.* 29.

*In manu Domini magnitudo & imperium omnium.*

1. Benedictus es, Dómine, Deus Israel patris nostri, * ab æterno in æternum.

2. Tua est, Dómine, magnificéntia, & poténtia, & glória, atque victória: * & tibi laus.

3. Cuncta enim quæ in cœlo sunt, & in terrâ, tua sunt: * tuum, Dómine, regnum, & tu es super omnes príncipes.

4. Tuæ divítiæ, & tua est glória: * tu domináris ómnium.

5. In manu tuâ virtus & poténtia: * in manu tuâ magnitúdo, & impérium ómnium.

II. Canticum. *Sap.* 11.

*Deus nil odit eorum quæ fecit.*

1. Omnia in mensúrâ, & número, & póndere, * disposuisti;

2. Multùm enim valére tibi soli supérerat semper: * & virtúti bráchii tui quis resístet?

3. Quóniam tamquàm momentum statéræ, sic est ante te orbis terrárum; * & tamquàm gutta roris antelucáni, quæ descendit in terram.

4. Sed miseréris ómnium, quia ómnia potes; * & dissímulas peccáta hóminum, propter pœniténtiam.

5. Díligis enim ómnia quæ sunt, & nihil odísti eórum quæ fecísti: * nec enim ódiens áliquid constituísti, aut fecísti.

6. Quómodo autem posset áliquid permanére, nisi tu voluísses? * aut quod à te vocátum non esset, conservarétur?

7. Parcis autem ómnibus; * quóniam tua sunt, Dómine, qui amas ánimas.

III. Canticum. *Ibid.* 12.

*Justus Dominus justè & suaviter omnia disponit.*

1. O Quàm bonus & suávis est, Dómine, * spíritus tuus in ómnibus!

2. Non enim est álius Deus quàm tu, cui cura est de ómnibus; * ut ostendas quóniam non injustè júdicas judícium.

3. Cùm ergo sis justus, * justè ómnia dispónis.

4. Ipsum quoque qui non debet puníri, condemnáre, * éxterum æstimas à tuâ virtúte.

5. Virtus enim tua justítiæ inítium est; * & ob hoc quòd ómnium Dóminus es, ómnibus te párcere facis.

6. Virtútem enim osténdis tu, * qui non créderis esse in virtúte consummátus,

7. Et horum qui te nésciunt, * audáciam tradúcis.

8. Tu autem dominátor virtútis, cum tranquillitáte júdicas; * & cum magnâ reveréntiâ dispónis nos.

9. Subest enim tibi, * cùm volúeris, posse.

10. Docuísti autem pópulum tuum per tália ópera; * quóniam oportet justum esse & humánum.

11. Et bonæ spei fecísti fílios tuos; * quóniam júdicans das locum in peccátis, pœniténtiæ.

12. Cùm ergo das nobis disciplínam, inimícos nostros multiplíciter flagellas, * ut bonitátem tuam cogitémus judicántes:

13. Et cùm de nobis judicátur, * sperémus misericórdiam tuam.

*Ant.* Parcis ómnibus; quóniam tua sunt, Dómine, qui amas ánimas. *Sapient.* 11.

℣. Justus Dóminus in ómnibus viis suis, ℟. Et sanctus in ómnibus opéribus suis. *Ps.* 144.

ABSOLUTIO. *Rom.* 15.

DEus spei répleat vos omni gáudio & pace in credendo, ut abundétis in spe & virtúte Spíritûs sancti. ℟. Amen.

BENEDICTIO. *Joan.* 16.

SPíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. ℟. Amen.

*Lectiones cum Responsoriis in Proprio.*

HYMNUS.

1. TE Deum laudámus: * te Dóminum confitémur.

2. Te ætenum Patrem * omnis terra venerátur.

3. Tibi omnes Angeli, * tibi Cœli, & univérsæ Potestátes.

4. Tibi Chérubim & Séraphim * incessábili voce proclámant:

5. Sanctus,

6. Sanctus,

7. Sanctus, * Dóminus, Deus Sábaoth.

8. Pleni sunt cœli & terra * majestátis glóriæ tuæ.

9. Te gloriósus * Apostolórum chorus,

10. Te Prophetárum * laudábilis númerus,

11. Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

12. Te, per orbem terrárum, * sancta confitétur Ecclésia;

13. Patrem * immensæ majestátis:

14. Venerandum tuum verum * & únicum Filium:

15. Sanctum quoque * Paraclétum Spíritum.

16. Tu, Rex glóriæ, * Christe:

17. Tu Patris * sempitérnus es Filius.

18. Tu, ad liberandum, susceptúrus hóminem, * non horruisti Vírginis úterum.

19. Tu, devicto mortis acúleo, * aperuisti credéntibus regna cœlórum.

20. Tu ad déxteram Dei sedes, * in glóriâ Patris.

21. Judex créderis * esse ventúrus.

22. Te ergò quæsumus, fámulis tuis súbveni, * quos pretióso sánguine redemisti.

23. Ætérnâ fac, cum sanctis tuis, * nos glóriâ munerári.

24. Salvum fac pópulum tuum, Dómine; * & bénedic hereditáti tuæ.

25. Et rege eos, * & extolle illos usque in ætérnum.

26. Per síngulos dies * benedícimus te.

27. Et laudámus nomen tuum in sǽculum, * & in sǽculum sǽculi.

28. Dignáre, Dómine, die isto, * sine peccáto nos custodíre.

29. Miserére nostrî, Dómine, * miserére nostrî.

30. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

31. In te, Dómine, sperávi: * non confundar in ætérnum.

*Legitur à Præside Chori Evangelium diei, in cujus fine* ℟. Amen. *Hymnus:* Te decet laus, te decet hymnus; tibi glória Deo Patri, & Filio, cum sancto Spíritu, in sǽcula seculórum. Amen.

*Subjungit Præses Collectam diei, & sic terminatur Officium nocturnum.*

---

## AD LAUDES.

Deus, † in adjutórium.

### PSALMUS 66.

*Sine Antiphonâ.*

*Ut ab omnibus gentibus cognoscatur & laudetur Deus, exoptat Ecclesia.*

1. DEus misereátur nostrî, & benedícat nobis; * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostrî:

2. Ut cognoscámus in terrâ viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

3. Confiteántur tibi pópuli, Deus; confiteántur tibi pópuli omnes: * læténtur & exultent gentes,

4. Quóniam júdicas pópulos in æquitáte, * & gentes in terrâ dírigis.

5. Confiteántur tibi pópuli, Deus; confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

6. Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus; * & métuant eum omnes fines terræ.

### I. PSALMUS 62.

*In cœlum suspirat anima divinæ bonitatis contemplatione.*

1. DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

2. Sitívit in te ánima mea; * quàm multiplíciter tibi caro mea!

3. In terrâ desértâ, & inviâ, & inaquósâ, sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam.

4. Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

5. Sic benedícam te in vitâ meâ; * & in nómine tuo levábo manus meas.

6. Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea; *

& lábiis exultatiónis laudábit os meum.

7. Si memor fui tuî super stratum meum, * in matutínis meditábor in te:

8. Quia fuisti adjútor meus: * & in velamento alárum tuárum exultábo.

9. Adhæsit ánima mea post te; * me suscépit déxtera tua.

10. Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meã; * introíbunt in inferióra terræ.

11. Tradentur in manus gládii; * partes vúlpium erunt.

12. Rex verò lætábitur in Deo; laudabuntur omnes qui jurant in eo: * quia obstructum est os loquéntium iniqua.

*Ant.* In matutínis meditábor in te, Dómine.

II. Psalmus 92.

*Christi regnum & eloquia extolluntur.*

1. DOMINUS regnávit; decórem indútus est: * indútus est DÓMINUS fortitúdinem, & præcinxit se.

2. Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

3. Paráta sedes tua ex tunc: * à século tu es.

4. Elevavérunt flúmina, DÓMINE, * elevavérunt flúmina vocem suam.

5. Elevavérunt flúmina fluctus suos, * à vócibus aquárum multárum.

6. Mirábiles elatiónes maris: * mirábilis in altis DÓMINUS.

7. Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo, DÓMINE, in longitúdinem diérum.

*Ant.* Indútus est Dóminus fortitúdinem, & præcinxit se.

III. Psalmus 99.

*Ad Dei cultum & laudes exhortatio.*

1. JUbiláte Deo, omnis terra: * servíte DÓMINO in lætítiâ; introíte in conspectu ejus in exultatióne.

2. Scitóte quóniam DÓMINUS ipse est Deus: * ipse fecit nos, & non ipsi nos.

3. Pópulus ejus & oves páscuæ ejus, introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis: * confitémini illi; laudáte nomen ejus.

4. Quóniam suávis est DÓMINUS: * in æternum misericórdia ejus; & usque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

*Ant.* Laudáte nomen ejus; quóniam suávis est Dóminus.

IV. CANTICUM. *Dan.* 3.

*Trium puerorum exhortatio ad omnes creaturas, ut benedicant Domino.*

1. BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte & superexaltáte eum in sécula.

2. Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli, Dómino.

3. Benedícite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

4. Benedícite, sol & luna, Dómino: * benedícite, stellæ cœli, Dómino.

5. Benedícite, omnis imber & ros, Dómino: * benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

6. Benedícite, ignis & æstus, Dómino: * benedícite, frigus & æstus, Dómino.

7. Benedícite, rores & pruína, Dómino: * benedícite, gelu & frigus, Dómino.

8. Benedícite, glácies & nives, Dómino: * benedícite, noctes & dies, Dómino.

9. Benedícite, lux & ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

10. Benedícat terra Dóminum; * laudet & superexaltet eum in sécula.

11. Benedícite, montes & colles, Dómino: * benedícite, universa germinántia in terrâ, Dómino.

12. Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária & flúmina, Dómino.

13. Benedícite, cete & ómnia quæ moventur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

14. Benedícite, omnes béstiæ & pécora, Dómino: * benedícite, filii hóminum, Dómino.

15. Benedícat Israel Dóminum: * laudet & superexaltet eum in sécula.

16. Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, servi Dómini, Dómino.

17. Benedícite, spíritus & ánimæ justórum, Dómino: * benedícite, sancti & húmiles corde, Dómino.

18. Benedícite, Ananía, Azaría, Mísaël, Dómino: * laudáte & superexaltáte eum in sécula.

*Hìc loco* Glória Patri, *dicitur:*

19. Benedicámus Patrem & Fílium cum sancto Spíritu: * laudémus & superexaltémus eum in sécula.

20. Benedíctus es, Dómine, in firmamento cœli: * & laudábilis, & gloriósus & superexaltátus in sécula.

*Ant.* Sol & luna, lux & ténebræ, noctes & dies, benedícite Dómino.

V. PSALMUS 148.

*Ad Dei laudes omnes invitantur creaturæ.*

1. LAudáte DÓMINUM de cœlis; * laudáte eum in excelsis.

2. Laudáte eum, omnes Angeli ejus; * laudáte eum, omnes Virtútes ejus.

3. Laudáte eum, sol & luna: * laudáte eum, omnes stellæ & lumen.

4. Laudáte eum, cœli cœlórum: * & aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen DÓMINI.

5. Quia ipse dixit, & facta sunt; * ipse mandávit, & creáta sunt.

6. Státuit ea in æternum & in séculum séculi: * præceptum pósuit, & non præteribit.

7. Laudáte DÓMINUM de terrâ, * dracónes, & omnes abyssi:

8. Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum; * quæ fáciunt verbum ejus:

9. Montes, & omnes colles; * ligna fructífera, & omnes cedri:

10. Béstiæ & universa pécora, * serpentes, & vólucres pennátæ.

11. Reges terræ, & omnes pópuli; * príncipes, & omnes júdices terræ:

12. Júvenes, & vírgines; * senes cum junióribus:

13. Laudent nomen DÓMINI; * quia exaltátum est nomen ejus solius.

14. Conféssio ejus super cœlum & terram; * & exaltávit cornu pópuli sui.

15. Hymnus ómnibus sanctis ejus; * filiis Israel, pópulo appropinquanti sibi.

*Ant.* Laudáte eum, omnes Angeli ejus: laudáte eum, omnes Virtútes ejus.

LECTIO. *Apoc.* 1.

GRátia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui ventúrus est; & à Jesu Christo, qui est testis fidélis, primogénitus mortuórum, & princeps Regum terræ, qui diléxit nos & lavit nos à peccátis nostris in sánguine suo.

℟. Deo grátias.

℟. *br.* Occísus es, Dómine, & redemisti nos Deo * In sánguine tuo. *Repetitur:* Occísus es. ℣. Et fecisti nos Deo nostro * regnum & Sacerdótes. * In sánguine tuo. ℣. Glória Patri, & Filio, & Spirítui Sancto. ℟. Occísus es. *Apoc.* 5.

HYMNUS. *C.*

AD templa nos rursùs vocat
Surgentis auróræ nitor,
Novasque pro læto monet
Referre grates múnere.

At victor auróram suo
Fulgóre Christus óbruit;
Huic, magna cujus pars sumus,
Juvat triumpho pláudere.

Quòd evolútus fásciis
Repentè mundus éxtitit
Puro renídens lúmine,
Virtútis hoc quantæ fuit!

Quòd tráditum neci Pater
Ut fóntibus vitam daret
Vitæ redónat Filium,
Amóris hoc quanti fuit!

Æternus ut rerum sator
Adspexit orbem, prótinùs,
Colóre depictum suo
Probávit excellens opus.

At lætius quantò óbtulit
Sese Patri spectáculum,
Cœlestis Agni cándido
Ablútus orbis sánguine!

Cum luce nobis rédditur
Mundi renascentis decor,
Occulta per quem Núminis
Mens surgit ad magnália.

At splendor æterni Patris
Lumenque Christus córdiū,
Deum dat in se, quantus est,
Sub nube carnis cérnere.

Præsta, beáta Trínitas,
Ut legis ad facem tuæ
Vitémus omne quod vetas,
Sectémur omne quod jubes.
Amen.

℣. Misericórdia tua, Dómine, magna est super me; ℟. Et eruisti ánimam meam ex inferno inferióri. *Ps.* 85.

CANT. ZACH. *Luc.* 1.

*Gratiarum actio de Incarnationis beneficio.*

1. BEnedictus Dóminus, Deus Israel; * quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ:

2. Et erexit cornu salútis nobis, * in domo David púeri sui:

3. Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à século sunt, Prophetárum ejus:

4. Salútem ex inimícis nostris, * & de manu ómnium qui odérunt nos:

5. Ad faciendam misericórdiam cum pátribus nostris; * & memorári testamenti sui sancti:

6. Jusjurandum quod jurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis:

7. Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi,

8. In sanctitáte & justítiâ coram ipso, * ómnibus diébus nostris.

9. Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus:

10. Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, * in remissiónem peccatórum eórum,

11. Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * in quibus visitávit nos Oriens ex alto;

12. Illumináre his qui in ténebris & in umbrâ mortis sedent, * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

*Antiphona & Collecta ut in Proprio.*

*A Præside Chori dicitur:* Kyrie, eleéson: *Chorus*,

Christe, eleéson: Kyrie, eleéson. *A Præside altâ voce*: Pater noster. *Ad hæc verba exclusivè*: Sed líbera nos à malo: *quæ à Choro respondentur. Tùm Hebdomadarius dicit*: Dóminus vobiscum. *Chorus*, ℟. Et cum spíritu tuo. *Hebdomadarius, dicto* Orémus, *subjungit Collectam. Chorus* ℟. Amen. *Fiunt deinde, si quæ occurrant, Commemorationes. Hebdomadarius dicit*: Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias. *Et sic semper terminatur Officium.*

---

## AD PRIMAM.

Deus, † in adjutórium.

### HYMNUS. *C.*

JAm lucis orto sídere,
Deũ precémur súpplices;
Nostras ut ipse dírigat
Lux increáta sémitas.

Nil lingua, nil peccet manus;
Nil mens ináne cógitet;
In ore simplex véritas,
In corde regnet cáritas.

Incœpta dùm fluet dies,
O Christe, sis custos vigil:
Da mente scire quod doces,
Da corde, quod jubes, sequi.

Superba ne nimìs caro
Menti licenter ímperet,
Quas sævus hostis óbsidet,
Portas tuére sénsuum.

Tu spes salútis, áctuum
Tu finis & primórdium;
Te prosequámur áuspice,
Quæ, te favente, cœpimus.

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Filio;
Qui caritáte nos foves,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

### PSALMUS 117.

*Vox Christi resurgentis: solemnis gratiarum actio pro acceptis à Deo beneficiis.*

1. COnfitémini DÓMINO, quóniam bonus; * quóniam in séculum misericórdia ejus.

2. Dicat nunc Israël, quóniam bonus; * quóniam in séculum misericórdia ejus.

3. Dicat nunc domus Aaron, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

4. Dicant nunc qui timent DÓMINUM, * quóniam in séculum misericórdia ejus.

5. De tribulatióne invocávi DÓMINUM; * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

6. DÓMINUS mihi adjútor: * non timébo quid fáciat mihi homo.

7. DÓMINUS mihi adjútor; * & ego despíciam inimícos meos.

8. Bonum est confídere in DÓMINO, * quàm confídere in hómine.

9. Bonum est speráre in DÓMINO, * quàm speráre in princípibus.

10. Omnes gentes cir-

cuiérunt me; * & in nómine DÓMINI, quia ultus ſum in eos.

11. Circumdantes circumdedérunt me; * & in nómine DÓMINI, quia ultus ſum in eos.

12. Circumdedérunt me ſicut apes, & exarſérunt ſicut ignis in ſpinis; * & in nómine DÓMINI, quia ultus ſum in eos.

13. Impulſus everſus ſum ut cáderem; * & DÓMINUS ſuſcépit me.

14. Fortitúdo mea & laus mea DÓMINUS; * & factus eſt mihi in ſalútem.

*Diviſio Pſalmi* 117.

15. VOx exultatiónis & ſalútis, * in tabernáculis juſtórum.

16. Déxtera DÓMINI fecit virtútem; déxtera DÓMINI exaltávit me; * déxtera DÓMINI fecit virtútem.

17. Non móriar, ſed vivam; * & narrábo ópera DÓMINI.

18. Caſtígans caſtigávit me DÓMINUS; * & morti non trádidit me.

19. Aperíte mihi portas juſtítiæ; * ingreſſus in eas, confitébor DÓMINO.

20. Hæc porta DÓMINI; * juſti intrábunt in eam.

21. Confitébor tibi, quóniam exaudiſti me; * & factus es mihi in ſalútem.

22. Lápidem quem reprobavérunt ædificantes; * hic factus eſt in caput ánguli.

23. A DÓMINO factum eſt iſtud; * & eſt mirábile in óculis noſtris.

24. Hæc eſt dies, quam fecit DÓMINUS; * exultémus, & lætémur in eâ.

25. O DÓMINE, ſalvum me fac; ô DÓMINE, benè proſperáre: * benedictus qui venit in nómine DÓMINI.

26. Benedíximus vobis de domo DÓMINI: * Deus DÓMINUS, & illuxit nobis.

27. Conſtitúite diem ſolemnem in condenſis, * uſque ad cornu altáris.

28. Deus meus es tu, & confitébor tibi: * Deus meus es tu, & exaltábo te.

29. Confitébor tibi, quóniam exaudiſti me; * & factus es mihi in ſalútem.

30. Confitémini DÓMINO, quóniam bonus; * quóniam in ſéculum miſericórdia ejus.

PSALMUS 118.

*Divinæ legis encomium: evangelicæ doctrinæ breviarium: piæ in Deum cordis effuſiones.*

1. BEáti immaculáti in viâ, * qui ámbulant in lege DÓMINI.

2. Beáti qui ſcrutantur teſtimónia ejus: * in toto corde exquírunt eum.

3. Non enim qui operantur iniquitátem, * in viis ejus ambulavérunt.

4. Tu mandaſti, * mandáta tua cuſtodíri nimìs.

5. Utinam dirigantur viæ meæ, * ad custodiendas justificatiónes tuas!

6. Tunc non confundar, * cùm perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

7. Confitébor tibi in diréctióne cordis, * in eo quòd dídici judícia justítiæ tuæ.

8. Justificatiónes tuas custódiam: * non me derelínquas usquequáquè.

*In omnibus Dominicis, nisi aliter notetur, dicitur Symbolum sequens.*

1. QUicumque vult salvus esse, * ante ómnia opus est, ut téneat cathólicam fidem.

2. Quam nisi quisque íntegram, inviolatamque serváverit, * absque dúbio in æternum peribit.

3. Fides autem Cathólica hæc est, * ut unum Deum in Trinitáte, & Trinitátem in unitáte venerémur.

4. Neque confundentes persónas, * neque substántiam separantes.

5. Alia est enim persóna Patris, ália Filii, * ália Spíritûs sancti:

6. Sed Patris, & Fílii, & Spíritûs sancti una est divínitas, * æquális glória, coæterna majestas:

7. Qualis Pater, talis Fílius, * talis Spíritus sanctus.

8. Increátus Pater, increátus Fílius, * increátus Spíritus sanctus.

9. Immensus Pater, immensus Filius, * immensus Spíritus sanctus.

10. Æternus Pater, æternus Fílius, * æternus Spíritus sanctus:

11. Et tamen non tres æterni, * sed unus æternus.

12. Sicut non tres increáti, nec tres immensi, * sed unus increátus & unus immensus.

13. Simíliter omnípotens Pater, omnípotens Filius, * omnípotens Spíritus sanctus:

14. Et tamen non tres omnipotentes, * sed unus omnípotens.

15. Ità, Deus Pater, Deus Fílius, * Deus Spíritus sanctus:

16. Et tamen non tres Dii, * sed unus est Deus.

17. Ità, Dóminus Pater, Dóminus Fílius, * Dóminus Spíritus sanctus:

18. Et tamen non tres Dómini, * sed unus est Dóminus.

19. Quia sicut singillátim unamquamque persónam, Deum ac Dóminum confitéri christiánâ veritáte compéllimur: * ità tres Deos aut Dóminos dícere cathólicâ religióne prohibémur.

20. Pater à nullo est factus, * nec creátus, nec génitus.

21. Fílius à Patre solo est, * non factus, nec creátus, sed génitus.

22. Spíritus sanctus à Patre & Fílio, * non factus,

nec creátus, nec génitus, sed procédens.

23. Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii: * unus Spíritus sanctus, non tres Spíritus sancti.

24. Et in hâc Trinitáte nihil prius & postérius, nihil majus aut minus: * sed totæ tres persónæ coætérnæ sibi sunt & coæquáles.

25. Ita ut per ómnia, sicut jam suprà dictum est, * & únitas in Trinitáte, & Trínitas in unitáte veneranda sit.

26. Qui vult ergo salvus esse, * ità de Trinitáte séntiat.

27. Sed necessárium est ad æternam salútem, * ut Incarnatiónem quoquè Dómini nostri Jesu Christi fidéliter credat.

28. Est ergo fides recta, ut credámus & confiteámur, * quia Dóminus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus & homo est.

29. Deus est ex substántiâ Patris ante sécula génitus, * & homo est ex substántiâ matris in século natus.

30. Perfectus Deus, perfectus homo, * ex ánimâ rationáli & humánâ carne subsistens.

31. Æquális Patri secundùm divinitátem, * minor Patre secundùm humanitátem.

32. Qui licèt Deus sit & homo; * non duo tamen, sed unus est Christus.

33. Unus autem, non conversióne divinitátis in carnem, * sed assumptióne humanitátis in Deum.

34. Unus omninò non confusióne substántiæ, * sed unitáte persónæ.

35. Nam sicut ánima rationális & caro, unus est homo; * ità Deus & homo unus est Christus;

36. Qui passus est pro salúte nostrâ, descendit ad ínferos; * tértiâ die resurrexit à mórtuis:

37. Ascendit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipotentis, * indè ventúrus est judicáre vivos & mórtuos.

38. Ad cujus adventum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis, * & redditúri sunt de factis própriis ratiónem.

39. Et qui bona egérunt, ibunt in vitam æternam; * qui verò mala, in ignem æternum.

40. Hæc est fides cathólica, * quam nisi quisque fidéliter firmiterque credíderit, salvus esse non póterit.

*Ant.* Deus meus es tu, & confitébor tibi: Deus meus es tu, & exaltábo te.

LECTIO. *Ephes.* 5.

VIdéte, Fratres, quómodò cautè ambulétis; † non quasi insipientes, sed

ut sapientes; * redimentes tempus, quóniam dies mali sunt. ℟. Deo grátias.

℣. Exurge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43.

*Hebdomadarius:* Kyrie, eleéson. ℟. Christe, eleéson: Kyrie, eleéson. *Dein,* Pater noster. *secretò ad hæc verba:* Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo. *Hebdomad.* Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Alcuin.*

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecisti; † tuâ nos hódiè salva virtúte, ut ad nullum declinémus peccátum; * sed semper ad tuam justitiam faciendam, nostra procédant elóquia, dirigantur cogitatiónes & ópera: Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs Sancti Deus, per ómnia sécula seculórum.

℟. Amen.

*Hebdomadarius:* Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

*Statìm per modum Officii Capitularis, in Choro fit Lectio Martyrologii, in cujus fine nil respondetur; sed dicit Hebdomadarius:*

℣. Pretiósa in conspectu Dómini, ℟. Mors Sanctórum ejus. *Ps.* 115.

*Hebdomadarius:* Sancta María, omnes Angeli Dei, & omnes Sancti ádjuvent nos in oratiónibus suis pro nobis ad Deum; ut secundùm eum, qui vocávit nos, Sanctum, & ipsi in omni conversatióne sancti simus. ℟. Amen. *Rom.* 15. *I. Petr.* 1.

*Hebdomadarius:* Réspice in servos tuos, Dómine, & in ópera tua, & dírige fílios eórum; ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, & ópera mánuum nostrárum dírige. *Ps.* 89.

Orémus.

COLLECTA. *Brev. Rom.*

DIrígere & sanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódiè corda & córpora nostra, sensus, sermónes & actus nostros, in lege tuâ & in opéribus mandatórum tuórum; ut hìc, & in æternum, te auxiliante, salvi & líberi esse mereámur, Salvátor mundi: Qui vivis & regnas in sécula seculórum. ℟. Amen.

*Lector:* Jube, Domne, benedícere.

BENEDICTIO. *I. Joan.* 2.

UNctio quam accépimus à Deo, máneat in nobis, & dóceat nos de ómnibus. ℟. Amen.

*Tum fit Lectio Canonis qui suo loco habetur, in fine dicitur:* Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Deo grátias.

*Præses Chori:* Adjutórium nostrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123.

℣. *sacerdotalis.* Benedícite. ℟. Deus.

*Benedictio:* Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod pláceat coram se, per Jesum Christum, cui est glória in sécula seculórum.

℟. Amen. *Hebr.* 13.

*Lector:* Commemorátio ómnium fratrum, propinquórum, fundatórum, benefactórum Ordinis ac Monastérii nostri in Dómino defunctórum.

*Præses Chori:* ℣. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

*Psalmus* 129. De profundis clamávi ad te, Dómine. *infrà ad Vesperas Feria IV.*

*In fine:* Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; * Et lux perpétua lúceat eis.

*Hebdomadarius:* A portâ ínferi, ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.

℣. Dóminus vobiscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

ABsolve, quæsumus, Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum; ut in resurrectiónis glóriâ, inter Sanctos & Electos tuos resuscitáti respírent: Per eum qui ventúrus est judicáre vivos & mórtuos, & séculum per ignem. ℟. Amen.

*Sic dicitur & terminatur Prima singulis diebus.*

---

## AD TERTIAM.

Deus, † in adjutórium.

HYMNUS. *C.*

O Fons amóris, Spíritus,
O sancte donórum parens,
Tuas refúsus íntimis
Accende flammas córdibus.

Qui caritátis vínculo
Cum Patre nectis Filium;
Sic nos amóris mútui
Fac sancta jungant víncula.

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Filio;
Qui caritáte nos foves,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Ex Psalmo* 118.

9. IN quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiendo sermónes tuos.

10. In

10. In toto corde meo exquisívi te : * ne repellas me à mandátis tuis.

11. In corde meo abscondi elóquia tua ; * ut non peccem tibi.

12. Benedíctus es, Dómine : * doce me justificatiónes tuas.

13. In lábiis meis pronuntiávi * ómnia judícia oris tui.

14. In viâ testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

15. In mandátis tuis exercébor ; * & considerábo vias tuas.

16. In justificatiónibus tuis meditábor : * non obliviscar sermónes tuos.

17. Retríbue servo tuo, vivífica me ; * & custódiam sermónes tuos.

18. Revéla óculos meos;* & considerábo mirabília de lege tuâ.

19. Incola ego sum in terrâ : * non abscondas à me mandáta tua.

20. Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas, * in omni témpore.

21. Increpasti superbos:* maledícti qui declínant à mandátis tuis.

22. Aufer à me oppróbrium & contemptum ; * quia testimónia tua exquisívi.

23. Etenim sedérunt príncipes, & adversùm me loquebantur ; * servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis.

24. Nam & testimónia tua, meditátio mea est ; * & consílium meum justificatiónes tuæ.

25. Adhæsit pavimento ánima mea : * vivífica me secundùm verbum tuum.

26. Vias meas enuntiávi & exaudísti me : * doce me justificatiónes tuas.

27. Viam justificatiónum tuárum ínstrue me, * & exercébor in mirabílibus tuis.

28. Dormitávit ánima mea præ tædio : * confírma me in verbis tuis.

29. Viam iniquitátis ámove à me, * & de lege tuâ miserére meî.

30. Viam veritátis elégi : * judícia tua non sum oblítus.

31. Adhæsi testimóniis tuis, Dómine : * noli me confúndere.

32. Viam mandatórum tuórum cucurri, * cùm dilatasti cor meum.

*Ant.* In toto corde meo exquisívi te, Dómine : doce me justificatiónes tuas.

Lectio. *Ezech.* 20.

Ego Dóminus Deus vester;† in præceptis meis ambuláte, judícia mea custodíte, & fácite ea; & sábbata mea sanctificáte ; *

ut ſint ſignum inter me & vos, & ſciátis quia ego ſum Dóminus Deus veſter.

℣. Utinam dirigantur viæ meæ, ℟. Ad cuſtodiendas juſtificatiónes tuas. *Pſ.* 118.

*Litania Dominica ut ad Primam.*

*Collecta ut in Proprio.*

---

AD SEXTAM.

Deus, † in adjutórium.

HYMNUS. *C.*

NUnc ſolis excelsũ jubar
Pleno coruſcat lúmine;
Tu, Chriſte, ſic mundum novâ
Sol verus accendis face.

Fac pura noſtris fúlgeat
Lux veritátis méntibus:
Fac noſtra plenam cáritas
Creſcendo ſurgat ad diem.

Qui nos creávit, laus Patri:
Laus, qui redémit, Fílio:
Qui caritáte nos foves,
Par ſit tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Ex Pſalmo* 118.

33. LEgem pone mihi, Dómine, viam juſtificatiónum tuárum; * & exquíram eam ſemper.

34. Da mihi intellectum; & ſcrutábor legem tuam;* & cuſtódiam illam in toto corde meo.

35. Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum; * quia ipſam vólui.

36. Inclina cor meum in teſtimónia tua, * & non in avarítiam.

37. Averte óculos meos ne vídeant vanitátem: * in viâ tuâ vivífica me.

38. Státue ſervo tuo elóquium tuũ,* in timóre tuo.

39. Amputa oppróbrium meũ, quod ſuſpicátus ſum;* quia judícia tua jucunda.

40. Ecce concupívi mandáta tua: * in æquitáte tuâ vivífica me.

41. ET véniat ſuper me miſericórdia tua, Dómine: * ſalutáre tuum ſecundùm elóquium tuum.

42. Et reſpondébo exprobrántibus mihi verbum; * quia ſperávi in ſermónibus tuis.

43. Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis uſquequáquè; * quia in judíciis tuis ſuperſperávi.

44. Et cuſtódiam legem tuam ſemper, * in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

45. Et ambulábam in latitúdine; * quia mandáta tua exquiſívi.

46. Et loquébar de teſtimóniis tuis in conſpectu regum;* & non confundébar.

47. Et meditábar in mandátis tuis,* quæ dilexi.

48. Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ dilexi; * & exercébar in juſtificatiónibus tuis.

49. MEmor eſto verbi tui ſervo tuo, * in quo mihi ſpem dediſti.

50. *Hæc me consoláta est in humilitáte meâ; * quia elóquium tuum vivificávit me.*

51. Superbi iníquè agébant usquequáquè; * à lege autem tuâ non declinávi.

52. Memor fui judiciórum tuórum à século, DÓMINE; * & consolátus sum.

53. Deféctio ténuit me, * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

54. Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

55. *Memor fui nocte nóminis* tui, DÓMINE; * & *custodívi* legem tuam.

56. Hæc facta est mihi; * quia justificatiónes tuas exquisívi.

*Ant.* Da mihi intelléctum; & scrutábor legem tuam, Dómine.

LECTIO. *I. Joan. 5.*

HÆc est cáritas Dei, † ut mandáta ejus custodiámus, * & mandáta ejus grávia non sunt.

℣. Deduc me, Dómine, in sémitam mandatórum tuórum; ℟. Quia ipsam vólui. *Ps.* 118.

*Collecta ut in Proprio.*

---

AD NONAM.

Deus, † in adjutórium.

HYMNUS.

PRono volútus ímpetu
Inclínat in noctem dies;
Sic vita suprémam cito
Festínat ad metam gradu.
O Christe, dum fixus cruci
Expandis orbi bráchia,
Amáre da crucem; tuo
Da nos in amplexu mori.
Qui nos creávit, laus Patri:
Laus, qui redémit, Fílio:
Qui caritáte nos foves,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

*Ex Psalmo* 118.

57. POrtio mea, DÓMINE, dixi, * custodíre legem tuam.

58. Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo: * miserére meî secundùm elóquium tuum.

59. Cogitávi vias meas; * & converti pedes meos in testimónia tua.

60. Parátus sum, & non sum turbátus; * ut custódiam mandáta tua.

61. Funes peccatórum circumplexi sunt me; * & legem tuam non sum oblítus.

62. Médiâ nocte surgébam ad confiténdum tibi, * super judícia justificatiónis tuæ.

63. Párticeps ego sum ómnium timéntium te, * & custodiéntium mandáta tua.

64. Misericórdiâ tuâ, DÓMINE, plena est terra: * justificatiónes tuas doce me.

65. BOnitátẽ fecisti cum servo tuo, DÓMI-

NE, * secundùm verbum tuum.

66. Bonitátem, & disciplínã, & sciéntiã doce me; * quia mandátis tuis crédidi.

67. Priusquàm humiliárer, ego deliqui; * proptéreà elóquium tuum custodívi.

68. Bonus es tu; * & in bonitáte tuâ doce me justificatiónes tuas.

69. Multiplicáta est super me iníquitas superbórum; * ego autẽ in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

70. Coagulátum est sicut lac cor eórum; * ego verò legem tuam meditátus sum.

71. Bonum mihi quia humiliasti me; * ut discam justificatiónes tuas.

72. Bonum mihi lex oris tui, * super míllia auri & argenti.

73. MAnus tuæ fecérunt me, & plasmavérunt me: * da mihi intellectum, & discam mandáta tua.

74. Qui timent te, vidébunt me, & lætabuntur; * quia in verba tua supersperávi.

75. Cognóvi, DÓMINE, quia æquitas judícia tua; * & in veritáte tuâ humiliasti me.

76. Fiat misericórdia tua ut consolétur me, * secundùm elóquium tuum servo tuo.

77. Véniant mihi miseratiónes tuæ, & vivam; * quia lex tua meditátio mea est.

78. Confundantur superbi; quia injustè iniquitátem fecérunt in me: * ego autem exercébor in mandátis tuis.

79. Convertantur mihi timentes te, * & qui novérunt testimónia tua.

80. Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis; * ut non confundar.

*Ant.* Bonus es tu, Dómine; & in bonitáte tuâ doce me justificatiónes tuas.

LECTIO. *I. Tim.* 1.

FInis præcepti est cáritas de corde puro, † & consciéntiâ bonâ, * & fide non fictâ.

℣. Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis; ℟. Ut non confundar. *Ps.* 118.

*Collecta ut in Proprio.*

---

## AD VESPERAS.

Deus, † in adjutórium.

I. PSALMUS 109.

*Christi divinitas, sacerdotium & regnum.*

1. DIxit DÓMINUS Dómino meo: * Sede à dextris meis;

2. Donec ponam inimícos tuos, * scabellum pedum tuórum.

3. Virgam virtútis tuæ emittet DÓMINUS ex Sion:* dominàre in médio inimicórum tuórum.

4. Tecum princípium in die virtútis tuæ, in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

5. Jurávit DÓMINUS, & non pœnitébit eum: * Tu es sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

6. Dóminus à dextris tuis: * confrégit in die iræ suæ Reges.

7. Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terrâ multórum.

8. De torrente in viâ bibet: * proptéreà exaltábit caput.

*Ant.* Dixit Dóminus Dómino meo: Sede à dextris meis.

II. PSALMUS 110.

*Laus Deo ob sua per Christum beneficia.*

1. CONfitébor tibi, DÓMINE, in toto corde meo, * in concílio justórum & congregatióne.

2. Magna ópera DÓMINI: * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

3. Conféssio & magnificéntia opus ejus; * & justítia ejus manet in séculum séculi.

4. Memóriam fecit mirabílium suórum; * miséricors & miserátor DÓMINUS.

5. Escam dedit timéntibus se: * memor erit in séculum testamenti sui.

6. Virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo; * ut det illis hæreditátem géntium.

7. Opera mánuum ejus, véritas & judícium: * fidélia ómnia mandáta ejus.

8. Confirmáta in séculum séculi, * facta in veritáte & æquitáte.

9. Redemptiónem misit pópulo suo: mandávit in æternum testamentū suū: * sanctum & terríbile nomen ejus.

10. Inítium sapiéntiæ, timor DÓMINI: intellectus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in séculum séculi.

*Ant.* Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in séculum séculi.

III. PSALMUS 111.

*Christi, & omnium in Christo justorum encomium.*

1. BEátus vir qui timet DÓMINUM: * in mandátis ejus volet nimìs.

2. Potens in terrâ erit semen ejus: * generátio rectórum benedicétur.

3. Glória & divítiæ in domo ejus; * & justítia ejus manet in séculum séculi.

4. Exortum est in téne-

bris lumen rectis : * misé-ricors, & miserátor, & justus.

5. Jucundus homo qui miserétur & cómmodat: * dispónet sermónes suos in judício.

6. Quia in æternum non commovébitur : * in memóriâ ætérnâ erit justus.

7. Ab auditióne malâ non timébit : * parátum cor ejus speráre in DÓMINO.

8. Confirmátum est cor ejus ; non commovébitur : * donec despíciat inimícos suos.

9. Dispersit, dedit paupéribus ; justitia ejus manet in séculum séculi : * cornu ejus exaltábitur in glóriâ.

10. Peccátor vidébit & irascétur ; déntibus suis fremet & tabescet : * desidérium peccatórum períbit.

*Ant.* Qui timet Dóminum in mandátis ejus cupit nimìs.

IV. PSALMUS 112.

*Dei laus ob Fidelium per Christum exaltationem & multiplicationem.*

1. LAudáte, púeri, DÓMINUM : * laudáte nomen DÓMINI.

2. Sit nomen DÓMINI benedictum, * ex hoc nunc & usque in séculum.

3. A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen DÓMINI.

4. Excelsus super omnes gentes DÓMINUS ;* & super cœlos glória ejus.

5. Quis sicut DÓMINUS Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cœlo & in terrâ ?

6. Súscitans à terrâ ínopem, * & de stércore érigens páuperem ;

7. Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

8. Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætantem.

*Ant.* Sit nomen Dómini benedictum, ex hoc nunc & usque in séculum.

LECTIO. *Ephes.* 1.

BEnedictus Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi, † qui benedixit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, * ut essémus sancti & immaculáti in conspectu ejus in caritáte.

℟. Deo grátias.

℟. *br.* Dómine Deus virtútum, * Quis símilis tibi? ℟. Dómine. ℣. Potens es, Dómine, & véritas tua in circúitu tuo. * Quis. ℣. Glória. ℟. Dómine. *Ps.* 88.

HYMNUS. *C.*

O Luce qui mortálibus
Lates inaccessâ, Deus!
Præsente quo sancti tremunt
Nubuntque vultus Angeli.

*Hìc*, ceu profundâ cónditi
Demérgimur calígine:
Æternus at noctem suo
Fulgóre depellet dies.

Hunc nempè nobis præparas,
Nobis reservas hunc diem,
Quem vix adumbrat spléndida
Flammantis astri cláritas.

Moráris, heu! nimìs diù,
Moráris, optátus dies:
Ut te fruámur, nóxii
Linquenda moles córporis.

His cùm solúta vínculis
Mens evolârit, ô Deus,
Vidére te, laudáre te,
Amáre te non désinet.

Ad omne nos apta bonum,
Fœcunda donis Trínitas:
Fac lucis usúræ brevi
Æterna succédat dies.
Amen.

℣. In æternum non oblivíscar justificatiónes tuas; ℟. Quia in ipsis vivificásti me. *Ps.* 118.

Canticum B. M. V. *Luc.* 1.
*Laus ob incarnati Verbi mysterium.*

1. MAgníficat * ánima mea Dóminum;

2. Et exultávit spíritus meus, * in Deo salutári meo.

3. Quia respexit humilitátem ancillæ suæ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes:

4. Quia fecit mihi magna, qui potens est; * & sanctum nomen ejus:

5. Et misericórdia ejus, à progénie in progénies, * timéntibus eum.

6. Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispersit superbos mente cordis sui.

7. Depósuit potentes de sede; * & exaltávit húmiles.

8. Esurientes implévit bonis; * & dívites dimísit inánes.

9. Suscépit Israel púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ,

10. Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham & sémini ejus in sécula.

*Antiphona, Litania Dominica, & Collecta, ut in Proprio.*

---

AD COMPLETORIUM.

*Lector incipit:* Jube, Domne, benedícere.

*Præses Chori:* Inclínet Dóminus corda nostra ad se, ut ambulémus in univérsis viis ejus. *III. Reg.* 8. ℟. Amen.

Lectio. *I. Petri*, 5.

SObrii estóte, & vigiláte; quia adversárius vester diábolus tamquàm leo rúgiens círcuit quærens quem dévoret: cui resístite fortes in fide, scientes eamdem passiónem ei quæ in mundo est, vestræ fraternitáti fieri. Tu autem, Dómine, miserére nostrî. ℟. Deo grátias.

*Hebdomadarius facit Confessionem :* Confiteor Deo omnipotenti, beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joanni Baptistæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, beáto Benedicto, ómnibus Sanctis, (& vobis, Fratres): quia peccávi nimis cogitatióne, verbo & ópere, meâ culpâ, meâ culpâ, meâ máximâ culpâ: ideò precor beátam Maríã semper Vírginem, beátum Michaélem Archángelum, beátum Joannem Baptistã, sanctos Apóstolos Petrum & Paulum, beátum Benedictum, omnes Sanctos, (& vos, Fratres), oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.

*Lector :* Misereátur tuî omnípotens Deus; & dimissis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. *Hebdomadarius* ℟. Amen. *Repetit Lector Confessionem, in quâ dicit:* & tibi, Pater... & te, Pater, oráre pro me. *Hebdomadarius:* Misereátur vestrî omnípotens Deus; & dimissis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. *Chorus :* Amen. *Deinde dicit :* Indulgéntiam, absolutiónem & remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

*Hebdomadarius:* ℣. Convérte nos, Deus salutáris noster; ℟. Et avérte iram tuam à nobis. *Ps.* 84.

Deus, † in adjutórium.

PSALMUS 4.

*In Deo per Christum spes & requies.*

1. CUm invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatióne dilatasti mihi.

2. Miserére meî, * & exaudi oratiónem meam.

3. Filii hóminum, úsquequò gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium?

4. Et scitóte quóniam mirificávit DÓMINUS sanctum suum: * DÓMINUS exáudiet me, cùm clamávero ad eum.

5. Irascímini, & nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

6. Sacrificáte sacrifícium justítiæ; * & speráte in DÓMINO.

7. Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona? * signátum est super nos lumen vultûs tui, DÓMINE.

8. Dedisti lætítiam in corde meo: * à fructu fruménti, vini & ólei sui multiplicáti sunt.

9. In pace in idipsum dórmiam & requiéscam; * quóniam tu, DÓMINE, singuláriter in spe constituísti me.

PSALMUS 90.

*Filialis in Deum fiducia; præclara in tribulatione & tentatione oratio.*

1. QUi hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur:

2. Dicet DÓMINO: Suscéptor meus es tu, & refúgium meum: * Deus meus, sperábo in eum.

3. Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * & à verbo áspero.

4. Scápulis suis obumbrábit tibi; & sub pennis ejus sperábis: * scuto circúmdabit te véritas ejus.

5. Non timébis à timóre noctúrno,* à sagittâ volante in die:

6. A negótio perambulante in ténebris,* ab incursu & dæmónio meridiáno.

7. Cadent à látere tuo mille, & decem míllia à dextris tuis: * ad te autem non appropinquábit.

8. Verúmtamen óculis tuis considerábis; * & retributiónem peccatórum vidébis.

9. Quóniam, Tu es, DÓMINE, spes mea: * Altíssimum posuisti refúgium tuum.

10. Non accédet ad te malum; * & flagellum non appropinquábit tabernáculo tuo.

11. Quóniam Angelis suis mandávit de te; * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

12. In mánibus portábunt te; * ne forte offendas ad lápidem pedem tuū.

13. Super áspidem & basiliscum ambulábis; * & conculcábis leónem & dracónem.

14. Quóniam in me sperávit, liberábo eum: * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

15. Clamábit ad me, & ego exáudiam eum: * cum ipso sum in tribulatióne; erípiam eum, & glorificábo eum.

16. Longitúdine diérum replébo eum; * & ostendam illi salutáre meum.

PSALMUS 133.

*Deus die ac nocte benedicendus; oratio vespertina.*

1. ECce nunc benedícite DÓMINUM, * omnes servi DÓMINI.

2. Qui statis in domo DÓMINI, * in átriis domûs Dei nostri;

3. In nóctibus extóllite manus vestras in sancta; * & benedícite DÓMINUM.

4. Benedicat te DÓMINUS ex Sion, * qui fecit cœlum & terram.

CANT. SYMEONIS. *Luc. 2.*

*De Salvatoris adventu gratiarum actio.*

1. NUnc dimittis servum tuum, Dómine, * secundùm verbum tuum, in pace.

2. Quia vidérunt óculi mei, * salutáre tuum,

3. Quod parasti, * ante fáciem ómnium populórũ:

4. Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Israel.

HYMNUS. *C.*

GRates, peracto jam die,
Deus tibi persólvimus;
Pronóque, dùm nox íncipit,
Prostérnimus vultu preces.

Quod longa peccávit dies
Amárus éxpiet dolor;
Somno gravátis ne nova
Inflígat hostis vúlnera.

Infestus usquè círcuit
Quærens leo quem dévoret:
Umbrâ sub alárum tuos
Defende filios, Pater.

O quandò lucescet tuus,
Qui nescit occásum dies!
O quandò sancta se dabit,
Quæ nescit hostem pátria!

Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Qui caritáte nos foves,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

LECTIO. *I. Thess. 5.*

OMnes vos filii lucis estis & filii diéi; † non sumus noctis neque tenebrárum: * ígitur non dormiámus sicut & céteri, sed vigilémus, & sóbrii simus. ℟. Deo grátias.

℣. In manus tuas, Dómine, commendo spíritum meum. ℟. Redemisti me, Dómine Deus veritátis. *Ps. 30.*

*Hebdomadarius:* Kyrie, eleéson: ℟. Christe, eleéson: Kyrie, eleéson. *Hebdomadarius:* Pater noster. *secretò. Hebdomad.* Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo. *Hebd.* Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. S. Greg.*

ILlúmina, quæsumus, Dómine, ténebras nostras; † & totíus noctis insídias * tu propítius repelle: Per Dóminum nostrum.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

*Tùm Præses benedicit.*

BENEDICTIO. *II. Cor. 13.*

GRátia Dómini nostri Jesu Christi, ✠ & cáritas Dei, & communicátio Sancti Spíritûs sit cum ómnibus vobis: ℟. Et cum frátribus nostris abséntibus. Amen.

*Secretò ab omnibus:* Pater. Ave. Credo. *Et completum est.*

---

FERIA SECUNDA.

*Dei Creatoris erga homines caritas & beneficentia: Christus autor gratiæ.*

---

AD OFFICIUM NOCT.

Deus, † in adjutórium.

Dómine, † lábia mea apéries.

*Psalmus* 3. Dómine, quid multiplicáti sunt. *ut in Dominicâ, pag.* 1. *& sic in aliis Feriis.*

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Deū, qui prior dilexit nos, * Veníte, adorémus. *I. Joan.* 4. *Psal.* Veníte. *ut suprà, pag.* 2.

HYMNUS. *C.*

DEi canámus glóriam,
Cœlū secundo qui die
Expandit, admirábile
Mortálibus spectáculum.
Poli stupémus álveo
Stagnáre pénsiles lacus:
Hinc imbre terras fértili
Cœlestis irrórat Pater.
Quā præparas nobis, Deus,
Est hæc imágo grátiæ:
Hæc rore stillans úberi
Cordis penétrat íntima.
Hanc qui fidéli cómbibūt
Aquam salubrem péctore,
In his ad æternas domos
Miro resultat ímpetu.
Beáta gens, quā pródigâ
Ditáre non cessas manu!
Amóris hæc memor tui,
Amóris & reddat vices.
Orbem potenter qui creas,
Tibi, Pater, cum Filio,
Almo simul cum Spíritu,
Sit summa laus in sécula.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

I. PSALMUS 103.

*Deus ob multiplicia natura & gratia miracula benedicendus.*

1. BEnedic, ánima mea, DÓMINO;* DÓMINE Deus meus, magnificátus es vehementer:

2. Confessiónem & decórem induisti, * amíctus lúmine sicut vestimento:

3. Extendens cœlum sicut pellem; * qui tegis aquis superióra ejus:

4. Qui ponis nubem ascensum tuum; * qui ámbulas super pennas ventórum:

5. Qui facis Angelos tuos spíritus; * & ministros tuos, ignem urentem:

6. Qui fundasti terram super stabilitátem suam: * non inclinábitur in séculum séculi.

7. Abyssus, sicut vestimentum, amíctus ejus: * super montes stabunt aquæ.

8. Ab increpatióne tuâ fugient; * à voce tonítrui tui formidábunt.

9. Ascendunt montes, & descendunt campi, * in locum quem fundasti eis.

10. Términum posuisti, quem non transgrediétur; * neque convertentur operíre terram.

11. Qui emíttis fontes in convállibus; * inter médium móntium pertransíbunt aquæ:

12. Potábunt omnes béstiæ agri; * exspectábunt ónagri in siti suâ.

13. Super ea vólucres cœli habitábunt; * de médio petrárum dabunt voces.

*Ant.* Dómine Deus meus,

magnificátus es vehementer.

II. *Divisio Psalmi* 103.

14. RIgans montes de superióribus tuis; * de fructu óperum tuórum satiábitur terra.

15. Prodúcens fenum juméntis, * & herbam servitúti hóminum;

16. Ut edúcas panem de terrâ, * & vinum lætíficet cor hóminis:

17. Ut exhílaret fáciem in óleo; * & panis cor hóminis confirmet.

18. Saturabuntur ligna campi, * & cedri Líbani, quas plantávit;

19. Illìc pásseres nidificábunt; * heródii domus dux est eórum:

20. Mõtes excelsi cervis, * petra refúgium herináciis.

21. Fecit lunam in témpora: * sol cognóvit occásum suum.

22. Posuisti ténebras, & facta est nox; * in ipsâ pertransíbunt omnes béstiæ silvæ.

23. Cátuli leónum rugientes, ut rápiant, * & quærant à Deo escam sibi.

24. Ortus est sol, & congregáti sunt; * & in cubílibus suis collocabuntur.

25. Exíbit homo ad opus suum, * & ad operatiónem suam usque ad vésperum.

*Ant.* De fructu óperum tuórum, Dómine, satiábitur terra.

III. *Divisio Psalmi* 103.

26. QUàm magnificáta sunt ópera tua, DÓMINE! * ómnia in sapiéntiâ fecisti; impléta est terra possessióne tuâ.

27. Hoc mare magnum & spatiósum mánibus, illìc reptília quorum non est númerus, * animália pusilla cum magnis.

28. Illìc naves pertransíbunt: * draco iste quem formasti ad illudendum ei.

29. Omnia à te exspectant; * ut des illis escam in témpore.

30. Dante te illis, cólligent: * aperiente te manum tuam, ómnia implebuntur bonitáte.

31. Avertente autem te fáciem, turbabuntur: * áuferes spíritum eórum, & deficient; & in púlverem suum revertentur.

32. Emittes Spíritum tuũ, & creabuntur; * & renovábis fáciem terræ.

33. Sit glória DÓMINI in séculum: * lætábitur DÓMINUS in opéribus suis:

34. Qui réspicit terram, & facit eam trémere; * qui tangit montes, & fúmigant.

35. Cantábo DÓMINO in vitâ meâ: * psállam Deo meo quámdiù sum.

36. Jucundum sit ei elóquium meum: * ego verò delectábor in DÓMINO.

37. Deficiant peccatóres

à terrâ; & iníqui, ità ut non sint: * bénedic, ánima mea, DÓMINO.

*Ant.* Ego delectábor in DÓMINO.

IV. PSALMUS 104.

*Beneficia Israelitico populo collata celebrantur & enumerantur : futurorum typus.*

1. CONfitémini DÓMINO, & invocáte nomen ejus : * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

2. Cantáte ei, & psállite ei ; * narráte ómnia mirabília ejus.

3. Laudámini in nómine sancto ejus ; * lætétur cor quæréntium DÓMINUM.

4. Quærite DÓMINUM, & confirmámini; * quærite fáciem ejus semper.

5. Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, * prodígia ejus, & judícia oris ejus:

6. Semen Abraham, servi ejus ; * fílii Jacob, electi ejus.

7. Ipse DÓMINUS Deus noster ; * in universâ terrâ judícia ejus.

8. Memor fuit in sǽculum testamenti sui, * verbi quod mandávit in mille generatiónes :

9. Quod dispósuit ad Abraham, * & juramenti sui ad Isaac ;

10. Et státuit illud Jacob in præceptum, * & Israel in testamentum æternum :

11. Dicens : Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hereditátis vestræ :

12. Cùm essent número brevi, * paucíssimi, & íncolæ ejus :

13. Et pertransiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum.

14. Non relíquit hóminem nocére eis ; * & corrípuit pro eis reges.

15. Nolíte tángere christos meos ; * & in Prophétis meis nolíte malignári.

*Ant.* Lætétur cor quæréntium Dóminum.

V. *Divisio Psalmi* 104.

16. VOcávit famem super terram ; * & omne firmamentum panis contrívit:

17. Misit ante eos virũ: * in servum venúmdatus est Joseph.

18. Humiliavérunt in compédibus pedes ejus : * ferrum pertránsiit ánimam ejus, donec veníret verbum ejus.

19. Elóquium DÓMINI inflammávit eum : * misit Rex, & solvit eum ; Princeps populórum, & dimísit eum.

20. Constítuit eum dóminum domûs suæ, * & príncipem omnis possessiónis suæ:

21. Ut erudíret príncipes ejus sicut semetipsum, * & senes ejus prudéntiam docéret.

22. Et intrávit Israel in

Ægyptum; * & Jacob áccola fuit in terrâ Cham;

23. Et auxit pópulum suũ vehementer; * & firmávit eum super inimícos ejus.

24. Convertit cor eórum ut odírent pópulum ejus, * & dolum fácerent in servos ejus.

*Ant.* Quærite Dóminum, & confirmámini: quærite fáciem ejus semper.

VI. *Divisio Psalmi* 104.

25. Misit Móysen servum suum, * Aaron quem elégit ipsum.

26. Pósuit in eis verba signórum suórum, * & prodigiórum in terrâ Cham.

27. Misit ténebras, & obscurávit; * & non exacerbávit sermónes suos.

28. Convertit aquas eórum in sánguinem, * & occídit pisces eórum.

29. Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus Regum ipsórum.

30. Dixit, & venit cœnomyia & scíniphes, * in ómnibus fínibus eórum.

31. Pósuit plúvias eórum grándinem, * ignem comburentem in terrâ ipsórum:

32. Et percussit víneas eórum, & ficúlneas eórum; * & contrívit lignum fínium eórum.

33. Dixit, & venit locusta & bruchus, * cujus non erat númerus:

34. Et comédit omne fœnum in terrâ eórum; * & comédit omnem fructum terræ eórum.

35. Et percussit omne primogénitum in terrâ eórum; * primítias omnis labóris eórum.

36. Et eduxit eos cum argento & auro; * & non erat in tríbubus eórum infirmus.

37. Lætáta est Ægyptus in profectióne eórum; * quia incúbuit timor eórum super eos.

38. Expandit nubem in protectiónem eórum, * & ignem, ut lucéret eis per noctem.

39. Petiérunt, & venit coturnix; * & pane cœli saturávit eos.

40. Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ: * abiérunt in sicco flúmina.

41. Quóniam memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham púerum suum.

42. Et eduxit pópulum suum in exsultatióne, * & electos suos in lætítiâ:

43. Et dedit illis regiónes géntium; * & labóres populórum possedérunt;

44. Ut custódiant justificatiónes ejus, * & legem ejus requírant.

*Ant.* Eduxit pópulum suum in exsultatióne, & electos suos in lætítiâ.

℣. Exsultábit cor meum in salutári tuo: ℟. Cantábo

Dómino, qui bona tríbuit mihi. *Ps.* 12.

ABSOLUTIO. *II. Mach.* 1.

Adapériat Deus cor vestrum in lege suâ, & in præceptis suis, & fáciat pacem. ℟. Amen.

*Benedictiones suprà ad caput Psalterii.*

*Tres Lectiones cum ℟℟. in Proprio.*

## IN II. NOCTURNO.

### I. PSALMUS 105.

*Beneficia Judæis iterùm collata; ingratus eorum animus; oratio ut dispersos Deus congreget.*

1. Confitémini DÓMINO, quóniam bonus; * quóniam in séculum misericórdia ejus.

2. Quis loquétur poténtias DÓMINI, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

3. Beáti qui custódiunt judícium, * & fáciunt justítiam in omni témpore!

4. Memento nostrî, DÓMINE, in beneplácito pópuli tui; * vísita nos in salútari tuo;

5. Ad videndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætandum in lætítiâ gentis tuæ; * ut laudéris cum hereditáte tuâ.

6. Peccávimus cum pátribus nostris; * injuste égimus, iniquitátem fécimus.

7. Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua; * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ;

8. Et irritavérunt ascendentes in mare, * mare rubrum.

9. Et salvávit eos propter nomen suum; * ut notam fáceret poténtiam suam.

10. Et incrépuit mare rubrum, & exsiccátum est; * & deduxit eos in abyssis sicut in deserto.

11. Et salvávit eos de manu odiéntium; * & redémit eos de manu inimíci.

12. Et opéruit aqua tribulantes eos; * unus ex eis non remansit.

13. Et credidérunt verbis ejus; * & laudavérunt laudem ejus.

### II. *Divisio Psalmi* 105.

14. Citò fecérunt, oblíti sunt óperum ejus; * & non sustinuérunt consílium ejus.

15. Et concupiérunt concupiscéntiam in deserto; * & tentavérunt Deum in inaquóso.

16. Et dedit eis petitiónem ipsórum; * & misit saturitátem in ánimas eórum.

17. Et irritavérunt Móysen in castris, * Aaron sanctum DÓMINI.

18. Aperta est terra, & deglutívit Dathan; * & opéruit super congregatiónem Abíron:

19. Et exarsit ignis in sy-

nagóga eórum; * flamma combuſſit peccatóres.

20. Et fecérunt vítulum in Horeb; * & adoravérunt ſcúlptile.

21. Et mutavérunt glóriam ſuam, * in ſimilitúdinem vítuli comedentis fenum.

22. Oblíti ſunt Deum, qui ſalvávit eos; * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terrâ Cham, terribília in mari rubro.

23. Et dixit ut diſpérderet eos, * ſi non Móyſes electus ejus ſtetiſſet in confractióne in conſpectu ejus;

24. Ut avérteret iram ejus, * ne diſpérderet eos.

25. Et pro níhilo habuérunt terram deſiderábilē: * non crediderunt verbo ejus.

26. Et murmuravérunt in tabernáculis ſuis: * non exaudiérunt vocem Dómini.

27. Et elevávit manum ſuam ſuper eos; * ut proſtérneret eos in deſerto:

28. Et ut dejíceret ſemen eórum in natiónibus; * & diſpérgeret eos in regiónibus.

29. Et initiáti ſunt Beélphegor, * & comedérunt ſacrifícia mortuórum.

30. Et irritavérunt eum in adinventiónibus ſuis; * & multiplicáta eſt in eis ruína.

31. Et ſtetit Phínees, & placávit; * & ceſſávit quaſſatio.

32. Et reputátum eſt ei in juſtítiam, * in generatiónem & generatiónem, uſque in ſempiternum.

33. Et irritavérunt eum ad aquas contradictiónis; * & vexátus eſt Móyſes propter eos.

34. Quia exacerbavérunt ſpíritum ejus; * & diſtinxit in lábiis ſuis.

III. *Diviſio Pſalmi* 105.

35. NOn diſperdidérunt gentes, * quas dixit Dóminus illis.

36. Et commixti ſunt inter gentes, & didicérunt ópera eórum; & ſerviérunt ſculptílibus eórum; * & factum eſt illis in ſcándalum.

37. Et immolavérunt fílios ſuos & fílias ſuas dæmóniis; * & effudérunt ſánguinem innocentem:

38. Sánguinem filiórum ſuórum & filiárum ſuárum, * quas ſacrificavérunt ſculptílibus Chánaan.

39. Et infecta eſt terra in ſanguínibus; & contamináta eſt in opéribus eórum; * & fornicáti ſunt in adinventiónibus ſuis.

40. Et irátus eſt furóre Dóminus in pópulum ſuum; * & abominátus eſt hereditátem ſuam.

41. Et trádidit eos in manus géntium, * & dominári ſunt eórum qui odérūt eos.

42. Et tribulavérunt eos inimíci eórum, * & humi-

liáti sunt sub mánibus eórum.

43. Sæpè liberávit eos: * ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo, & humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

44. Et vidit cùm tribularentur; * & audívit oratiónem eórum.

45. Et memor fuit testamenti sui; * & pœnítuit eum secundùm multitúdinem misericórdiæ suæ.

46. Et dedit eos in misericórdias, * in conspectu ómnium qui céperant eos.

47. Salvos nos fac, DÓMINE Deus noster, * & cóngrega nos de natiónibus;

48. Ut confiteámur nómini sancto tuo, * & gloriémur in laude tuâ.

49. Benedictus DÓMINUS Deus Israel à século & usque in séculum; * & dicet omnis pópulus: Fiat, fiat.

IV. PSALMUS 106.

*Canticum benedictionis pro Dei misericordiis, variisque ab illo acceptis beneficiis.*

1. CONfitémini DÓMINO, quóniam bonus; * quóniam in séculum misericórdia ejus.

2. Dicant qui redempti sunt à DÓMINO, * quos redémit de manu inimíci;

3. Et de regiónibus congregávit eos, * à solis Ortu & Occásu, ab Aquilóne & Mari.

4. Erravérunt in solitúdine, in inaquóso; * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

5. Esurientes & sitientes; * ánima eórum in ipsis defécit.

6. Et clamavérunt ad DÓMINUM, cùm tribularentur; * & de necessitátibus eórum erípuit eos.

7. Et deduxit eos in viam rectam; * ut irent in civitátem habitatiónis.

8. Confiteantur DÓMINO misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus filiis hóminum;

9. Quia satiávit ánimam inánem, * & ánimam esurientem satiávit bonis.

10. Sedentes in ténebris & umbrâ mortis, * vinctos in mendicitáte & ferro;

11. Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * & consílium Altíssimi irritavérunt.

12. Et humiliátum est in labóribus cor eórum; * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

13. Et clamavérunt ad DÓMINUM, cùm tribularentur, * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

14. Et eduxit eos de ténebris & umbrâ mortis; * & víncula eórum disrúpit.

15. Confiteantur DÓMINO misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus filiis hóminum;

16. Quia contrívit portas æreas, * & vectes férreos confrégit.

V. *Divisio Psalmi* 106.

17. SUscépit eos de viâ iniquitátis eórum; * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

18. Omnem escam abomináta est ánima eórum; * & appropinquavérunt usque ad portas mortis.

19. Et clamavérunt ad DÓMINUM, cùm tribularentur; * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

20. Misit verbum suum, & sanávit eos; * & erípuit eos de interitiónibus eórum.

21. Confiteántur DÓMINO misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum.

22. Et sacríficent sacrifícium laudis, * & annúntient ópera ejus in exsultatióne.

23. Qui descendunt mare in návibus, * faciéntes operatiónem in aquis multis.

24. Ipsi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profúndo.

25. Dixit, & stetit spíritus procellæ; * & exaltáti sunt fluctus ejus.

26. Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos; * ánima eórum in malis tabescébat.

27. Turbáti sunt & moti sunt sicut ébrius, * & omnis sapiéntia eórum devoráta est.

28. Et clamavérunt ad DÓMINUM, cùm tribularentur; * & de necessitátibus eórum eduxit eos.

29. Et státuit procellam ejus in auram; * & siluérunt fluctus ejus.

30. Et lætáti sunt quia siluérunt; * & deduxit eos in portum voluntátis eórũ.

31. Confiteántur DÓMINO misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum.

32. Et exaltent eum in ecclésiâ plebis; * & in cáthedrâ seniórum laudent eum.

VI. *Divisio Psalmi* 106.

33. POsuit flúmina in desertum, * & éxitus aquárum in sitim;

34. Terram fructíferam in salsúginem, * à malítiâ inhabitántium in eâ.

35. Pósuit desertum in stagna aquárum, * & terram sine aquâ in éxitus aquárum.

36. Et collocávit illìc esurientes; * & constituérunt civitátem habitatiónis.

37. Et seminavérũt agros, & plantavérunt víneas; * & fecérunt fructum nativitátis.

38. Et benedixit eis, & multiplicáti sunt nimìs; * & jumenta eórum non minorávit.

39. Et pauci facti sunt; *

& vexáti sunt à tribulatióne malórum & dolóre.

40. Effúsa est contémptio super príncipes; * & erráre fecit eos in ínvio, & non in viâ.

41. Et adjúvit páuperem de inópiâ; * & pósuit sicut oves famílias.

42. Vidébunt recti, & lætabuntur; * & omnis iníquitas oppilábit os suum.

43. Quis sápiens, & custódiet hæc; * & intélliget misericórdias DÓMINI?

*Ant.* Quis sápiens, & custódiet hæc; & intélliget misericórdias Dómini?

LECTIO. *II. Tim.* 1.

DEus nos liberávit & vocávit vocatióne suâ sanctâ, non secundùm ópera nostra, sed secundùm propósitum suum & grátiam quæ data est nobis in Christo Jesu ante témpora seculária; manifestáta est autem nunc per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi.

℟. Deo grátias.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis; sed nómini tuo da glóriam, ℟. Super misericórdiâ tuâ & veritáte tuâ. *Ps.* 113.

Kyrie, eleéson. Christe, eleéson. Kyrie, eleéson. Pater noster. *secretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Orémus. *Collecta infrà ad Laudes.* ℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

*In Festis trium Lectionum Invitatorium, Hymnus, Lectio, Versus & Collecta habentur in Proprio, vel in Communi Sanctorum. Sic dicitur & terminatur Officium nocturnum in Feriis & privatis diebus.*

---

## AD LAUDES.

Deus, † in adjutórium.

*Psalmus 66.* Deus misereátur nostri. *pag.* 14. *& sic in aliis Feriis.*

### I. PSALMUS 135.

*Dei Creatoris beneficia; misericordiam ejus commendant.*

1. COnfitémini DÓMINO, quóniam bonus; * quóniam in ætcrnum misericórdia ejus.

2. Confitémini Deo deórum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

3. Confitémini Dómino dominórum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

4. Qui facit mirabília magna solus; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

5. Qui fecit cœlos in intellectu; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

6. Qui firmávit terram super aquas; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

7. Qui fecit luminária

magna; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

8. Solem in potestátem diéi; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

9. Lunam & stellas in potestátem noctis;* quóniam in ætérnũ misericórdia ejus.

*Ant.* B nus Dóminus; in ætérnum misericórdia ejus.

II. *Divisio Psalmi* 135.

(CONfitémini Dómino, quóniam bonus; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:)

10. Qui percussit Ægyptum cum primogénitis eórum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

11. Qui eduxit Israel de médio eórum; * quóniam in ætérnũ misericórdia ejus:

12. In manu potenti & bráchio excelso; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

13. Qui divísit mare rubrum in divisiónes; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

14. Et eduxit Israel per médium ejus; * quóniam in ætérnũ misericórdia ejus:

15. Et excussit Pharaónem & virtútem ejus in mari rubro; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

16. Qui traduxit pópulum suum per desertum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

17. Qui percussit Reges magnos; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

18. Et occídit Reges fortes; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

19. Sehon Regem Amorrhæórum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

20. Et Og Regem Basan; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

21. Et dedit terram eórum hereditátem; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

22. Hereditátem Israel servo suo; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

23. Quia in humilitáte nostrâ memor fuit nostrî;* quóniam in ætérnum misericórdia ejus:

24. Et redémit nos ab inimícis nostris; * quóniam in ætérnũ misericórdia ejus:

25. Qui dat escam omni carni; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

26. Confitémini Deo cœli; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

*Ant.* Dóminus in humilitáte nostrâ memor fuit nostrî; & redémit nos ab inimícis nostris.

III. CANTICUM MOYSIS I. *Exod.* 15.

*Israel ab Ægypto liberatus grates Deo rependit: Christianus baptismo ablutus, Christi victoris laudes celebrat.*

1. CAntémus DÓMINO; gloriósè enim magnificátus est; * equum &

ascensórem dejécit in mare.

2. Fortitúdo mea & laus mea DÓMINUS; * & factus est mihi in salútem.

3. Iste Deus meus, & glorificábo eum; * Deus patris mei, & exaltábo eum.

4. DÓMINUS quasi vir pugnator: * OMNÍPOTENS, nomen ejus.

5. Currus Pharaónis, & exércitum ejus projécit in mare: * electi príncipes ejus submersi sunt in mari rubro.

6. Abyssi operuérũt eos; * descendérunt in profundum quasi lapis.

7. Déxtera tua, DÓMINE, magnificáta est in fortitúdine; * déxtera tua, DÓMINE, percussit inimícum:

8. Et in multitúdine glóriæ tuæ deposuisti adversários tuos: * misisti iram tuam, quæ devorávit eos sicut stípulam.

9. Et in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ; stetit unda fluens; * congregátæ sunt abyssi in médio mari.

10. Dixit inimícus: Pérsequar & comprehendam; * dívidam spólia; implébitur ánima mea:

11. Evaginábo gládium meum; * interfíciet eos manus mea.

12. Flavit spíritus tuus, & opéruit eos mare; * submersi sunt quasi plumbum in aquis veheméntibus.

*Ant.* Fortitúdo mea & laus mea Dóminus, & factus est mihi in salútem.

IV. *Divisio Cantici.*

13. QUis símilis tuî in fórtibus, DÓMINE? quis símilis tuî? * magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília.

14. Extendisti manum tuam, * & devorávit eos terra.

15. Dux fuisti in misericórdiâ tuâ pópulo, quem redemisti, * & portasti eum in fortitúdine tuâ ad habitáculum sanctum tuum.

16. Ascendérunt pópuli, & iráti sunt; * dolóres obtinuérunt habitatóres Philisthiim.

17. Tunc conturbáti sunt príncipes Edom; robustos Moab obtínuit tremor; * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

18. Irruat super eos formído & pavor, * in magnitúdine bráchii tui:

19. Fiant immóbiles quasi lapis, donec pertránseat pópulus tuus, DÓMINE, * donec pertránseat pópulus tuus iste quem possedisti.

20. Introdúces eos, & plantábis in monte hæreditátis tuæ, * firmíssimo habitáculo tuo, quod operátus es, DÓMINE:

21. Sanctuárium tuum, Dómine, * quod firmavérunt manus tuæ.

22. DÓMINUS regnábit * in ætérnum & ultrà.

23. Ingressus est enim eques Pharao cum cúrribus & equítibus ejus in mare,* & reduxit super eos Dómi-nus aquas maris:

24. Filii autem Israel ambulavérunt per siccum * in médio ejus.

*Ant.* Magníficus in sanctitáte Dóminus, & fáciens mirabília.

V. Psalmus 134.

*Israel beneficiis cumulatus: idolorum vanitas.*

1. Laudáte nomen Dómini: * laudáte, servi, Dóminum;

2. Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri.

3. Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus; * psállite nómini ejus, quóniam suáve.

4. Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus, * Israel in possessiónem sibi.

5. Quia ego cognóvi quòd magnus est Dóminus, * & Deus noster præ ómnibus diis.

6. Omnia quæcumque vóluit, Dóminus fecit, * in cœlo & in terrâ, in mari & in ómnibus abyssis:

7. Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit:

8. Qui prodúcit ventos de thesauris suis; * qui percussit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus:

9. Et misit signa & prodígia in médio tuî, Ægypte: * in Pharaónem, & in omnes servos ejus:

10. Qui percussit gentes multas, * & occídit Reges fortes;

11. Sehon Regem Amorrhæórum, & Og Regem Basan, * & ómnia regna Chánaan:

12. Et dedit terram eórum hereditátem, * hereditátem Israel pópulo suo.

13. Dómine, nomen tuum in æternum; * Dómine, memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

14. Quia judicábit Dóminus pópulum suum; * & in servis suis deprecábitur.

15. Simulácra géntium argentum & aurum, * ópera mánuum hóminum.

16. Os habent, & non loquentur; * óculos habent, & non vidébunt.

17. Aures habent, & non áudient; * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

18. Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confidunt in eis.

19. Dómus Israel, benedícite Dómino; * domus Aaron, benedícite Dómino.

20. Domus Levi, benedícite Dómino; * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

21. Benedictus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Jerúsalem.

*Ant.* Omnia quæcumque vóluit, Dóminus fecit in cœlo & in terrâ.

LECTIO. *Ephes.* 3.

EI qui potens est ómnia fácere superabundanter quàm pétimus, aut intellígimus, secundùm virtútem quæ operátur in nobis: ipsi glória in Ecclésiâ, & in Christo Jesu, in omnes generatiónes séculi seculórum. Amē. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Deus, in sancto via tua; * Quis Deus magnus sicut Deus noster? ℟. Deus. ℣. Tu es Deus, qui facis mirabília. * Quis. ℣. Glória. ℟. Deus. *Ps.* 76.

HYMNUS. *C.*

NIl láudibus nostris eges;
Sed filios amas, Pater;
Multâque cœlestem prece
Vis provocári grátiam.

Tui profunda cónsilî
Noctis canat siléntium:
Tuæ jubar cleméntiæ
Splendor diéi prædicat.

Tantis minor miráculis
Mens óbstupet, vox déficit:
Tacére sed totis nequit
Amor medullis æstuans.

Erumpat ergo: te memor
Clamet parentem, qui mala
Præsentis ævi mítigas,
Spondes futúri præmia.

Huc vota tendunt córdiū;
Infirma, sed tardat caro:
Quæ ducit ad te, da sequi,
Dux ipse JESU, sémitam.

Tibi, Pater, cum Filio,
Almo simul cum Spíritu,
Deo perenni, próvido,
Honor, decus, laus, glória.
Amen.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Deus, qui dives est in misericórdiâ, propter nímiam caritátem suam quâ dilexit nos, & cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo. *Ephes.* 2.

*Litania ut in Dominicâ.*

COLLECTA. *Sacr. Ambros.*

LArgíre nobis, Dómine, grátiam tuam, quæ nos prævéniat ut benè agámus, subsequátur ne frustrà agámus, † accendat intentiónem quâ ad bona ópera peragenda inardescat, * tríbuat efficáciam, quâ hæc ad perfectum perdúcere valeámus: Per Dóminum.

*Hæc Collecta ad omnes Horas dicitur in Officio feriali, nisi habeatur propria. Et sic in aliis Feriis.*

---

AD PRIMAM.

Deus, † in adjutórium.

*Hymnus*, Jam lucis orto sídere. *pag.* 19. *Et sic in aliis Feriis.*

*Ex Psalmo* 118.

81. DEfécit in salutáre tuū ánima mea; * & in verbum tuum supersperávi.

82. Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, dicentes: * Quando consoláberis me?

83. Quia factus sum sicut uter in pruínâ: * justificatiónes tuas non sum oblítus.

84. Quot sunt dies servi tui? * quando fácies de persequéntibus me judícium.

85. Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes; * sed non ut lex tua.

86. Omnia mandáta tua véritas: * iníquè persecúti sunt me; ádjuva me.

87. Paulò minùs consummavérunt me in terrâ; * ego autem non derelíqui mandáta tua.

88. Secundùm misericórdiam tuam vivífica me; * & custódiam testimónia oris tui.

89. IN æternum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

90. In generatiónem & generatiónem véritas tua: * fundasti terrã, & pérmanet.

91. Ordinatióne tuâ persevérat dies; * quóniam ómnia sérviunt tibi.

92. Nisi quòd lex tua meditátio mea est; * tunc fortè periissẽ in humilitáte meâ.

93. In æternum non oblivíscar justificatiónes tuas; * quia in ipsis vivificasti me.

94. Tuus sum ego; salvum me fac: * quóniam justificatiónes tuas exquisívi.

95. Me exspectavérunt peccatóres ut pérderẽt me; * testimónia tua intellexi.

96. Omnis consummatiónis vidi finem: * latum mandátum tuum nimìs.

97. QUómodò dilexi legem tuam, Dómine! * totâ die meditátio mea est.

98. Super inimícos meos prudentem me fecisti mandáto tuo; * quia in æternum mihi est.

99. Super omnes docentes me intellexi; * quia testimónia tua meditátio mea est.

100. Super senes intellexi; * quia mandáta tua quæsívi.

101. Ab omni viâ malâ prohíbui pedes meos; * ut custódiam verba tua.

102. A judíciis tuis non declinávi; * quia tu legem posuisti mihi.

103. Quàm dúlcia fáucibus meis elóquia tua! * super mel ori meo.

104. A mandátis tuis intellexi; * proptéreà odívi omnem viam iniquitátis.

*Ant.* Secundùm misericórdiam tuam vivífica me; & custódiam testimónia oris tui.

*Lectio, Versus, Litania & Officium Capituli ut in Dominicâ, pag. 22.*

---

AD TERTIAM.

Deus, † in adjutórium.

*Hymnus*, O fons amóris, Spíritus. *pag.* 24.

*Ex Psalmo* 118.

105. LUcerna pédibus meis verbum tuum, * & lumen sémitis meis.

106.

106. Jurávi, & státui, * custodíre judícia justítiæ tuæ.

107. Humiliátus sum usquequáque, Dómine: * vivífica me secundùm verbum tuum.

108. Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine; * & judícia tua doce me.

109. Anima mea in mánibus meis semper; * & legem tuam non sum oblítus.

110. Posuérunt peccatóres láqueum mihi; * & de mandátis tuis non errávi.

*111.* Hereditáte acquisívi testimónia tua in æternũ; * quia exsultátio cordis mei sunt.

112. Inclinávi cor meum ad faciendas justificatiónes tuas in æternum, * propter retributiónem.

113. INíquos ódio hábui; * & legem tuã dilexi.

114. Adjútor & susceptor meus es tu; * & in verbum tuum supersperávi.

115. Declináte à me, maligni; * & scrutábor mandáta Dei mei.

116. Súscipe me secundùm elóquium tuum, & vivam; * & non confundas me ab exspectatióne meâ.

117. Adjuva me, & salvus ero; * & meditábor in justificatiónibus tuis sẽper.

118. Sprevisti omnes discedentes à judíciis tuis; * quia injusta cogitátio eorũ.

119. Prævaricantes reputávi omnes peccatóres terræ; * ideò dilexi testimónia tua.

120. Confige timóre tuo carnes meas; * à judíciis enim tuis tímui.

121. FEci judícium & justítiam: * non tradas me calumniántibus me.

122. Súscipe servum tuum in bonum: * non calumnientur me supérbi.

123. Oculi mei defecérunt in salutáre tuum, * & in elóquium justítiæ tuæ.

124. Fac cum servo tuo secundùm misericórdiam tuam; * & justificatiónes tuas doce me.

125. Servus tuus sum ego: * da mihi intellectum, ut sciam testimónia tua.

126. Tempus faciendi, Dómine: * dissipavérunt legem tuam.

127. Ideò dilexi mandáta tua, * super aurum & topázion.

128. Proptéreà ad ómnia mandáta tua dirigébar: * omnem viam iníquam ódio hábui.

*Ant.* Súscipe me, Dómine, secundùm elóquium tuum, & vivam.

LECTIO. *I. Joan.* 4.

NOs cognóvimus & credídimus caritáti quam habet Deus in nobis. † Deus cáritas est; * & qui manet in caritáte, in Deo manet, & Deus in eo.

℣. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: ℟. Dóminus firmamentum meum,

& refúgium meum, & libérátor meus. *Ps.* 17.

---

AD SEXTAM.

Deus, † in adjutórium.

*Hymnus*, Nunc solis excelsum jubar. *pag.* 26.

*Ex Psalmo* 118.

129. MIrabília testimónia tua; * ídeò scrutáta est ea ánima mea.

130. Declarátio sermónum tuórum illúminat; * & intelléctum dat párvulis.

131. Os meum apérui, & adtraxi spíritum; * quia mandáta tua desiderábam.

132. Adspice in me, & miserére meî, * secundùm judícium diligéntium nomen tuum.

133. Gressus meos dírige secundùm elóquium tuũ; * & non dominétur meî omnis injustítia.

134. Rédime me à calúmniis hóminum; * ut custódiam mandáta tua.

135. Fáciem tuam illúmina super servum tuum; * & doce me justificatiónes tuas.

136. Exitus aquárum deduxérunt óculi mei; * quia non custodiérunt legem tuã.

137. JUstus es, DÓMINE; * & rectum judícium tuum.

138. Mandasti justítiam testimónia tua, * & veritátem tuam nimìs.

139. Tabéscere me fecit zelus meus; * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

140. Ignítum elóquium tuum vehementer, * & servus tuus diléxit illud.

141. Adolescéntulus sum ego & contemptus: * justificatiónes tuas non sum oblítus.

142. Justítia tua, justítia in ætérnum; * & lex tua véritas.

143. Tribulátio & angústia invenérunt me: * mandáta tua meditátio mea est.

144. Æquitas testimónia tua in ætérnum: * intelléctum da mihi, & vivam.

145. CLamávi in toto corde meo, exaudi me, DÓMINE: * justificatiónes tuas requíram.

146. Clamávi ad te, salvum me fac; * ut custódiam mandáta tua.

147. Prævéni in immaturitáte, & clamávi, * quia in verba tua supersperávi;

148. Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo; * ut meditárer elóquia tua.

149. Vocem meam audi secundùm misericórdiam tuam, DÓMINE, * & secundùm judícium tuum vivífica me.

150. Appropinquavérunt persequentes me iniquitáti; * à lege autem tuâ longè facti sunt.

151. Propè es tu, DÓMINE; * & omnes viæ tuæ véritas.

152. Inítio cognóvi de testimóniis tuis, * quia in ætérnum fundasti ea.

*Ant.* Greſſus meos dírige, Dómine, ſecundùm elóquium tuum.

Lectio. *Epheſ.* 2.

GRátiâ eſtis ſalváti per fidem; & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt; † non ex opéribus, ut ne quis gloriétur: * ipsíus enim ſumus factúra, creáti in Chriſto Jeſu in opéribus bonis, quæ præparávit Deus ut in illis ambulémus.

℣. Tuus ſum ego, Dómine; ſalvum me fac: ℟. Quóniam juſtificatiónes tuas exquisívi. *Pſ.* 118.

---

## AD NONAM.

Deus, † in adjutórium.

*Hymnus*, Prono volútus ímpetu. *pag.* 27.

*Ex Pſalmo* 118.

153. VIde humilitátem meam, & éripe me; * quia legem tuam non ſum oblítus.

154. Júdica judícium meũ, & rédime me: * propter elóquium tuum vivífica me.

155. Longè à peccatóribus ſalus; * quia juſtificatiónes tuas non exquiſiérunt.

156. Miſericórdiæ tuæ multæ, Dómine: * ſecundùm judícium tuum vivífica me.

157. Multi qui perſequuntur me, & tríbulant me: * à teſtimóniis tuis non declinávi.

158. Vidi prævaricantes, & tabeſcébam; * quia elóquia tua non cuſtodiérunt.

159. Vide quóniam mandáta tua dilexi, Dómine: * in miſericórdiâ tuâ vivífica me.

160. Princípium verbórum tuórum véritas: * in ætернum ómnia judícia juſtítiæ tuæ.

161. PRíncipes perſecúti ſunt me gratìs; * & à verbis tuis formidávit cor meum.

162. Lætábor ego ſuper elóquia tua, * ſicut qui invénit ſpólia multa.

163. Iniquitátem ódio hábui, & abominátus ſum; * legem autem tuam dilexi.

164. Sépties in die laudem dixi tibi, * ſuper judícia juſtítiæ tuæ.

165. Pax multa diligéntibus legem tuam; * & non eſt illis ſcándalum.

166. Exſpectábam ſalutáre tuum, Dómine; * & mandáta tua dilexi.

167. Cuſtodívit ánima mea teſtimónia tua; * & dilexit ea vehementer.

168. Servávi mandáta tua & teſtimónia tua; * quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.

169. APpropinquet deprecátio mea in conſpectu tuo, Dómine: * juxta elóquium tuum, da mihi intellectum.

170. Intret poſtulátio mea in conſpectu tuo: * ſecundùm elóquiũ tuũ éripe me.

171. Eructábunt lábia mea hymnum; * cùm docúeris me justificatiónes tuas.

172. Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum; * quia ómnia mandáta tua æquitas.

173. Fiat manus tua ut salvet me;* quóniam mandáta tua elégi.

174. Concupívi salutáre tuum, DÓMINE; * & lex tua meditátio mea est.

175. Vivet ánima mea, & laudábit te; * & judícia tua adjuvábunt me.

176. Errávi, sicut ovis quæ périit: * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

*Ant.* Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine: secundùm judícium tuum vivífica me.

LECTIO. *Hebr.* 4.

ADeámus cum fidúciâ ad thronum grátiæ; † ut misericórdiam consequámur, * & grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

℣. Expandi manus meas ad te, Dómine: ℟. Anima mea sicut terra sine aquâ tibi. *Ps.* 142.

---

AD VESPERAS.

Deus, † in adjutórium.

I. PSALMUS 113.

*Ecclesiæ per Christum liberatio: Idolorum vanitas: Israelis spes.*

1. IN éxitu Israel de Ægypto, * domûs Jacob de pópulo bárbaro.

2. Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israel potestas ejus.

3. Mare vidit, & fugit:* Jordánis conversus est retrorsùm.

4. Montes exsultavérunt ut aríetes; * & colles, sicut agni óvium.

5. Quid est tibi, mare, quòd fugisti? * & tu, Jordánis, quia conversus es retrorsùm?

6. Montes, exsultastis sicut aríetes; * & colles, sicut agni óvium?

7. A fácie Dómini mota est terra, * à fácie Dei Jacob,

8. Qui convertit petram in stagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

9. Non nobis, DÓMINE, non nobis, sed nómini tuo da glóriam, * super misericórdiâ tuâ & veritáte tuâ;

10. Ne quando dicant gentes: * Ubi est Deus eórum?

11. Deus autem noster in cœlo: * ómnia quæcumque vóluit, fecit.

12. Simulácra géntium argentum & aurum, * ópera mánuum hóminum.

13. Os habent, & non loquentur: * óculos habent, & non vidébunt.

14. Aures habent, & non áudient; * nares habent, & non odorábunt.

15. Manus habent, & non palpábunt; pedes habent, & non ambulábunt;*

non clamábunt in gútture suo.

16. Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

17. Domus Israel sperávit in Dómino; * adjútor eórum & protector eórum est.

18. Domus Aaron sperávit in Dómino; * adjútor eórum & protector eórum est.

19. Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino; * adjútor eórum & protector eórum est.

20. Dóminus memor fuit nostrî; * & benedixit nobis:

21. Benedixit dómui Israel; * benedixit dómui Aaron.

22. Benedixit ómnibus qui timent Dóminum, * pusillis cum majóribus.

23. Adjíciat Dóminus super vos, * super vos, & super filios vestros.

24. Benedicti vos à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

25. Cœlum cœli Dómino; * terram autem dedit filiis hóminum.

26. Non mórtui laudábunt te, Dómine, * neque omnes qui descendunt in infernum.

27. Sed nos, qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc & usque in séculum.

*Ant.* Deus noster in cœlo; ómnia quæcumque vóluit, fecit.

II. Psalmus 114.

*Vox Ecclesiæ militantis: tribulationes præsentis vitæ, æternæ desiderium.*

1. Dilexi; quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

2. Quia inclinávit aurem suam mihi; * & in diébus meis invocábo.

3. Circumdedérunt me dolóres mortis; & perícula inferni invenérunt me; * tribulatiónem & dolórem invéni:

4. Et nomen Dómini invocávi: * O Dómine, líbera ánimam meam.

5. Miséricors Dóminus, & justus; * & Deus noster miserétur.

6. Custódiens párvulos Dóminus: * humiliátus sum, & liberávit me.

7. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; * quia Dóminus benefécit tibi;

8. Quia erípuit ánimam meam de morte, óculos meos à lácrymis, * pedes meos à lapsu.

9. Placébo Dómino * in regióne vivórum.

*Ant.* Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; quia Dóminus benefécit tibi.

III. Psalmus 125.

*E captivitate redux Israel in Deo exsultat.*

1. In convertendo Dóminus captivitátē Sion, * facti sumus sicut consoláti:

2. Tunc replétum est

9. Exaudívit DÓMINUS deprecatiónem meam : * DÓMINUS oratiónem meã suscépit.

10. Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimíci mei : * convertantur, & erubescant valdè velóciter.

PSALMUS 7.

*Injuriæ non rependendæ : salus Justos manet, malos interitus.*

1. DOMINE Deus meus, in te sperávi : * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, & líbera me.

2. Nequando rápiat ut leo ánimam meam; * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

3. DÓMINE Deus meus, si feci istud; * si est iníquitas in mánibus meis :

4. Si réddidi retribuéntibus mihi mala; * décidam méritò ab inimícis meis inánis :

5. Persequátur inimícus ánimam meam, & comprehendat, & conculcet in terrâ vitam meam, * & glóriam meam in púlverem dedúcat.

6. Exsurge, DÓMINE, in irâ tuâ; * & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

7. Et exsurge, Dómine Deus meus, * in præcepto quod mandasti.

8. Et synagóga populórum circúmdabit te; * & propter hanc in altum regrédere.

9. DÓMINUS júdicat pópulos; júdica me, DÓMINE, secundùm justítiam meam, * & secundùm innocéntiam meam super me.

10. Consummétur nequítia peccatórum; & diriges justum; * scrutans corda & renes, Deus.

11. Justum adjutórium meum à Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

*Divisio Psalmi 7.*

12. DEus judex justus, fortis & pátiens:* numquid iráscitur per síngulos dies?

13. Nisi conversi fuéritis, gládium suum vibrábit : * arcum suum tetendit, & parávit illum.

14. Et in eo parávit vasa mortis; * sagittas suas ardéntibus effécit.

15. Ecce partúriit injustítiam, * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

16. Lacum apéruit, & effódit eum; * & íncidit in fóveam quam fecit.

17. Convertétur dolor ejus in caput ejus; * & in vérticem ipsíus iníquitas ejus descendet.

18. Confitébor DÓMINO secundùm justítiam ejus; * & psallam nómini DÓMINI altíssimi.

*Cant.* Nunc dimittis, *p.* 33.

*Reliqua ut in Dominicâ, & sic in aliis Feriis.*

## FERIA TERTIA.

*Christus docens: dilectio proximi.*

## AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Deũ pacis & dilectiónis, * Veníte, adorémus. *II. Cor.* 13.

HYMNUS. *C.*

JUbes; &, in præceps aquis
Repentè confluéntibus,
Prodit sub auras húmidis
Exúta velis Arida.

Hanc tu colendã qui tuis,
Pater, dedisti filiis;
Quos orbis unus cóntinet,
Fac una jungat cáritas.

Nunc exulámus; sed tuã
Mox congregábis in domũ,
Te patre dignos, qui pio
Amóre fratres víxerint.

At, qui malignis ártibus,
Linguísque lædũt próximũ,
A te repelles: hoc genus
Cœlestis aula non capit.

En ipsa tellus ímprobos
Dudùm labórans sústinet,
Ardetque non suæ jugo
Corruptiónis éximi.

Adoptiónem nos quoque
Efflagitámus íntegram,
Cui nos sacráto Spíritus
Prædestinávit pígnore.

Æterna laus & glória
Uni sit & Trino Deo,
Diffúsa per quem córdibus
Fraterna regnat cáritas.
Amen.

## IN I. NOCTURNO.

I. PSALMUS 35.

*Impiorum malitia; justitia Dei; Justorum gloria.*

1. DIxit injustus ut delinquat in semetipso: * non est timor Dei ante óculos ejus.

2. Quóniam dolósè egit in conspectu ejus; * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

3. Verba oris ejus iníquitas & dolus: * nóluit intellígere, ut benè ágeret.

4. Iniquitátem meditátus est in cubíli suo; ádstitit omni viæ non bonæ; * malítiam autem non odívit.

5. DÓMINE, in cœlo misericórdia tua; * & véritas tua usque ad nubes.

6. Justítia tua sicut montes Dei: * judícia tua abyssus multa.

7. Hómines & jumenta salvábis, DÓMINE: * quemádmodùm multiplicasti misericórdiam tuam, Deus!

8. Fílii autem hóminum, * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

9. Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ; * & torrente voluptátis tuæ potábis eos.

10. Quóniam apud te est fons vitæ; * & in lúmine tuo vidébimus lumen.

11. Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, *

& justítiam tuam his qui recto sunt corde.

12. Non véniat mihi pes supérbiæ; * & manus peccatóris non móveat me.

13. Ibi cecidérunt qui operantur iniquitátem: * expulsi sunt, nec potuérunt stare.

*Ant.* Dómine, in cœlo misericórdia tua, & véritas tua usque ad nubes.

II. PSALMUS 36.

*Divino tutus auxilio, huic non invidenda impii prosperitas. Utriusque quàm dispar exitus!*

1. NOli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris faciences iniquitátem;

2. Quóniam tamquam fenum velóciter arescent; * & quemádmodùm ólera herbárum citò décident.

3. Spera in DÓMINO, & fac bonitátem; * & inhábita terram, & pascéris in divítiis ejus.

4. Delectáre in DÓMINO; * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

5. Revéla DÓMINO viam tuam, & spera in eo; * & ipse fáciet.

6. Et edúcet quasi lumen justítiam tuam, * & judícium tuum tamquam merídiem.

7. Súbditus esto DÓMINO, * & ora eum.

8. Noli æmulári in eo qui prosperátur in viâ suâ; * in hómine faciente injustítias.

9. Désine ab irâ, & derelinque furórem: * noli æmulári ut malignéris:

10. Quóniam qui malignantur, exterminabuntur; * sustinentes autem DÓMINUM, ipsi hereditábunt terram.

11. Et adhuc pusillum, & non erit peccátor; * & quæres locum ejus, & non invénies.

12. Mansuéti autem hereditábunt terram; * & delectabuntur in multitúdine pacis.

13. Observábit peccátor justum; * & stridébit super eum déntibus suis.

14. Dóminus autem irridébit eum; * quóniam próspicit quòd véniet dies ejus.

15. Gládium evaginavérunt peccatóres; intendérunt arcum suum: * ut dejíciant páuperem & ínopem; ut trucídent rectos corde.

16. Gládius eórum intret in corda ipsórum, * & arcus eórum confringátur.

*Ant.* Mansuéti hereditábunt terram; & delectabuntur in multitúdine pacis.

III. *Divisio Psalmi 36.*

17. MElius est módicum justo, * super divítias peccatórum multas.

18. Quóniam bráchia peccatórum conterentur; * confirmat autem justos DÓMINUS.

19. Novit DÓMINUS dies immaculatórum; * & he-

réditas eórum in ætemum erit.

20. Non confundentur in témpore malo; * & in diébus famis saturabuntur.

21. Quia peccatóres peribunt; * inimíci verò Dómini [deficient].

22. Mox ut honorificáti fuerint & exaltáti, * deficientes quemádmodùm fumus deficient.

23. Mutuábitur peccátor, & non solvet; * justus autem miserétur, & tribuet.

24. Quia benedicentes ei hereditábunt terram; * maledicentes autem ei dispeníbunt.

25. Apud Dóminum gressus hóminis dirigentur; * & viam ejus volet.

26. Cùm cecíderit, non collidétur; * quia Dóminus suppónit manum suam.

27. Júnior fui, étenim sénui; * & non vidi justũ derelictum, nec semen ejus quærens panem.

28. Totâ die miserétur, & cómmodat; * & semen illíus in benedictióne erit.

*Ant.* Novit Dóminus dies immaculatórum; & heréditas eórum in æternum erit.

IV. *Divisio Psalmi* 36.

29. DEclína à malo, & fac bonum; * & inhábita in séculum séculi.

30. Quia Dóminus amat judícium, & non derelinquet sanctos suos: * in æternum conservabuntur.

31. Injusti punientur; * & semen impiórum peribit.

32. Justi autem hereditábunt terram; * & inhabitábunt in séculum séculi super eam.

33. Os justi meditábitur sapiéntiam; * & lingua ejus loquétur judícium.

34. Lex Dei ejus in corde ipsius; * & non supplantabuntur gressus ejus.

35. Consíderat peccátor justum; * & quærit mortificáre eum:

36. Dóminus autem non derelinquet eum in mánibus ejus; * nec damnábit eum, cùm judicábitur illi.

37. Exspecta Dóminum; * & custódi viam ejus.

38. Et exaltábit te, ut hereditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres, vidébis.

39. Vidi ímpium superexaltátum, * & elevátum sicut cedros Líbani.

40. Et transívi, & ecce non erat; * & quæsívi eum, & non est inventus locus ejus.

41. Custódi innocéntiam, & vide æquitátem; * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

42. Injusti autem dispeníbunt simul: * relíquiæ impiórum interíbunt.

43. Salus autem justórum à Dómino; * & protector eórum in témpore tribulatiónis.

44. Et adjuvábit eos Dó-

MINUS, & liberábit eos; & éruet eos à peccatóribus, & salvábit eos; * quia speravérunt in eo.

*Ant.* Salus justórum à Dómino; & protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

V. PSALMUS 48.

*Homo per peccatum lapsus, divitiis non redimitur; redimet Christus.*

1. Audíte hæc, omnes gentes; * áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem:

2. Quique terrígenæ & filii hóminum, * simul in unum dives & pauper.

3. Os meum loquétur sapiéntiam; * & meditátio cordis mei prudéntiam.

4. Inclinábo in parábolam aurem meam: * apériam in psaltério propositiónem meam.

5. Cur timébo in die malâ? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

6. Qui confídunt in virtúte suâ, * & in multitúdine divitiárum suárum gloriantur.

7. Frater non rédimit, rédimet homo? * non dabit Deo placatiónem suam, & prétium redemptiónis ánimæ suæ:

8. Et laborábit in ætérnum, & vivet adhuc in finem; * non vidébit intéritum?

9. Cùm víderit sapientes morientes: * simul insípiens & stultus períbunt; & relínquent aliénis divítias suas.

10. Et sepulcra eórum domus illórum in ætérnum; tabernácula eórum in progénie & progénie: * vocavérunt nómina sua in terris suis.

11. Et homo, cùm in honóre esset, non intellexit: * comparátus est jumentis insipiéntibus; & símilis factus est illis.

12. Hæc via illórum scándalum ipsis; * & póstea in ore suo complacébunt.

13. Sicut oves in inferno pósiti sunt; * mors depascet eos.

14. Et dominabuntur eórum justi in matutíno; * & auxílium eórum veterascet in inferno à glóriâ eórum.

15. Verùmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

*Ant.* Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, cùm accéperit me.

VI. *Divisio Psálmi* 48.

16. Ne timúeris cùm dives factus fúerit homo; * & cùm multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

17. Quóniam, cùm interíerit, non sumet ómnia; * neque descendet cum eo glória ejus:

18. Quia ánima ejus in vitâ ipsius benedicétur: *

confitébitur tibi, cùm beneféceris ei.

19. Introíbit usque in progénies patrum suórum; * & usque in æternum non vidébit lumen.

20. Homo, cùm in honóre esset, non intellexit:* comparátus est jumentis insipiéntibus; & símilis factus est illis.

*Ant.* Homo, cùm interíerit, non sumet ómnia; neque descendet cum eo glória ejus.

℣. Odisti omnes qui operantur iniquitátem: ℟. Perdes omnes qui loquuntur mendácium. *Ps.* 5.

*Absolutio.* Occurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Fílii Dei; ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Ephes.* 4.

℟. Amen.

*Benedictiones suprà ad caput Psalterii.*

## IN II. NOCTURNO.

I. PSALMUS 51.

*Impios manet interitus; Justos gloria.*

1. QUid gloriáris in malítiâ, *qui potens es in iniquitáte?

2. Totâ die injustítiam cogitávit lingua tua: * sicut novácula acúta fecisti dolum.

3. Dilexisti malítiam super benignitátem, * iniquitátem magìs quàm loqui æquitátem.

4. Dilexisti ómnia verba præcipitatiónis, * linguam dolósam:

5. Proptéreà Deus déstruet te in finem; * evellet te, & emigrábit te de tabernáculo tuo, & radícem tuam de terrâ vivéntium.

6. Vidébunt justi, & timébunt; & super eum ridébunt, & dicent: * Ecce homo qui non pósuit Deum adjutórem suum:

7. Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum; * & præváluit in vanitáte suâ.

8. Ego autem, sicut olíva fructífera in domo Dei, * sperávi in misericórdiâ Dei in æternum, & in séculum séculi.

9. Confitébor tibi in séculum, quia fecisti; * & exspectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspectu Sanctórum tuórum.

II. PSALMUS 78.

*Fideles ab infidelibus vexati, opem Dei poscunt.*

1. DEus, venérunt gentes in hereditátem tuã; polluérunt templum sanctum tuum; * posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

2. Posuérunt morticína servórum tuórum escas volatílibus cœli, * carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

3. Effudérunt sánguinem eórum tamquàm aquam in

circúitu Jerúsalem; * & non erat qui sepelíret.

4. Facti sumus oppróbrium vicínis nostris, * subsannátio & illúsio his qui in circúitu nostro sunt.

5. Usquequò, Dómine, irascéris in finem; * accendétur velut ignis zelus tuus?

6. Effunde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * & in regna quæ nomen tuum non invocavérunt:

7. Quia comedérunt Jacob; * & locum ejus desolavérunt.

8. Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: * citò antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimìs.

9. Adjuva nos, Deus salutáris noster; & propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos, * & propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum:

10. Ne fortè dicant in géntibus: * Ubi est Deus eórum?

11. Et innotescat in natiónibus coram óculis nostris, * últio sánguinis servórum tuórum qui effúsus est.

12. Intróeat in conspectu tuo, * gémitus compeditórum.

13. Secundùm magnitúdinem bráchii tui, * pósside fílios mortificatórum;

14. Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum, * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi, Dómine.

15. Nos autem pópulus tuus, & oves páscuæ tuæ, * confitébimur tibi in séculum:

16. In generatiónem & generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

III. Psalmus 81.

*Diis terræ excelsior Deus: injustè jura administrantibus exitium minatur.*

1. Deus stetit in synagógâ deórum; * in médio autem deos dijúdicat.

2. Usquequò judicátis iniquitátem; * & fácies peccatórum sumitis?

3. Judicáte egéno & pupillo: * húmilem & páuperem justificáte.

4. Erípite páuperem; * & egénum de manu peccatóris liberáte.

5. Nesciérunt, neque intellexérunt; in ténebris ámbulant; * movebuntur ómnia fundamenta terræ.

6. Ego dixi: Dii estis; * & filii Excelsi omnes.

7. Vos autem sicut hómines moriémini; * & sicut unus de princípibus cadétis.

8. Surge, Deus, júdica terram; * quóniam tu hereditábis in ómnibus géntibus.

IV. PSALMUS 82.
*Infidelium adversùs Ecclesiam motus, ipsorumque confusio & interitus.*

1. DEus, quis símilis erit tibi? * ne táceas, neque compescáris, Deus:

2. Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt, * & qui odérũt te, extulérunt caput.

3. Super pópulum tuum malignavérunt consílium;* & cogitavérunt adversùs Sanctos tuos:

4. Dixérunt: Veníte, & disperdámus eos de gente;* & non memorétur nomen Israel ultrà.

5. Quóniam cogitavérunt unanímiter, * simul advérsùm te testamentum disposuérunt:

6. Tabernácula Idumæórum & Ismaelítæ; * Moab & Agaréni:

7. Gebal & Ammon & Amalec; * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

8. Etenim Assur venit cum illis: * facti sunt in adjutórium filiis Lot.

9. Fac illis sicut Mádian & Sisaræ, * sicut Jabin in torrente Cisson.

10. Disperiérunt in Endor: * facti sunt ut stercus terræ.

11. Pone príncipes eórum sicut Oreb & Zeb, * & Zébee & Sálmana;

12. Omnes príncipes eórum qui dixérunt: * Hereditáte possideámus sanctuárium Dei.

13. Deus meus, pone illos ut rotam, * & sicut stípulam ante fáciem venti;

14. Sicut ignis qui combúrit silvam, * & sicut flamma combúrens montes;

15. Ita persequéris illos in tempestáte tuâ; * & in irâ tuâ turbábis eos.

16. Imple fácies eórum ignomíniâ; * & quærent nomen tuum, DÓMINE.

17. Erubescant & conturbentur in séculum séculi, * & confundantur, & péreant.

18. Et cognoscant quia nomen tibi DÓMINUS: * tu solus Altíssimus in omni terrâ.

V. PSALMUS 93.
*Contra violentos oppressores præsertìm judices, Justi à Deo auxilium petunt.*

1. DEus ultiónum Dóminus; * Deus ultiónum líberè egit.

2. Exaltáre qui júdicas terram: * redde retributiónem supérbis.

3. Usquequò peccatóres, DÓMINE, * úsquequò peccatóres gloriabuntur?

4. Effabuntur & loquentur iniquitátem: * loquentur omnes qui operantur injustítiam?

5. Pópulum tuum, DÓMINE, humiliavérunt; * & hereditátem tuam vexavérunt.

6. Víduam & ádvenam interfecérunt; * & pupillos occidérunt:

7. Et dixérunt : Non vidébit DÓMINUS : * nec intélliget Deus Jacob.

8. Intellígite, insipientes in pópulo ; * & stulti, aliquandò sápite.

9. Qui plantávit aurem, non áudiet : * aut qui finxit óculum, non consíderat ?

10. Qui córripit gentes, non árguet, * qui docet hóminem sciéntiam ?

11. DÓMINUS scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

VI. *Divisio Psalmi* 93.

12. BEátus homo, quem tu erudíeris, DÓMINE, * & de lege tuâ docúeris eum :

13. Ut mítiges ei à diébus malis, * donec fodiátur peccatóri fóvea.

14. Quia non repellet DÓMINUS plebem suam ; * & hereditátem suam non derelinquet ;

15. Quoadusque justítia convertátur in judícium ; * & qui juxta illam, omnes qui recto sunt corde.

16. Quis consurget mihi adversùs malignantes ? * aut quis stabit mecum adversùs operantes iniquitátem ?

17. Nisi quia DÓMINUS adjúvit me, * paulò minùs habitasset in inferno ánima mea.

18. Si dicébam, Motus est pes meus ; * misericórdia tua, DÓMINE, adjuvábat me.

19. Secundùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

20. Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcepto ?

21. Captábunt in ánimam justi ; * & sánguinem innocentem condemnábunt.

22. Et factus est mihi DÓMINUS in refúgium, * & Deus meus in adjutórium spei meæ.

23. Et reddet illis iniquitátem ipsórum, & in malítiâ eórum disperdet eos ; * disperdet illos DÓMINUS Deus noster.

*Ant.* Exspectábo nomen tuum, Dómine, quóniam bonum est in conspectu Sanctórum tuórum.

LECTIO. *I. Joan.* 4.

DEus ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiatiónem pro peccátis nostris. Caríssimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debémus altérutrum dilígere. Deum nemo vidit unquàm : si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet ; & cáritas ejus in nobis perfecta est.

℣. Ecce quàm bonum & quàm jucundum, ℟. Habitáre fratres in unum ! *Ps.* 132.

*Collecta infrà ad Laudes.*

## AD LAUDES.

### I. PSALMUS 76.

*Consolatio spiritualis ex fiduciâ in Deum.*

1. VOce meâ ad Dóminum clamávi;* voce meâ ad Deum, & intendit mihi.

2. In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi; mánibus meis nocte contra eum; * & non sum deceptus.

3. Rénuit consolári ánima mea; * memor fui Dei, & delectátus sum; & exercitátus sum, & defécit spíritus meus.

4. Anticipavérunt vigílias óculi mei: * turbátus sum, & non sum locútus.

5. Cogitávi dies antíquos; * & annos æternos in mente hábui.

6. Et meditátus sum nocte cum corde meo; * & exercitábar, & scopébam spíritum meum.

7. Numquid in æternum projíciet Deus? * aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

8. Aut in finem misericórdiam suam abscindet, * à generatióne in generatiónem?

9. Aut obliviscétur miseréri Deus? * aut continébit in irâ suâ misericórdias suas?

10. Et dixi: Nunc cœpi;* hæc mutátio déxteræ Excelsi.

11. Memor fui óperum DÓMINI; * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum:

12. Et meditábor in ómnibus opéribus tuis; * & in adinventiónibus tuis exercébor.

13. Deus, in sancto via tua; quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus, qui facis mirabília.

14. Notam fecisti in pópulis virtútem tuam; * redemisti in bráchio tuo pópulum tuum, filios Jacob & Joseph.

15. Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, & timuérunt; * & turbátæ sunt abyssi.

16. Multitúdo sónitûs aquárum; vocem dedérunt nubes: * étenim sagittæ tuæ tránseunt.

17. Vox tonítrui tui in rotâ: illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ: * commóta est, & contrémuit terra.

18. In mari via tua, & sémitæ tuæ in aquis multis, * & vestígia tua non cognoscentur.

19. Deduxisti sicut oves pópulum tuum, * in manu Moysi & Aaron.

*Ant.* In die tribulatiónis meæ, Deum exquisívi; & non sum deceptus.

pater filiis notam fáciet veritátem tuam.

V. PSALMUS 150.

*Quidquid ſonat, Deum ſonet.*

1. LAudáte Dóminum in ſanctis ejus: * laudáte eum in firmamento virtútis ejus.

2. Laudáte eum in virtútibus ejus: * laudáte eum ſecundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

3. Laudáte eum in ſono tubæ: * laudáte eum in pſaltério & citharâ.

4. Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

5. Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus: laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet DÓMINUM.

*Ant.* Laudáte Dóminum in ſanctis ejus: laudáte eum ſecundùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

LECTIO. *I. Joan.* 2.

MAndátum novũ ſcribo vobis; quod verũ eſt & in Chriſto & in vobis: quia ténebræ tranſiérunt, & verum lumen jam lucet. Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in ténebris eſt uſque adhuc. Qui díligit fratrem ſuum, in lúmine manet, & ſcándalum in eo non eſt.

℟. *br.* Innocens mánibus & mundo corde, * Hic accípiet benedictiónem à Dómino. ℟. Innocens. ℣. Qui non accépit in vano ánimam ſuam, nec jurávit in dolo próximo ſuo. * Hic. ℣. Glória. ℟. Innocens. *Pſ.* 23.

HYMNUS. *C.*

TE príncipem ſummo, Deus,
Jubes amóre díligi:
Tibi ſecundum prótinùs
Jubes amári próximum.

Amóre fundátam tuo
Communiónem réſpice,
Quâ corpus unum plúrimi,
Unum cor, una mens ſumus.

Illam fides & véritas
Amábili ſtipant choro:
Oblíquus hinc livor procul,
Et litis ardor éxſulant.

Tu, pacis autor, mútuos
Adſtringe nexus: da, Pater,
Gaudére fratrum gáudiis,
Da condolére flétibus.

Æterna laus & glória
Uni ſit & Trino Deo,
Qui moris unius ſacrâ
Nos pacis in domo locat.
Amen.

℣. Párticeps ego ſum ómnium timéntiũ te, ℟. Et cuſtodiéntium mandáta tua. *Pſ.* 118.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Diléctio malum non operátur; plenitúdo ergo legis eſt diléctio. *Rom.* 13.

COLLECTA. *Sacr. S. Leon.*

DEus, qui ſacra legis ómnia conſtitúta in tuâ & próximi dilectióne poſuiſti; † da nobis horum propítius * efficiéntiam mandatórum: Per Dóminum.

## AD PRIMAM.

### PSALMUS 14.

*Via in cœlum : innocens vita ; in proximum caritas.*

1. DOMINE, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

2. Qui ingréditur sine máculâ, * & operátur justítiam :

3. Qui lóquitur veritátem in corde suo;* qui non egit dolum in linguâ suâ ;

4. Nec fecit próximo suo malum, * & oppróbrium non accépit adversùs próximos suos :

5. Ad níhilum deductus est in conspectu ejus malignus ; * timentes autem DÓMINUM, gloríficat.

6. Qui jurat próximo suo, & non décipit ; qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * & múnera super innocentem non accépit.

7. Qui facit hæc, * non movébitur in æternum.

### PSALMUS 65.

*Ecclesia à persecutoribus liberata, ad laudes Dei omnes gentes invitat.*

1. JUbiláte Deo, omnis terra ; psalmum dícite nómini ejus ; * date glóriam laudi ejus :

2. Dícite Deo : Quàm terribília sunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentientur tibi inimíci tui.

3. Omnis terra adóret te, & psallat tibi : * psalmum dicat nómini tuo.

4. Veníte, & vidéte ópera Dei, * terríbilis in consíliis super filios hóminum.

5. Qui convertit mare in áridam ; in flúmine pertransíbunt pede : * ibi lætábimur in ipso.

6. Qui dominátur in virtúte suâ in æternum ; óculi ejus super gentes respíciunt :* qui exásperant, non exaltentur in semetipsis.

*Divisio Psalmi 65.*

7. BEnedícite, gentes, Deum nostrum ; * & audítam fácite vocem laudis ejus :

8. Qui pósuit ánimam meam ad vitam ; * & non dedit in commotiónem pedes meos.

9. Quóniam probasti nos, Deus, * igne nos examinasti, sicut examinátur argentum.

10. Induxisti nos in láqueum ; posuisti tribulatiónes in dorso nostro : * imposuísti hómines super cápita nostra.

11. Transívimus per ignem & aquam ; * & eduxisti nos in refrigérium.

12. Introíbo in domum tuam in holocaustis : * reddam tibi vota mea :

13. Quæ distinxérunt lábia mea, * & locútum est

os meum in tribulatióne meâ.

14. Holocausta medulláta ófferam tibi cum incenso aríetum : * ófferam tibi boves cum hircis.

15. Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

16. Ad ipsum ore meo clamávi ; * & exaltávi sub linguâ meâ.

17. Iniquitátem si adspexi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

18. Proptéreà exaudívit Deus ; * & adtendit voci deprecatiónis meæ.

19. Benedictus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam & misericórdiam suam à me.

*Ant.* Benedícite, gentes, Deum nostrum, & audítam fácite vocem laudis ejus.

---

## AD TERTIAM.

### PSALMUS 49.

*Uterque Christi adventus: abrogatio legis ; animæ puritas acceptum Deo sacrificium.*

1. DEus deórum DÓMINUS locútus est ; * & vocávit terram à solis ortu usque ad occásum.

2. Ex Sion spécies decóris ejus : * Deus manifestè véniet, Deus noster, & non silébit.

3. Ignis in conspectu ejus exardescet ; * & in circúitu ejus tempestas válida.

4. Advocábit cœlum desursùm, & terram, * discérnere pópulum suum.

5. Congregáte illi sanctos ejus, * qui órdinant testamentum ejus super sacrifícia :

6. Et annuntiábunt cœli justítiam ejus ; * quóniam Deus judex est.

7. Audi, pópulus meus, & loquar ; Israel, & testificábor tibi : * Deus, Deus tuus ego sum.

8. Non in sacrifíciis tuis árguam te ; * holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

9. Non accípiam de domo tuâ vítulos, * neque de grégibus tuis hircos ;

10. Quóniam meæ sunt omnes feræ silvárum, * jumenta in móntibus & boves.

11. Cognóvi ómnia volatília cœli ; * & pulchritúdo agri mecum est.

12. Si esuríero, non dicam tibi ; * meus est enim orbis terræ & plenitúdo ejus.

13. Numquid manducábo carnes taurórum ? * aut sánguinem hircórum potábo ?

14. Immola Deo sacrifícium laudis ; * & redde Altíssimo vota tua.

15. Et ínvoca me in die tribulatiónis : * éruam te, & honorificábis me.

*Divisio Psalmi 49.*

16. PEccatóri autem dixit Deus : * Quare tu

enarras justítias meas; & assúmis testamentum meũ per os tuum?

17. Tu verò odisti disciplínam; * & projecisti sermónes meos retrorsùm.

18. Si vidébas furem, currébas cum eo; * & cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

19. Os tuum abundávit malítiâ; * & lingua tua concinnábat dolos.

20. Sedens adversùs fratrem tuum loquebáris; * & adversùs filium matris tuæ ponébas scándalum.

21. Hæc fecisti, & tácui; existimasti ínique quòd ero tuî símilis: * árguam te, & státuam contra fáciem tuã.

22. Intellígite hæc, qui obliviscímini Deum; * nequando rápiat, & non sit qui erípiat.

23. Sacrificium laudis honorificábit me; * & illìc iter, quo ostendam illi salutáre Dei.

PSALMUS 53.

*Deus suorum custos & vindex.*

1. DEus, in nómine tuo salvum me fac; * & in virtúte tuâ júdica me.

2. Deus, exaudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei;

3. Quóniam aliéni insurrexérunt adversùm me, & fortes quæsiérunt ánimam meam; * & non proposuérunt Deum ante conspectum suum.

4. Ecce enim Deus ádjuvat me; * & Dóminus suсceptor est ánimæ meæ.

5. Averte mala inimícis meis; * & in veritáte tuâ disperde illos.

6. Voluntárie sacrificábo tibi; * & confitébor nómini tuo, DÓMINE, quóniam bonum est;

7. Quóniam ex omni tribulatióne eripuisti me; * & super inimícos meos despexit óculus meus.

*Ant.* Congregáte Dómino Sanctos ejus, qui órdinant testamentum ejus super sacrificia.

LECTIO. *Jac.* 4.

NOlíte detráhere altérutrum, fratres. † Qui détrahit fratri, aut qui júdicat fratrem suum, détrahit legi, * & júdicat legem.

℣. Dixi: Custódiam vias meas; ℟. Ut non delinquám in linguâ meâ. *Ps.* 38.

---

AD SEXTAM.

PSALMUS 40.

*Christus pro fratribus egens & moriens, resurrectionem suam deposcit & impetrat.*

1. BEátus qui intélligit super egénum & páuperem: * in die malâ liberábit eum DÓMINUS.

2. DÓMINUS consérvet eum, & vivíficet eum, & beátum fáciat eum in terrâ; * & non tradat eum in

ánimam inimicórum ejus.

3. Dóminus opem ferat illi ſuper lectum dolóris ejus: * univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitáte ejus.

4. Ego dixi : Dómine, miſerére meî ; * ſana ánimam meam, quia peccávi tibi.

5. Inimíci mei dixérunt mala mihi : * Quandò moriétur, & períbit nomen ejus ?

6. Et ſi ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur :* cor ejus congregávit iniquitátem ſibi.

7. Egrediebátur forâs, * & loquebátur.

8. In idipſum adverſùm me ſuſurrábant omnes inimíci mei : * adverſùm me cogitábant mala mihi.

9. Verbum iníquum conſtituérunt adverſùm me : * Numquid qui dormit, non adjíciet ut reſurgat ?

10. Etenim homo pacis meæ, in quo ſperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit ſuper me ſupplantatiónem.

11. Tu autem, Dómine, miſerére meî, & reſúſcita me ; * & retríbuam eis.

12. In hoc cognóvi quóniam voluiſti me ; * quóniam non gaudébit inimícus meus ſuper me :

13. Me autem propter innocéntiam ſuſcepiſti ; * & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum.

14. Benedictus Dóminus Deus Iſrael à ſéculo, & uſque in ſéculum : * fiat, fiat.

Psalmus 142.

*Oratio pœnitentis, opem Dei deprecantis.*

1. Dómine, exaudi oratiónem meam ; áuribus pércipe obſecratiónem meam in veritáte tuâ ; * exaudi me in tuâ juſtitiâ.

2. Et non intres in judícium cum ſervo tuo ; * quia non juſtificábitur in conſpectu tuo omnis vivens.

3. Quia perſecútus eſt inimícus ánimam meam ; humiliávit in terrâ vitam meam : * collocávit me in obſcúris ſicut mórtuos ſéculi.

4. Et anxiátus eſt ſuper me ſpíritus meus : * in me turbátum eſt cor meum.

5. Memor fui diérum antiquórum ; meditátus ſum in ómnibus opéribus tuis ; * in factis mánuum tuárum meditábar.

6. Expandi manus meas ad te : * ánima mea ſicut terra ſine aquâ tibi.

*Diviſio Pſalmi* 142.

7. Velóciter exaudi me, Dómine : * defécit ſpíritus meus :

8. Non avertas fáciem tuam à me ; * & ſímilis ero deſcendéntibus in lacum.

9. Audítam fac mihi manè miſericórdiam tuam ; * quia in te ſperávi.

10. Notam fac mihi viam in quâ ámbulem;* quia ad te levávi ánimam meam.

11. Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam; quia Deus meus es tu.

12. Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tuâ.

13. Edúces de tribulatióne ánimam meam; * & in misericórdiâ tuâ dispérdes inimícos meos.

14. Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam;* quóniam ego servus tuus sum.

*Ant.* Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi.

Lectio. *Prov. 6.*

Sex sunt quæ odit Dóminus, & séptimum detestátur ánima ejus: † óculos sublímes, linguam mendácem, manus effundentes innóxium sánguinem, cor máchinans cogitatiónes péssimas, pedes velóces ad currendum in malum, proferentem mendácia testem fallácem; * & eum qui séminat inter fratres discórdias.

℣. Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis; ℟. Et à linguâ dolósâ. *Ps.* 119.

## AD NONAM.

Psalmus 108.

*Christus Judæ proditori aliisque impiis dignas pœnas prædicit.*

1. Deus, laudem meam ne tacúeris; * quia os peccatóris & os dolósi super me apertum est.

2. Locúti sunt adversùm me linguâ dolósâ; & sermónibus ódii circumdedérunt me; * & expugnavérunt me gratis.

3. Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi; * ego autem orábam.

4. Et posuérunt adversùm me mala pro bonis, * & ódium pro dilectióne meâ.

*Divisio Psalmi* 108.

5. Constítue super eum peccatórem; * & diábolus stet à dextris ejus.

6. Cùm judicátur, éxeat condemnátus; * & orátio ejus fiat in peccátum.

7. Fiant dies ejus pauci;* & episcopátum ejus accípiat alter.

8. Fiant fílii ejus órphani,* & uxor ejus vídua.

9. Nutantes transferantur fílii ejus & mendícent; * & ejiciantur de habitatiónibus suis.

10. Scrutétur fœnerátor omnem substántiam ejus;* & divípiant aliéni labóres ejus.

11. Non ſit illi adjútor,* nec ſit qui miſereátur pupillis ejus.

12. Fiant nati ejus in intéritum: * in generatióne unâ deleátur nomen ejus.

13. In memóriam rédeat iníquitas patrum ejus in conſpectu DÓMINI; * & peccátum matris ejus non deleátur.

14. Fiant contra DÓMINUM ſemper; * & diſpéreat de terrâ memória eórum;

15. Pro eo quòd non eſt recordátus fácere miſericórdiam; * & perſecútus eſt hóminem ínopem & mendícum, & compunctum corde mortificáre.

16. Et dilexit maledictiónem, & véniet ei; * & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.

17. Et índuit maledictiónem ſicut veſtimentum; * & intrávit ſicut aqua in interióra ejus, & ſicut óleum in óſſibus ejus.

18. Fiat ei ſicut veſtimentum, quo operítur; * & ſicut zona, quâ ſemper præcíngitur.

19. Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud DÓMINUM, * & qui loquuntur mala adversùs ánimam meam.

20. Et tu, DÓMINE Dómine, fac mecum propter nomen tuum;* quia ſuávis eſt miſericórdia tua:

*Diviſio Pſalmi* 108.

21. Libera me, quia egénus & pauper ego ſum; * & cor meum conturbátum eſt intra me.

22. Sicut umbra, cùm declínat, ablátus ſum; * & excuſſus ſum ſicut locuſtæ.

23. Génua mea infirmáta ſunt à jejúnio; * & caro mea immutáta eſt propter óleum.

24. Et ego factus ſum oppróbrium illis: * vidérunt me, & movérunt cápita ſua.

25. Adjuva me, DÓMINE Deus meus: * ſalvum me fac ſecundùm miſericórdiam tuam.

26. Et ſciant quia manus tua hæc; * & tu, DÓMINE, feciſti eam.

27. Maledícent illi, & tu benedíces: * qui inſurgunt in me, confundantur; ſervus autem tuus lætábitur.

28. Induantur, qui détrahunt mihi, pudóre; * & operiantur ſicut diplóide, confuſióne ſuâ.

29. Confitébor DÓMINO nimìs in ore meo; * & in médio multórum laudábo eum.

30. Quia ádſtitit à dextris páuperis; * ut ſalvam fáceret à perſequéntibus ánimam meam.

*Ant.* Pro eo ut me dilígerent detrahébant mihi: ego autem orábam.

LECTIO. *Rom.* 12.

NOlíte esse prudentes apud vosmetipsos, † nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantùm coram Deo, sed étiam coram ómnibus homínibus; *si fieri potest, quod ex vobis est, cum ómnibus homínibus pacem habentes.

℣. Si réddidi retribuéntibus mihi mala; ℟. Décidam méritò ab inimícis meis inánis. *Ps.* 7.

---

## AD VESPERAS

I. PSALMUS 121.

*Spes æternæ vitæ : Pax Ecclesiæ desideranda.*

1. LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum DÓMINI íbimus.

2. Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis, Jerúsalem.

3. Jerúsalem quæ ædificátur ut cívitas, * cujus participátio ejus in idipsum.

4. Illùc enim ascendérunt tribus, tribus DÓMINI, * testimónium Israel, ad confiténdum nómini DÓMINI.

5. Quia illìc sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

6. Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem; * & abundántia diligéntibus te.

7. Fiat pax in virtúte tuâ; * & abundántia in túrribus tuis.

8. Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te.

9. Propter domum DÓMINI Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

*Ant.* Propter fratres meos & próximos meos, loquébar pacem de te, Jerúsalem.

II. PSALMUS 126.

*Frustrà laborat, qui sine Deo laborat.*

1. NIsi DÓMINUS ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt, qui ædíficant eam.

2. Nisi DÓMINUS custodíerit civitátem; * frustrà vígilat, qui custódit eam.

3. Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

4. Cùm déderit dilectis suis somnum, ecce herédítas DÓMINI, filii; * merces, fructus ventris.

5. Sicut sagittæ in manu potentis, * ita filii excussórum.

6. Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundétur, cùm loquétur inimícis suis in portâ.

*Ant.* Ecce herédítas Dómini, filii; merces, fructus ventris.

III. PSALMUS 132.

*Fraternæ concordiæ beatitudo.*

1. ECce quàm bonum & quàm jucundum, * habitáre fratres in unum!

2. Sicut unguentum in cápite, quod descendit in barbam, barbam Aaron,* quod descendit in oram vestimenti ejus;

3. Sicut ros Hermon, * qui descendit in montem Sion.

4. Quóniam illìc mandávit DÓMINUS benedictiónem, * & vitam usque in séculum.

*Ant.* Quàm bonum & quàm jucundum, habitáre fratres in unum!

IV. PSALMUS 140.

*Justus orat, ut sit in tribulatione patiens, & tutus ab inimicis. Vox Christi in cruce.*

1. DOMINE, clamávi ad te; exaudi me: * intende voci meæ, cùm clamávero ad te.

2. Dirigátur orátio mea sicut incensum in conspectu tuo: * elevátio mánuum meárum sacrificium vespertinum.

3. Pone, DÓMINE, custódiam ori meo, * & óstium circumstántiæ lábiis meis.

4. Non declínes cor meũ in verba malítiæ, ad excusandas excusatiónes in peccátis, cum homínibus operántibus iniquitátem: * & non communicábo cum electis eórum.

5. Corrípiet me justus in misericórdiâ, & increpábit me; óleum autem peccatóris non impinguet caput meum; * quóniam adhùc & orátio mea in beneplácitis eórum.

6. Absorpti sunt juncti petræ júdices eórum: * áudient verba mea, quóniam potuérunt.

7. Sicut crassitúdo terræ erupta est super terram; * dissipáta sunt ossa nostra secus infernum.

8. Quia ad te, DÓMINE Dómine, óculi mei: * in te sperávi; non áuferas ánimam meam.

9. Custódi me à láqueo quem statuérunt mihi, * & à scándalis operántium iniquitátem.

10. Cadent in retiáculo ejus peccatóres: * singuláriter sum ego donec tránseam.

*Ant.* In misericórdiâ justus increpábit me: óleum autem peccatóris non impinguet caput meum.

LECTIO. *Coloss.* 3.

INdúite vos sicut electi Dei sancti & dilecti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam: † supportantes ínvicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversùs áliquem habet querélam, sicut & Dóminus donávit vobis, ita & vos; * super ómnia autem hæc caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis.

℟. *br.* Mansuéti * Hereditábunt terram. ℟. Mansuéti. ℣. Et delectabuntur in multitúdine pacis. * Hereditábunt. ℣. Glória. ℟. Mansuéti. *Ps.* 36.

HYMNUS. *C.*

O Quàm juvat fratres, Deus,
Unum quibus Christus caput
Vitále robur súfficit,
Uno movéri spíritu!

Quàm dulce laudes dícere
Unâ tibi cunctos domo,
Precumque ceu factâ manu
Inferre vim gratam tibi!

Hanc quisque díligat domum;
Hanc pace concors récreet:
Væ dira qui spargit malus
Dissensiónum sémina.

Sed damna cedunt in lucrum
Te, Christe, diligéntibus:
Augent corónas prælia;
Prosuntque, dùm nocent, mali.

Præsta, beáta Trínitas,
Ut caritáte mútuâ
Prosímus alter álteri,
Regnémus & polo simul.

Amen.

℣. Díriget Dóminus mãsuétos in judício: ℟. Docébit mites vias suas. *Ps.* 24.

*Ad* Magníficat. *Antiphona.* Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, & cáritas ejus in nobis perfecta est. *I. Joan.* 4.

AD COMPLETORIUM.

PSALMUS 34.

*Christus adversùs testes iniquos auxilium Patris implorat.*

1. JUdica, DÓMINE, nocentes me: * expugna impugnantes me.

2. Apprehende arma & scutum; * & exsurge in adjutórium mihi.

3. Effunde frámeam, & conclúde adversùs eos qui persequuntur me: * dic ánimæ meæ: Salus tua ego sum.

4. Confundantur & revereantur, * quærentes ánimam meam:

5. Avertantur retrorsùm, & confundantur, * cogitantes mihi mala.

6. Fiant tamquàm pulvis ante fáciem venti; * & Angelus DÓMINI coarctans eos.

7. Fiat via illórum ténebræ & lúbricum; * & Angelus DÓMINI pérsequens eos.

8. Quóniam gratìs absconderunt mihi intéritum láquei sui: * supervácuè exprobravérunt ánimam meam.

9. Véniat illi láqueus quem ignórat; & cáptio quam abscondit, apprehendat eum; * & in láqueum cadat in ipsum.

10. Anima autem mea exsultábit in DÓMINO; *

& delectábitur super salutári suo.

11. Omnia ossa mea dicent: * Dómine, quis símilis tibi,

12. Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus, * egénum & páuperem à diripiéntibus eum?

*Divisio Psalmi 34.*

13. SUrgentes testes iníqui, * quæ ignorábam, interrogábant me.

14. Retribuébant mihi mala pro bonis, * sterilitátem ánimæ meæ.

15. Ego autem, cùm mihi molesti essent, * induébar cilício.

16. Humiliábam in jejúnio ánimam meam; * & orátio mea in sinu meo convertétur.

17. Quasi próximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacébam: * quasi lugens & contristátus, sic humiliábar.

18. Et adversùm me lætáti sunt, & convenérunt: * congregáta sunt super me flagella, & ignorávi.

19. Dissipáti sunt, nec compuncti; tentavérunt me subsannavérunt me subsannatióne; * frenduérunt super me déntibus suis.

20. Dómine, quandò respícies? * restitue ánimam meam à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

21. Confitébor tibi in ecclésiâ magnâ; * in pópulo gravi laudábo te.

22. Non supergáudeant mihi qui adversantur mihi iníquè; * qui odérunt me gratìs, & ánnuunt óculis.

23. Quóniam mihi quidem pacíficè loquebantur; * & in iracúndiâ terræ loquentes, dolos cogitábant.

24. Et dilatavérunt super me os suum; * dixérunt: Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

25. Vidisti, Dómine, ne síleas: * Dómine, ne discédas à me.

*Divisio Psalmi 34.*

26. EXsurge, & intende judício meo: * Deus meus, & Dóminus meus, in causam meam.

27. Júdica me secundùm justítiam tuam, Dómine Deus meus; * & non supergáudeant mihi.

28. Non dicant in córdibus suis: Euge, euge, ánimæ nostræ; * nec dicant: Devorávimus eum.

29. Erubescant & revereantur simul, qui gratulantur malis meis: * induantur confusióne & reveréntiâ, qui magna loquuntur super me.

30. Exsultent & lætentur qui volunt justítiam meã; * & dicant semper, Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

31. Et lingua mea meditábitur justítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

*Cant.* Nunc dimittis.

## FERIA QUARTA.

*Spes in Deum & fiducia: Christus misericordiæ largitor.*

## AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Dóminum spem pópuli sui, *Veníte, adorémus. *Joel,* 3.

### HYMNUS. C.

Mirámur, ô Deus, tuæ
Recês opus poténtiæ,
Quæ scripta scintillántibus
Refulget astrórum globis.

Ut sol diéi, cándida
Sic luna nocti præsidet:
Exércitu totum novo
Discríminant stellæ polum.

At ipse, cœlórum decus,
Sol novit occásus suos:
Sunt certa lunæ témpora,
Statíque lapsus síderum.

Jugi rotáta túrbine
Furantur & reddunt diem:
Tu semper idem, néscius
Mortálium spem fállere.

Turbáta quid mens flúctuet?
Curâ paternâ nos regis:
Æterna si cordi salus;
Æterna nos salus manet.

Supréma laus & glória
Uni sit & trino Deo,
Suo repóni qui jubet
Curas & angóres sinu.

Amen.

## IN I. NOCTURNO.

### I. PSALMUS 9.

*Ecclesia de victoriis jam reportatis gratias agit, pro reportandis opem poscit.*

1. Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * narrábo ómnia mirabília tua.

2. Lætábor & exsultábo in te: * psallam nómini tuo, Altíssime:

3. In convertendo inimícum meum retrorsùm; * infirmabuntur & períbunt à fácie tuâ.

4. Quóniam fecisti judícium meum & causam meam: * sedisti super thronum, qui júdicas justítiam.

5. Increpasti gentes, & périit ímpius: * nomen eórum delesti in æternum & in séculum séculi.

6. Inimíci defecérunt frámeæ in finem; & civitátes eórum destruxisti: * périit memória eórum cum sónitu.

7. Et Dóminus in æternum pérmanet: * parávit in judício thronum suum.

8. Et ipse judicábit orbem terræ in æquitáte; * judicábit pópulos in justítiâ.

9. Et factus est Dóminus refúgium páuperi, * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne:

10. Et sperent in te qui novérunt nomen tuum, *

quóniam non dereliquisti quærentes te, DÓMINE.

11. Psállite DÓMINO, qui hábitat in Sion: * annuntiáte inter gentes stúdia ejus.

12. Quóniam requírens sánguinum, eórum recordátus est: * non est oblítus clamórem páuperum.

*Ant.* Sperent in te qui novérunt nomen tuum; quóniam non dereliquisti quærentes te, Dómine.

II. *Divisio Psalmi 9.*

13. MIserére meî, DÓMINE, * vide humilitátem meam de inimícis meis, qui exaltas me de portis mortis:

14. Ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion; * exsultábo in salutári tuo.

15. Infixæ sunt gentes in intéritu quem fecérunt: * in láqueo isto quem abscondérunt, comprehensus est pes eórum.

16. Cognoscétur DÓMINUS judícia fáciens: * in opéribus mánuum suárum comprehensus est peccátor.

17. Convertantur peccatóres in infernum, * omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.

18. Quóniam non in finem oblívio erit páuperis: * patiéntia páuperum non períbit in finem.

19. Exsurge, DÓMINE, non confortétur homo; * judicentur gentes in conspectu tuo.

20. Constítue, DÓMINE, legislatórem super eos; * ut sciant gentes quóniam hómines sunt.

*Ant.* Non in finem oblívio erit páuperis: patiéntia páuperum non períbit in finem.

III. *Divisio Psalmi 9.*

21. UT quid, DÓMINE, recessisti longè; * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

22. Dùm superbit ímpius, incénditur pauper: * comprehenduntur in consíliis quibus cógitant.

23. Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ; * & iníquus benedícitur.

24. Exacerbávit DÓMINUM peccátor: * secundùm multitúdinem iræ suæ non quæret.

25. Non est Deus in conspectu ejus: * inquinátæ sunt viæ illíus in omni témpore.

26. Auferuntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

27. Dixit enim in corde suo: Non movébor; * à generatióne in generatiónem ero sine malo.

28. Cujus maledictióne os plenum est, & amaritúdine & dolo: * sub linguâ ejus labor & dolor.

29. Sedet in insídiis cum

divitibus in occultis; * ut interficiat innocentem.

30. Oculi ejus in páuperem respíciunt: * insidiátur in abscóndito, quasi leo in speluncâ suâ.

31. Insidiátur ut rápiat páuperem; * rápere páuperem, dùm ádtrahit eum.

32. In láqueo suo humiliábit eum: * inclinábit se, & cadet, cùm dominátus fúerit páuperum.

33. Dixit enim in corde suo: Oblítus est Deus; * avertit fáciem suam, ne vídeat in finem.

34. Exsurge, DÓMINE Deus; exaltétur manus tua: * ne oblivíscáris páuperum.

35. Propter quid irritávit ímpius Deum?* dixit enim in corde suo: Non requíret.

36. Vides, quóniam tu labórem & dolórem consíderas; * ut tradas eos in manus tuas.

37. Tibi derelíctus est pauper: * órphano tu factus es adjútor.

38. Cóntere bráchium peccatóris & malígni: * quærétur peccátum illíus, & non inveniétur.

39. DÓMINUS regnábit in æternum, & in séculum séculi: * períbitis, gentes, de terrâ illíus.

40. Desidérium páuperum exaudívit DÓMINUS:* præparatiónem cordis eórum audívit auris tua;

41. Judicáre pupillo & húmili; * ut non appónat ultrà magnificáre se homo super terram.

*Ant.* Exsurge, Dómine Deus: exaltétur manus tua, ne oblivíscáris páuperum.

IV. PSALMUS 60.

*Deus justi spes & præsidium: Christi regnum in æternum permanet.*

1. EXaudi, Deus, deprecatiónem meam; * inténde oratióni meæ.

2. A fínibus terræ ad te clamávi, dùm anxiarétur cor meum: * in petrâ exaltasti me.

3. Deduxisti me, quia factus es spes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

4. Inhabitábo in tabernáculo tuo in sécula: * prótegar in velamento alárum tuárum.

5. Quóniam tu, Deus meus, exaudisti oratiónem meam; * dedisti hereditátem timéntibus nomen tuum.

6. Dies super dies Regis adjícies, * annos ejus usque in diem generatiónis & generatiónis.

7. Pérmanet in æternum in conspectu Dei: * misericórdiam & veritátem ejus quis requíret?

8. Sic psalmum dicam nómini tuo in séculum séculi; * ut reddam vota mea de die in diem.

*Ant.* Deduxisti me; quia

factus es spes mea, turris fortitúdinis à fácie inimíci.

V. Psalmus 61.

*Frustrà oppugnatur, qui Deo subjectus, in ejus tutelâ manet.*

1. NOnne Deo subjecta erit ánima mea? * ab ipso enim salutáre meũ.

2. Nam & ipse Deus meus & salutáris meus; * susceptor meus, non movébor ámpliùs.

3. Quousque irrúitis in hóminem? * interfícitis univérsi vos, tamquàm paríeti inclináto, & macériæ depulsæ?

4. Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere; placuérunt sibi in mendácio: * ore suo benedicébant, & corde suo maledicébant.

5. Verúmtamen Deo subjecta esto, ánima mea; * quóniam ab ipso patiéntia mea.

6. Quia ipse Deus meus & salvátor meus; * adjútor meus, non emigrábo.

7. In Deo salutáre meum & glória mea: * Deus auxílii mei; & spes mea in Deo est.

8. Speráte in eo, omnis congregátio pópuli; effúndite coram illo corda vestra: * Deus adjútor noster in ætérnum.

9. Verúmtamen vani filii hóminum, mendáces filii hóminum in statéris; * ut decípiant ipsi de vanitáte in idipsum.

10. Nolíte speráre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíscere; * divítiæ si affluant, nolíte cor appónere.

11. Semel locútus est Deus; * duo hæc audívi:

12. Quia potestas Dei est; & tibi, Dómine, misericórdia: * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

*Ant.* In Deo salutáre meum & glória mea: Deus auxílii mei, & spes mea in Deo est.

VI. Psalmus 63.

*Vox Christi & animæ fidelis Dei justitiam deprecantis.*

1. EXaudi, Deus, oratiónem meam cùm déprecor: * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

2. Protexísti me à convéntu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitátem.

3. Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: * intendérunt arcum, rem amáram:

4. Ut sagíttent in occúltis immaculátum: * súbitò sagittábunt eum, & non timébunt.

5. Firmavérunt sibi sermónem nequam; narravérunt ut abscónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

6. Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutínio.

7. Accédet homo ad cor altum; * & exaltábitur Deus.

8. Sagittæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum;* & infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

9. Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos; * & tímuit omnis homo.

10. Et annuntiavérunt ópera Dei; * & facta ejus intellexérunt.

11. Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo; * & laudabuntur omnes recti corde.

*Ant.* Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

℣. Beneplácitum est Dómino super timentes eum; ℟. Et in eis qui sperant super misericórdiâ ejus. *Ps.* 146.

*Absolutio.* Deus spei rélpleat vos omni gáudio & pace in credendo, ut abundétis in spe & virtúte Spíritûs Sancti. *Rom.* 15.

℟. Amen.

*Benedictiones ad caput Psalterii.*

## IN II. NOCTURNO.

I. Psalmus 77.

*Beneficia Judæis olim præstita immensam Dei misericordiam prædicant.*

1. ADténdite, pópule meus, legem meã:* inclináte aurem vestram in verba oris mei.

2. Apériam in parábolis os meum: * loquar propositiónes ab inítio.

3. Quanta audívimus & cognóvimus ea, * & patres nostri narravérunt nobis.

4. Non sunt occultáta à filiis eórum, * in generatióne álterâ:

5. Narrantes laudes Dómini, & virtútes ejus; * & mirabília ejus, quæ fecit.

6. Et suscitávit testimónium in Jacob, * & legem pósuit in Israel:

7. Quanta mandávit pátribus nostris, nota fácere ea filiis suis; * ut cognoscat generátio áltera:

8. Fílii qui nascentur, & exsurgent, * & narrábunt filiis suis:

9. Ut ponant in Deo spem suam; & non obliviscantur óperum Dei; * & mandáta ejus exquírant:

10. Ne fiant sicut patres eórum, * generátio prava & exásperans:

11. Generátio quæ non diréxit cor suum; * & non est créditus cum Deo spíritus ejus.

II. *Divisio Psalmi* 77.

12. FIlii Ephraim intendentes & mittentes arcum, * conversi sunt in die belli.

13. Non custodiérunt testamentum Dei; * & in lege ejus noluérunt ambuláre;

14 Et oblíti sunt bene-

factórum ejus, * & mirabílium ejus quæ ostendit eis.

15. Coram pátribus eórum fecit mirabília in terrâ Ægypti, * in campo Táneos.

16. Interrúpit mare, & perduxit eos; * & státuit aquas quasi in utre:

17. Et deduxit eos in nube per diem, * & totâ nocte in illuminatióne ignis.

18. Interrúpit petram in erémo; * & adaquávit eos velut in abysso multâ:

19. Et eduxit aquam de petrâ; * & deduxit tamquàm flúmina aquas.

20. Et apposuérunt adhuc peccáre ei: * in iram excitavérunt Excelsum in inaquóso.

21. Et tentavérunt Deum in córdibus suis; * ut péterent escas animábus suis.

22. Et malè locúti sunt de Deo: * dixérunt: Numquid póterit Deus paráre mensam in deserto?

23. Quóniam percussit petram, & fluxérunt aquæ, * & torrentes inundavérunt.

24. Numquid & panem póterit dare, * aut paráre mensam pópulo suo?

25. Ideò audívit Dóminus, & distulit; & ignis accensus est in Jacob; * & ira ascendit in Israel.

26. Quia non credidérunt in Deo; * nec speravérunt in salutári ejus.

27. Et mandávit núbibus désuper; * & jánuas cœli apéruit.

28. Et pluit illis manna ad manducandum; * & panem cœli dedit eis.

29. Panem Angelórum manducávit homo; * cibária misit eis in abundántiâ.

III. *Divisio Psalmi 77.*

30. Tránstulit Austrum de cœlo; * & induxit in virtúte suâ Africum.

31. Et pluit super eos sicut púlverem carnes, * & sicut arénam maris volatília pennáta.

32. Et cecidérunt in médio castrórum eórum, * circa tabernácula eórum.

33. Et manducavérunt, & saturáti sunt nimìs; & desidérium eórum átulit eis: * non sunt fraudáti à desidério suo.

34. Adhuc escæ eórum erant in ore ipsórum; * & ira Dei ascendit super eos.

35. Et occídit pingues eórum; * & electos Israel impedívit.

36. In ómnibus his peccavérunt adhuc; * & non credidérunt in mirabílibus ejus.

37. Et defecérunt in vanitáte dies eórum, * & anni eórum cum festinatióne.

38. Cùm occíderet eos, quærébant eum; * & revertebantur, & dilúculo veniébant ad eum.

39. Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eórum; * & Deus excelsus redemptor eórum est.

40. Et dilexérunt eum in ore suo; * & linguâ suâ mentíti sunt ei.

41. Cor autem eórum non erat rectum cum eo; * nec fidéles hábiti sunt in testamento ejus.

42. Ipse autem est miséricors, & propítius fiet peccátis eórum; * & non dispérdet eos.

IV. *Divisio Psalmi* 77. Et

43. Abundávit ut avérteret iram suam; * & non accendit omnem iram suam:

44. Et recordátus est quia caro sunt, * spíritus vadens, & non rédiens.

45. Quóties exacerbavérunt eum in deserto? * in iram concitavérunt eum in inaquóso?

46. Et conversi sunt, & tentavérunt Deum; * & Sanctum Israel exacerbavérunt.

47. Non sunt recordáti manûs ejus, * die quâ redémit eos de manu tribulantis:

48. Sicut pósuit in Ægypto signa sua, * & prodígia sua in campo Táneos.

49. Et convertit in sánguinem flúmina eórum, * & imbres eórum ne bíberent.

50. Misit in eos cœnomyiam, & comédit eos; * & ranam, & dispérdidit eos.

51. Et dedit ærúgini fructus eórum; * & labóres eórum locustæ.

52. Et occídit in grándine víneas eórum, * & moros eórum in pruínâ.

53. Et trádidit grándini jumenta eórum, * & possessiónem eórum igni.

54. Misit in eos iram indignatiónis suæ, indignatiónem, & iram, & tribulatiónem, * immissiónes per ángelos malos.

55. Viam fecit sémitæ iræ suæ, & non pepercit à morte animábus eórum; * & jumenta eórum in morte conclúsit.

56. Et percussit omne primogénitum in terrá Ægypti, * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

V. *Divisio Psalmi* 77. Et

57. Abstulit sicut oves pópulum suum; * & perduxit eos tamquam gregem in deserto.

58. Et deduxit eos in spe, & non timuérunt; * & inimícos eórum opéruit mare.

59. Et induxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem quem acquisívit déxtera ejus.

60. Et ejécit à fácie eórum gentes; * & sorte divísit eis terram in funículo distributiónis;

61. Et habitáre fecit in tabernáculis eórum, * tribus Israel.

62. Et tentavérunt & exa-

cerbavérunt Deum excelsum; * & testimónia ejus non custodiérunt.

63. Et avertérunt se, & non servavérunt pactum, quemádmodùm patres eórum; * conversi sunt in arcum pravum.

64. In iram concitavérunt eum in cóllibus suis;* & in sculptílibus suis ad æmulatiónem eum provocavérũt.

65. Audívit Deus, & sprevit; * & ad níhilum redégit valdè Israel.

66. Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

67. Et trádidit in captivitátem virtútem eórum;* & pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

68. Et conclúsit in gládio pópulum suum; * & hereditátem suam sprevit.

69. Júvenes eórum comédit ignis; * & vírgines eórum non sunt lamentátæ.

70. Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt; * & víduæ eórũ nòn plorabantur.

VI. *Divisio Psalmi* 77. Et

71. EXcitátus est tamquàm dórmiens Dóminus, * tamquàm potens crapulátus à vino.

72. Et percussit inimícos suos in posterióra: * oppróbrium sempitérnum dedit illis.

73. Et répulit tabernáculum Joseph; * & tribum Ephraim non elégit;

74. Sed elégit tribum Juda, * montem Sion, quem dilexit.

75. Et ædificávit sicut unicórnium sanctifícium suum in terrâ, * quam fundávit in sécula.

76. Et elégit David servum suum, & sústulit eum de grégibus óvium, * de post fœtantes accépit eum:

77. Páscere Jacob servum suum, * & Israel hereditátem suam:

78. Et pavit eos in innocéntiâ cordis sui; * & in intelléctibus mánuum suárum deduxit eos.

*Ant.* Fílii qui nascentur, narrábunt fíliis suis; ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur óperum Dei.

LECTIO. *Rom.* 15.

QUæcumque scripta sũt, ad nostram doctrínam scripta sunt; ut per patiéntiam & consolatiónem Scripturárum spem habeámus.

℣. Nisi quòd lex tua meditátio mea est; ℟. Tunc fortè periissem in humilitáte meâ. *Ps.* 118.

*Collecta infrà ad Laudes.*

---

## AD LAUDES.

### I. PSALMUS 5.

***Ecclesia à Deo summè justo adversùs iniquos opem deprecatur.***

1. VErba mea áuribus pércipe, DÓMINE:* intéllige clamórem meum.

2. Intende voci oratiónis meæ, Rex meus & Deus meus; * quóniam ad te orábo.

3. Dómine, manè exáudies vocem meam: * manè adstábo tibi, & vidébo.

4. Quóniam non Deus volens iniquitátem tu es; neque habitábit juxta te malignus, * neque permanébunt injusti ante óculos tuos.

5. Odisti omnes qui operantur iniquitátem: perdes omnes qui loquuntur mendácium: * virum sanguinum & dolósum abominábitur Dóminus.

6. Ego autem, in multitúdine misericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam; * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

7. Dómine, deduc me in justítiâ tuâ: * propter inimícos meos dírige in conspectu tuo viam meam.

8. Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

9. Sepulcrum patens est guttur eórum; linguis suis dolósè agébant: * júdica illos, Deus.

10. Décidant à cogitatiónibus suis: secundùm multitúdinem impietátum eórum expelle eos; * quóniam irritavérunt te, Dómine.

11. Et lætentur omnes qui sperant in te: * in ætérnum exsultábunt, & habitábis in eis.

12. Et gloriabuntur in te omnes qui díligunt nomen tuum; * quóniam tu benedíces justo.

13. Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, * coronasti nos.

*Ant.* Omnes qui sperant in te, Dómine, in æternum exsultábunt, & habitábis in eis.

II. Psalmus 64.

*Summa Dei beneficentia, qui fidelibus suis cibum parat: Ecclesiæ fœcunditas.*

1. Te decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jerúsalem.

2. Exaudi oratiónem meam; * ad te omnis caro véniet.

3. Verba iniquórum prævaluérunt super nos; * & impietátibus nostris tu propitiáberis.

4. Beátus quem elegisti, & assumpsisti: * inhabitábit in átriis tuis.

5. Replébimur in bonis domûs tuæ: * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

6. Exaudi nos, Deus salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, & in mari longè:

7. Præparans montes in virtúte tuâ, accinctus poténtiâ; * qui conturbas

profundum maris, sonum flúctuum ejus.

8. Turbabuntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à signis tuis : * éxitus matutíni & véspera delectábis.

9. Visitasti terram, & inebriasti eam : * multiplicasti locupletáre eam.

10. Flumen Dei replétum est aquis; parasti cibum illórum ; * quóniam ita est præparátio ejus.

11. Rivos ejus inébria ; multíplica genímina ejus :* in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

12. Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ ;* & campi tui replebuntur ubertáte.

13. Pinguescent speciósa deserti ; * & exsultatióne colles accingentur.

14. Indúti sunt aríetes óvium ; & valles abundábunt frumento : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

*Ant.* Exaudi nos, Deus salutáris noster, spes ómnium finium terræ.

III. PSALMUS 91.

*Laudandus Deus, in operibus suis magnificus, justus in judiciis.*

1. BOnum est confitéri DÓMINO, * & psállere nómini tuo, Altíssime:

2. Ad annuntiandum manè misericórdiam tuam, * & veritátem tuam per noctem ;

3. In decachordo & psaltério, * cum cántico, in citharâ.

4. Quia delectasti me, DÓMINE, in factúrâ tuâ ;* & in opéribus mánuum tuárum exsultábo.

5. Quàm magnificáta sunt ópera tua, DÓMINE!* nimìs profundæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

6. Vir insípiens non cognoscet ; * & stultus non intélliget hæc :

7. Cùm exorti fúerint peccatóres sicut fenum, & apparúerint omnes qui operantur iniquitátem ; * ut intéreant in séculum séculi.

8. Tu autem Altíssimus* in æternum, DÓMINE.

9. Quóniam ecce inimíci tui, DÓMINE, quóniam ecce inimíci tui períbunt ;* & dispergentur omnes qui operantur iniquitátem.

10. Et exaltábitur sicut unicornis cornu meum ; * & senectus mea in misericórdiâ úberi.

11. Et despexit óculus meus inimícos meos ;* & in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

12. Justus ut palma florébit : * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

13. Plantáti in domo DÓMINI, in átriis domûs Dei nostri florébunt : * adhuc multiplicabuntur in senectâ úberi.

14. Et benè patientes erunt, ut annúntient quóniam rectus DÓMINUS Deus

noster; * & non est iníquitas in eo.

*Ant.* Bonum est psállere nómini tuo, Altíssime, ad annuntiandum manè misericórdiam tuam.

IV. CANTICUM. *Is.* 12.

*Gratiarum actio pro beneficiis Christi Salvatoris.*

1. CONfitébor tibi, DÓMINE, quóniam irátus es mihi; * convérsus est furor tuus, & consolátus es me.

2. Ecce Deus Salvátor meus: * fiduciáliter agam, & non timébo.

3. Quia fortitúdo mea & laus mea, DÓMINUS; * & factus est mihi in salútem.

4. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris; & dicétis in die illâ: * Confitémini DÓMINO, & invocáte nomen ejus.

5. Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * meméntóte quóniam excelsum est nomen ejus.

6. Cantáte DÓMINO, quóniam magníficè fecit: * annuntiáte hoc in universâ terrâ.

7. Exsulta & lauda, habitátio Sion; * quia magnus in médio tuî Sanctus Israel.

*Ant.* Ecce Deus Salvátor meus: fiduciáliter agam, & non timébo.

V. PSALMUS 145.

*Non in homine, sed in solo Deo confidendum.*

1. LAuda, ánima mea, DÓMINUM: laudábo DÓMINUM in vitâ meâ; * psallam Deo meo quámdiù fúero.

2. Nolíte confídere in princípibus, * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

3. Exíbit spíritus ejus, & revertétur in terram suá: * in illâ die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

4. Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in DÓMINO Deo ipsíus; * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt.

5. Qui custódit veritátem in sæculum, facit judícium injúriam patiéntibus, * dat escam esuriéntibus.

6. DÓMINUS solvit compedítos; * DÓMINUS illúminat cæcos:

7. DÓMINUS érigit elísos; * DÓMINUS díligit justos.

8. DÓMINUS custódit ádvenas, pupillum & víduam suscípiet; * & vias peccatórum disperdet.

9. Regnábit DÓMINUS in sæcula, * Deus tuus, Sion, in generatiónem & generatiónem.

*Ant.* Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus.

LECTIO. *Hebr.* 10.

TEneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem; fidélis enim est qui repromísit.

℟. *br.* Memor esto verbi

tui ſervo tuo, * In quo mihi ſpem dediſti. ℟. Memor. ℣. Hæc me conſoláta eſt in humilitáte meâ, quia elóquium tuum vivificávit me. * In quo. ℣. Glória. ℟. Memor. *Pſ.* 118.

HYMNUS. *C.*

PRomittis; & ſervas datam
Immóbilis fidem, Deus:
Hanc mane primo ſédulâ
Repóſcimus fidem prece.

Promittit; atque décipit
Incertus & fallax homo:
Sic quaſſa, si incumbas ſuper,
Arundo transfiget manum.

Beátus ergo qui tuo
Se totus abdit in ſinu:
Hâc arce tutum túrbinis
Vis nulla de ſtatu quatit.

Ne cor vacillet óbligas
Temet ſacramento, Deus:
Spes nixa tanto pignore
Æterna jam prenſat bona.

Jam mente præſumens polum,
Secúra ſublími throno
Adſiſtit, & cœléſtium
Prælíbat undas flúminum.

Fons ô perennis grátiæ,
Colenda ſemper Trinitas,
Te ſpem ſalútis únicam
Da mente totâ quærere.
Amen.

℣. Reſpondébo exprobrántibus mihi verbum; ℟. Quia ſperávi in ſermónibus tuis. *Pſ.* 118.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Jurávit Dóminus datúrum ſe nobis, ut ſine timóre de manu inimicórum noſtrórum liberáti, ſerviámus illi. *Luc.* 1.

COLLECTA. *Sacr. S. Leon.*

DA nobis, Dómine, quæſumus, in te totâ mente confidere; † quóniam ſicut ſuperbis in ſuâ virtúte præſuméntibus ſemper obſiſtis; * ita non déſeris in tuâ miſericórdiâ gloriantes; Per Dóminum.

---

## AD PRIMAM.

PSALMUS 30.

*Vox Chriſti morientis, & ſpiritum ſuum Patri commendantis.*

1. IN te, DÓMINE, ſperávi; non confundar in æternum: * in juſtítiâ tuâ líbera me.

2. Inclína ad me aurem tuam: * accélera ut éruas me.

3. Eſto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii; * ut ſalvum me fácias.

4. Quóniam fortitúdo mea & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

5. Edúces me de láqueo hoc, quem abſcondérunt mihi; * quóniam tu es protector meus.

6. In manus tuas commendo ſpíritum meum: *

redemiſti me, DÓMINE Deus veritátis.

7. Odiſti obſervantes vanitátes ſupervácuè; * ego autem in DÓMINO ſperávi.

8. Exſultábo & lætábor in miſericórdiâ tuâ: * quóniam reſpexiſti humilitátem meam; ſalvaſti de neceſſitátibus ánimam meam:

9. Nec concluſiſti me in mánibus inimíci; * ſtatuiſti in loco ſpatióſo pedes meos.

*Diviſio Pſalmi 30.*

10. MIſerére meî, DÓMINE; quóniam tríbulor: * conturbátus eſt in irâ óculus meus, ánima mea & venter meus.

11. Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemítibus.

12. Infirmáta eſt in paupertáte virtus mea, * & oſſa mea conturbáta ſunt.

13. Super omnes inimícos meos factus ſum oppróbrium, & vicínis meis valdè, * & timor notis meis.

14. Qui vidébant me foràs, * fugérunt à me.

15. Oblivióni datus ſum tamquàm mórtuus à corde: * factus ſum tamquàm vas pérditum:

16. Quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu: * in eo dùm convenírent ſimul adverſùm me, accípere ánimam meam conſiliáti ſunt.

17. Ego autem in te ſperávi, DÓMINE: * dixi: Deus meus es tu; in mánibus tuis ſortes meæ.

18. Eripe me de manu inimicórum meórum, * & à perſequéntibus me.

19. Illuſtra fáciem tuam ſuper ſervum tuum; * ſalvum me fac in miſericórdiâ tuâ.

20. DÓMINE, non confundar, quóniam invocávi te: * erubeſcant ímpii, & deducantur in inferum.

21. Muta fiant lábia dolóſa; * quæ loquuntur adverſùs juſtum iniquitátem, in ſupérbiâ & in abuſióne.

*Diviſio Pſalmi 30.*

22. QUàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abſcondiſti timéntibus te: * perfeciſti eis qui ſperant in te, in conſpectu filiórum hóminum!

23. Abſcondes eos in abſcóndito faciéi tuæ, à conturbatióne hóminum: * próteges eos in tabernáculo tuo, à contradictióne linguárum.

24. Benedictus DÓMINUS; * quóniam mirificávit miſericórdiam ſuam mihi in civitáte munîta.

25. Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ: * Projectus ſum à fácie oculórum tuórum.

26. Ideò exaudîſti vocem oratiónis meæ, * dùm clamárem ad te.

27. Dilígite DÓMINUM,

omnes sancti ejus; * quóniam veritátem requíret Dóminus, & retríbuet abundanter faciéntibus supérbiam.

28. Viríliter ágite, & confortétur cor vestrum,* omnes qui sperátis in Dómino.

*Ant.* Ego in Dómino sperávi: exsultábo & lætábor in misericórdiâ tuâ.

---

## AD TERTIAM.

Psalmus 10.

*Animæ in Deo confidentis securitas.*

1. In Dómino confído:* quómodò dícitis ánimæ meæ: Tránsmigra in montem sicut passer?

2. Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum; paravérunt sagittas suas in pháretrâ: * ut sagittent in obscúro rectos corde.

3. Quóniam quæ perfecisti, destruxérunt; * justus autem quid fecit?

4. Dóminus in templo sancto suo; * Dóminus in cœlo sedes ejus:

5. Oculi ejus in páuperem respíciunt; * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

6. Dóminus intérrogat justum & ímpium; * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

7. Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, & sulphur, & spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

8. Quóniam justus Dóminus, & justítias dilexit:* æquitátem vidit vultus ejus.

Psalmus 119.

*Justus patiens vitæ præsentis miserias, luget, & ad patriam suspirat.*

1. Ad Dóminum, cùm tribulárer, clamávi; * & exaudívit me.

2. Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à linguâ dolósâ.

3. Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi, * ad linguam dolósam?

4. Sagittæ potentis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

5. Heu mihi! quia incolátus meus prolongátus est: habitávi cum habitántibus Cedar; * multùm íncola fuit ánima mea.

6. Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs.

Psalmus 122.

*Mens in Deum erigenda tempore tribulationis.*

1. Ad te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

2. Ecce sicut óculi servórum in mánibus dominórum suórum; * sicut óculi ancillæ in mánibus dóminæ suæ:

3. Ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum,* donec misereátur nostrî.

4. Miserére nostrî, Dómine, miserére nostrî; * quia multùm repléti sumus despectióne;

5. Quia multùm repléta est ánima nostra, * oppróbrium abundántibus, & despéctio superbis.

*Ant.* Dóminus in cœlo sedes ejus; óculi ejus in páuperem respíciunt.

LECTIO. *Rom.* 8.

NOs ipsi primítias Spíritûs habentes, & ipsi intra nos gémimus, † adoptiónem filiórum Dei expectantes, redemptiónem córporis nostri ;* spe enim salvi facti sumus.

℣. Concupiscit, & déficit ánima mea in átria Dómini, ℟. Cor meum & caro mea exsultavérunt in Deum vivum. *Ps.* 83.

---

AD SEXTAM.

PSALMUS 41.

*Christianus in hoc mundo exsul ad cœlestem anhelans patriam : spe salvus est.*

1. QUemádmodùm desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

2. Sitívit ánima mea ad Deum, Fortem vivum : * quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei ?

3. Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dùm dícitur mihi quotídiè : Ubi est Deus tuus ?

4. Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam; * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei :

5. In voce exsultatiónis & confessiónis ? * sonûs epulantis.

6. Quare tristis es, ánima mea ? * & quare conturbas me ?

7. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi : * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

*Divisio Psalmi* 41.

8. AD meipsum ánima mea cōturbáta est :* proptéreà memor ero tuî de terrâ Jordánis & Hermóniim, à monte módico.

9. Abyssus abyssum ínvocat in voce cataractárum tuárum : * ómnia excelsa tua & fluctus tui super me transiérunt.

10. In die mandávit Dóminus misericórdiam suã; & nocte cánticum ejus : * apud me orátio Deo vitæ meæ.

11. Dicam Deo : Susceptor meus es; quare oblítus es meî ? * & quare contristátus incédo, dùm afflígit me inimícus ?

12. Dùm confringuntur ossa mea, * exprobravérunt mihi, qui tribulant me, inimíci mei;

13. Dùm dicunt mihi per síngulos dies : * Ubi est Deus tuus ?

14. Quare triſtis es, ánima mea? * & quare conturbas me?

15. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

PSALMUS 42.

*In Deo ſperandum: Deo duce ad Altare ejus introeundum.*

1. JUdica me, Deus, & diſcerne cauſam meã de gente non ſanctâ; * ab hómine iníquo & dolóſo érue me;

2. Quia tu es, Deus, fortitúdo mea; quare me repuliſti? * & quare triſtis incédo, dùm afflígit me inimícus?

3. Emitte lucem tuam & veritátem tuam; * ipſa me deduxérunt & adduxérunt in montem ſanctum tuum, & in tabernácula tua.

4. Et introíbo ad altáre Dei, * ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

5. Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus; * quare triſtis es, ánima mea, & quare conturbas me?

6. Spera in Deo; quóniam adhuc confitébor illi: * ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

*Ant.* Spera in Deo, ánima mea: ſalutáre vultûs mei, & Deus meus.

LECTIO. *Hebr.* 10.

NOlíte amíttere confidéntiam veſtram, quæ magnam habet remuneratiónem; † patiéntia enim vobis neceſſária eſt, * ut voluntátem Dei facientes reportétis promiſſiónem.

℣. In te, Dómine, confídit ánima mea; ℟. Et in umbrâ alárum tuárum ſperábo donec tránſeat iníquitas. *Pſ.* 56.

---

AD NONAM.

PSALMUS 12.

*Ab hominibus ipſoque Deo quodammodo deſtitutus, animam tamen juſtus non deſpondet.*

1. USquequò, DÓMINE, oblivíſcéris me in finem? * úſquequò avertes fáciem tuam à me?

2. Quámdiù ponam consília in ánimâ meâ, dolórem in corde meo per diẽ? * úſquequò exaltábitur inimícus meus ſuper me?

3. Réſpice & exaudi me, DÓMINE Deus meus: * illúmina óculos meos, ne unquàm obdórmiam in morte.

4. Nequandò dicat inimícus meus: Præválui adverſùs eum: * qui tríbulant me, exſultábunt ſi motus fúero.

5. Ego autem in miſericórdiâ tuâ ſperávi: * exſultábit cor meum in ſalutári tuo.

6. Cantábo DÓMINO, qui bona tríbuit mihi; * & pſallam nómini Dómini altiſſimi.

PSALMUS 31.

*Misericordia Dei peccatorem per gratiam suam justificantis.*

1. BEáti quorum remissæ sunt iniquitátes, * & quorum tecta sunt peccáta!

2. Beátus vir cui non imputávit DÓMINUS peccátum; * nec est in spíritu ejus dolus!

3. Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dùm clamárem totâ die.

4. Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua; * convérsus sum in ærumnâ meâ, dùm configitur spina.

5. Delictum meum cógnitum tibi feci; * & injustítiam meam non abscondi.

6. Dixi: Confitébor advérsùm me injustítiam meá DÓMINO; * & tu remisísti impietátem peccáti mei:

7. Pro hâc orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

8. Verùmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

9. Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me:* exsultátio mea, érue me à circumdántibus me.

10. Intellectum tibi dabo, & ínstruam te in viâ hâc quâ gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

11. Nolíte fieri sicut equus & mulus, * quibus non est intellectus.

12. In camo & freno maxillas eórum constringe, * qui non appróximant ad te.

13. Multa flagella peccatóris; * sperantem autem in DÓMINO misericórdia circúmdabit.

14. Lætámini in DÓMINO, & exsultáte, justi;* & gloriámini, omnes recti corde.

PSALMUS 56.

*Deus omni ope destituto certus auxiliator. Christi patientis oratio.*

1. MIserére meî, Deus, miserére mei; * quóniam in te confídit ánima mea:

2. Et in umbrâ alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

3. Clamábo ad Deum altíssimum, * Deum, qui benefécit mihi.

4. Misit de cœlo, & liberávit me: * dedit in oppróbrium conculcantes me.

5. Misit Deus misericórdiam suam & veritátem suam; & erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum: * dormívi conturbátus.

6. Filii hóminum, dentes eórum arma & sagittæ,* & lingua eórum gládius acútus.

7. Exaltáre super cœlos, Deus; * & in omnem terram glória tua.

8. Láqueum paravérunt pédibus meis;* & incurvavérunt ánimam meam.

9. Fodérunt ante fáciem

meam fóveam; * & incidérunt in eam.

10. Parátum cor meum, Deus, parátum cor meũ: * cantábo & psalmum dicam.

11. Exsurge, glória mea, exsurge, psaltérium & cíthara: * exsurgam dilúculo.

12. Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & psalmum dicam tibi in géntibus;

13. Quóniam magnificáta est usque ad cœlos misericórdia tua, * & usque ad nubes véritas tua.

14. Exaltáre super cœlos, Deus; * & super omnem terram glória tua.

*Ant.* Ego, Dómine, in misericórdiâ tuâ sperávi: exsultábit cor meum in salutári tuo.

LECTIO. *Jerem.* 17.

HÆc dicit Dóminus: † Maledíctus homo, qui confídit in hómine, & ponit carnem bráchium suum, * & à Dómino recédit cor ejus.

℣. Da nobis, Dómine, auxílium de tribulatióne:
℞. Quia vana salus hóminis. *Ps.* 59.

---

AD VESPERAS.

I. PSALMUS 129.

*Oratio pœnitentis veniam à Deo per Christum postulantis.*

1. DE profundis clamávi ad te, DÓMINE: * Dómine, exaudi vocem meam.

2. Fiant aures tuæ intendentes, * in vocem deprecatiónis meæ.

3. Si iniquitátes observáveris, DÓMINE; * Dómine, quis sustinébit?

4. Quia apud te propitiátio est; * & propter legem tuam sustínui te, DÓMINE.

5. Sustínuit ánima mea in verbo ejus; * sperávit ánima mea in Dómino.

6. A custódiâ matutínâ usque ad noctem, * speret Israel in DÓMINO;

7. Quia apud DÓMINUM misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio:

8. Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

*Ant.* Sustínuit ánima mea in verbo ejus; sperávit ánima mea in Dómino.

II. PSALMUS 130.

*Non in se, sed in Domino gloriandum.*

1. DOMINE, non est exaltátum cor meum; * neque eláti sunt óculi mei:

2. Neque ambulávi in magnis; * neque in mirabílibus super me.

3. Si non humíliter sentiébam, * sed exaltávi ánimam meam:

4. Sicut ablactátus est super matre suâ, * ita retribútio in ánima mea.

5. Speret Israel in DÓMINO, * ex hoc nunc & usque in séculum.

*Ant.* Speret Israel in Dómino,

mino, ex hoc nunc & usque in sǽculum.

III. Psalmus 136.

*Israel in captivitate gemens; lugens in seculo Christianus; suam uterque Jerusalem desiderat.*

1. SUper flúmina Babylónis, illìc sédimus & flévimus, * cùm recordarémur Sion.

2. In salícibus, in médio ejus, * suspéndimus órgana nostra:

3. Quia illìc interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum;

4. Et qui abduxérunt nos: * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

5. Quómodò cantábimus cánticum Dómini, * in terrâ aliénâ.

6. Si oblítus fúero tuî, Jerúsalem, * obliviόni detur déxtera mea.

7. Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non memínero tuî,

8. Si non propósuero Jerúsalem, * in princípio lætítiæ meæ.

9. Memor esto, Dómine, filiórum Edom, * in die Jerúsalem;

10. Qui dicunt: Exinaníte, exinaníte, * usque ad fundamentum in eâ.

11. Fília Babylónis mísera, * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuisti nobis!

12. Beátus qui tenébit & allídet, * párvulos tuos ad petram!

*Ant.* Si oblítus fúero tuî, Jerúsalem, oblivióni detur déxtera mea.

IV. Psalmus 141.

*Justus humanâ ope destitutus, divinum implorat patrocinium; vox Christi patientis.*

1. VOce meâ ad Dóminum clamávi: * voce meâ ad Dóminum deprecátus sum.

2. Effundo in conspectu ejus oratiónem meam; * & tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

3. In deficiendo ex me spíritum meum; * & tu cognovisti sémitas meas.

4. In viâ hâc quâ ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

5. Considerábam ad déxteram, & vidébam; * & non erat qui cognósceret me.

6. Périit fuga à me; * & non est qui requírat ánimam meam.

7. Clamávi ad te, Dómine, dixi: Tu es spes mea, * pórtio mea in terrâ vivéntium.

8. Intende ad deprecatiónem meam; * quia humiliátus sum nimìs.

9. Líbera me à persequéntibus me; * quia confortáti sunt super me.

10. Educ de custódiâ ánimam meam ad confitendum nómini tuo: * me

exſpectant juſti, donec retríbuas mihi.

*Ant.* Tu es ſpes mea, Dómine: pórtio mea in terrâ vivéntium.

LECTIO. *I. Joan.* 3.

CAríſſimi, nunc filii Dei ſumus, & nondùm appáruit quid érimus. † Scimus quóniam cùm apparúerit, símiles ei érimus, quóniam vidébimus eum sicuti eſt. * Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctíficat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.

℟. *br.* Beátus vir * Cujus eſt nomen Dómini ſpes ejus. ℟. Beátus. ℣. Et non reſpexit in vanitátes & inſánias falſas, * Cujus. ℣. Glória. ℟. Beátus. *Pſ.* 39.

HYMNUS. *C.*

HOrres ſuperbos, nec tuam
Das álteri laudem; Deus:
Humána nil iſthinc ſibi
Decerpat arrogántia.

Ingráta quippe mens tuæ
Fluenta ſiſtit grátiæ;
Triſtique marceſcit ſtatim
Ceu gramen exuſtum ſiti.

Ut ſervus in manus heri
Intenta figit lúmina;
Sic ora ſacris móntibus
Non dimovémus ánxii.

Deſiderátam ſi dare
Opem moráris; ſpes tamen,
Tenácis inſtar ánchoræ
Immóta fundat péctora.

Sit ſumma Patri glória;
Sit ſumma Nato, qui dedit
Nobis futúræ Spíritum
Hereditátis óbſidem.
Amen.

℣. Mihi adhærére Deo bonum eſt, ℟. Pónere in Dómino Deo ſpem meam. *Pſ.* 72.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Vitam illam exſpectámus quam Deus datúrus eſt his qui fidem ſuam nunquàm mutant ab eo. *Tob.* 2.

---

## AD COMPLETORIUM.

PSALMUS 45.

*Eccleſia in ſe habens Deum inhabitantem, non commovebitur.*

1. DEus noſter refúgium & virtus, * adjútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

2. Proptéreà non timébimus dum turbábitur terra, * & transferentur montes in cor maris.

3. Sonuérunt, & turbátæ ſunt aquæ eórum: * conturbáti ſunt montes in fortitúdine ejus.

4. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * ſanctificávit tabernáculum ſuum Altíſſimus.

5. Deus in médio ejus; non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

6. Conturbátæ ſunt gentes, & inclináta ſunt regna; * dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

7. DÓMINUS virtútum nobíscum; * suscéptor noster Deus Jacob.

8. Veníte, & vidéte ópera DÓMINI, * quæ póſuit prodígia ſuper terram:

9. Auferens bella uſque ad finem terræ; arcum cónteret, & confringet arma; * & ſcuta combúret igni.

10. Vacáte & vidéte, quóniam ego ſum Deus: * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terrâ.

11. DÓMINUS virtútum nobíſcum; * ſuſcéptor noſter Deus Jacob.

PSALMUS 72.

*Summa Dei in impios patientia, ſpes bonorum; argumentum de divinâ providentiâ.*

1. QUàm bonus Iſrael Deus, * his qui recto ſunt corde!

2. Mei autem penè moti ſunt pedes; * penè effúſi ſunt greſſus mei.

3. Quia zelávi ſuper iníquos, * pacem peccatórum videns.

4. Quia non eſt reſpectus morti eórum; * & firmamentum in plagâ eórum.

5. In labóre hóminum non [illegible], * & cum homínibus [illegible] flagellabuntur.

6. [illegible] ténuit eos ſupérbia, * operti ſunt iniquitáte & impietáte ſuâ.

7. Pródiit quaſi ex ádipe iníquitas eórum: * tranſiérunt in affectum cordis.

8. Cogitavérunt & locúti ſunt nequítiam: * iniquitátem in excelſo locúti ſunt.

9. Poſuérunt in cœlum os ſuum; * & lingua eórum tranſívit in terrâ.

10. Ideò convertétur pópulus meus hìc; * & dies pleni invenientur in eis.

11. Et dixérunt: Quómodò ſcit Deus? * &, Si eſt ſciéntia in Excelſo?

*Diviſio Pſalmi 72.*

12. ECce ipſi peccatóres & abundantes in ſéculo, * obtinuérunt divítias.

13. Et dixi: Ergo ſine causâ juſtificávi cor meũ; * & lavi inter innocentes manus meas.

14. Et fui flagellátus totâ die; * & caſtigátio mea in matutínis.

15. Si dicébam: Narrábo ſic; * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

16. Exiſtimábam ut cognóſcerem hoc; * labor eſt ante me:

17. Donec intrem in ſanctuárium Dei, * & intélligam in noviſſimis eórum.

18. Verùmtamen propter dolos poſuiſti eis; * dejeciſti eos dum allevarentur.

19. Quómodò facti ſunt in deſolatiónem! * ſubitò defecérunt; periérunt propter iniquitátem ſuam.

20. Velut ſómnium ſur-

géntium, Dómine,* in civitáte tuâ imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

21. Quia inflammátum est cor meum; * & renes mei commutáti sunt.

22. Et ego ad níhilum redáctus sum, & nescívi; * ut jumentum factus sum apud te.

23. Et ego semper tecum: * tenuísti manum déxteram meam.

24. Et in voluntáte tuâ deduxísti me; * & cum glóriâ suscepísti me.

25. Quid enim mihi est in cœlo? * & à te quid vólui super terram?

26. Defécit caro mea & cor meum; * Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum.

27. Quia ecce qui elongant se à te, períbunt: * perdidísti omnes qui fornicántur abs te.

28. Mihi autem adhærére Deo bonum est, * pónere in Dómino Deo spem meam;

29. Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas, * in portis filiæ Sion.

*Cant.* Nunc dimittis.

---

## FERIA QUINTA.

*Christus pascens nos fide & gratiâ.*

---

## AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Auctórem fidei & consummatórem Jesum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 12.

### HYMNUS. C.

Iisdem creáti flúctibus,
Pisces natant, volant aves:
Utrumque mortáli genus
Parátur esca córpori.

Menti sed ætérnæ cibus
Debétur alter; hæc Dei
Sermóne vivit; hanc fovet
Cœléstis & nutrit fides.

Quæsíta Christi sánguine
Manávit in terras fides,
Et impiárum péctora
Victrix subégit géntium.

Fax illa, puris córdibus
Monstráre cœlos éfficax,
Ætérna dignis íncitat
Factis meréri præmia.

Hâc luce signátum, Deus,
Calcáre dona trámitem,
Et caritátis úberes
Fructus eundo cárpere.

Sit laus Patri, laus Fílio
Sit par tibi laus, Spíritus;
De corde nostro, fac tuæ
Virtus triumphet grátiæ.
Amen.

## IN I. NOCTURNO.

### I. PSALMUS 8.

*Mundus Verbo Dei creatus & redemptus; Christi excellentia, dignitas & gloria.*

1. DOMINE Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universâ terrâ!

2. Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

3. Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem

propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum & ultórem.

4. Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum, * lunam & stellas, quæ tu fundasti.

5. Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

6. Minuísti eum paulò minùs ab Angelis: * glóriâ & honóre coronasti eum;

7. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum: * ómnia subjecísti sub pédibus ejus.

8. Oves & boves univérsas, * ínsuper & pécora campi,

9. Vólucres cœli & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

10. Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in universâ terrâ!

*Ant.* Eleváta est magnificéntia tua, Dómine, super cœlos.

II. Psalmus 23.

*Christi ascensio in cœlum; quibus virtutibus cum illo ascendamus?*

1. Dómini est terra & plenitúdo ejus, * orbis terrárum, & universi qui hábitant in eo;

2. Quia ipse super mária fundávit eum; * & super flúmina præparávit eum.

3. Quis ascendet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

4. Innocens mánibus, & mundo corde: * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

5. Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & misericórdiam à Deo salutári suo.

6. Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

7. Attóllite portas, príncipes, vestras; & eleváminí, portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

8. Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens; Dóminus potens in prælio.

9. Attóllite portas, príncipes, vestras; & eleváminí, portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

10. Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

*Ant.* Quis ascendet in montem Dómini? ínnocens mánibus & mundo corde.

III. Psalmus 28.

*Suprema Dei majestas: vox prædicationis evangelicæ.*

1. Afferte Dómino, filii Dei: * afferte Dómino glóriam & honórem.

2. Afferte Dómino glóriam nómini ejus: * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

3. Vox Dómini super aquas: * Deus majestátis intónuit; Dóminus super aquas multas.

4. Vox Dómini in virtúte! * vox Dómini in magnificéntiâ.

5. Vox Dómini constringentis cedros; * & confringet Dóminus cedros Líbani.

6. Et comminuet eas tamquàm vítulum Líbani, * & dilectus quemádmodùm fílius unicórnium.

7. Vox Dómini intercidentis flammam ignis; * vox Dómini concutientis desertum; & commovébit Dóminus desertum Cades.

8. Vox Dómini præparantis cervos, & revelábit condensa; * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

9. Dóminus dilúvium inhabitáre facit; * & sedébit Dóminus Rex in æternum.

10. Dóminus virtútem pópulo suo dabit: * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

*Ant.* Sedébit Dóminus Rex in æternum: Dóminus virtútem pópulo suo dabit.

IV. Psalmus 67.

*Carmen triumphale de Christi & Ecclesiæ victoriis ab Ascensione Christi usque ad ultimum ejus adventum.*

1. EXsurgat Deus, & dissipētur inimíci ejus, * & fúgiant qui odérunt eum à fácie ejus.

2. Sicut déficit fumus, defíciant: * sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei.

3. Et justi epulentur, & exsultēt in conspectu Dei; * & delectentur in lætítiâ.

4. Cantáte Deo; psalmū dícite nómini ejus: * iter fácite ei qui ascendit super occásum.

5. Dóminus nomen illi: * exsultáte in conspectu ejus.

6. Turbabuntur à fácie ejus, * patris orphanórum & júdicis viduárum.

7. Deus in loco sancto suo; * Deus, qui inhabitáre facit unius moris in domo;

8. Qui edúcit vinctos in fortitúdine; * simíliter eos qui exásperant, qui hábitant in sepulcris.

9. Deus, cùm egrederéris in conspectu pópuli tui, * cùm pertransíres in deserto;

10. Terra mota est; * étenim cœli distillavérunt à fácie Dei Sínai, à fácie Dei Israel.

11. Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hereditáti tuæ: * & infirmáta est; tu verò perfecisti eam.

12. Animália tua habitábunt in eâ: * parasti in dulcédine tuâ páuperi, Deus.

*Ant.* Justi epulentur & exsultent in conspectu Dei, & delectentur in lætítiâ.

V. *Divisio Psalmi 67.*

13. DOminus dabit verbum evangelizántibus * virtúte multâ.

14. Rex virtútum dilecti dilecti; * & speciéi domûs divídere spólia.

15. Si dormiátis inter médios [focos, evolando exíbitis inde; * & pennæ vestræ] pennæ columbæ deargentátæ & posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

16. Dùm discernit cœlestis reges super eam;* nive dealbabuntur in Selmon.

17. Mons Dei, mons pinguis; * mons coagulátus, mons pinguis.

18. Ut quid suspicámini montes coagulátos? * mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo; étenim Dóminus habitábit in finem.

19. Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium: * Dóminus in eis in Sinâ, in sancto.

20, Ascendisti in altum; cepisti captivitátem; * accepisti dona in homínibus.

21. Etenim non credentes, * inhabitáre Dóminum Deum.

22. Benedictus Dóminus die, quotídie;* próspcrum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

23. Deus noster, Deus salvos faciendi; * & Dómini Dómini éxitus mortis.

24. Verúmtamen Deus confringet cápita inimicórum suórum, * vérticem capilli perambulántium in delíctis suis.

25. Dixit Dóminus: Ex Basan convertam; * convertam in profundum maris:

26. Ut intingátur pes tuus in sánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipso.

*Ant.* Benedictus Dóminus die, quotídie: prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

VI. *Divisio Psalmi 67.*

27. VIdérunt ingressus tuos, Deus; * ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in sancto.

28. Prævenérunt príncipes conjuncti psalléntibus,* in médio juvenculárum tympanistriárum.

29. In Ecclésiis benedícite Deo; * Dómino, de fóntibus Israel.

30. Ibi Bénjamin adolescéntulus in mentis excessu:* príncipes Juda, duces eórum, príncipes Zabúlon, príncipes Néphthali.

31. Manda, Deus, virtúti tuæ; confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis à templo tuo in Jerúsalem: * tibi ófferent reges múnera.

32. Increpa feras arúndinis, congregátionem taurórum in vaccis populórum, ut exclúdant eos qui probáti

sunt argento : * díssipa gentes quæ bella volunt.

33. Vénient legáti ex Ægypto : * Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

34. Regna terræ, cantáte Deo ; psállite Dómino : * psállite Deo qui ascendit super cœlum cœli ad Oriéntem.

35. Ecce dabit voci suæ vocem virtútis : * date glóriam Deo.

36. Super Israel magnificéntia ejus ; * & virtus ejus in núbibus.

37. Mirábilis Deus in sanctis suis ; Deus Israel ipse dabit virtútem, & fortitúdinem plebi suæ ; * benedíctus Deus.

*Ant.* Deus Israel ipse dabit virtútem & fortitúdinem plebi suæ : benedíctus Deus.

℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine! ℟. Quam abscondísti timéntibus te ! *Ps.* 30.

*Absolutio.* Adapériat Deus, cor vestrum in lege suâ, & in præceptis suis, & faciat pacem. *II. Mach.* 1. ℟. Amen.

*Benedictiones ad caput Psalterii.*

## *IN II. NOCTURNO.*

I. PSALMUS 44.
*Carmen nuptiale de Christi & Ecclesiæ dotibus.*

1. ERuctávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi : * lingua mea cálamus scribæ velóciter scribentis.

2. Speciósus formâ præ fíliis hóminum ; diffúsa est grátia in lábiis tuis ; * proptéreà benedixit te Deus in æternum.

3. Accíngere gládio tuo super femur tuum, potentíssime, spécie tuâ & pulchritúdine tuâ ; * intende, prósperè procéde.

4. Et regna propter veritátem, & mansuetúdinem & justítiam ; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

5. Sagittæ tuæ acútæ ; pópuli sub te cadent ; * in corda inimicórum Regis.

6. Sedes tua, Deus, in sǽculum sǽculi : * virga directiónis, virga regni tui.

7. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem ; * proptéreà unxit te, Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

8. Myrrha, & gutta, & cásia à vestimentis tuis ; * à dómibus ebúrneis, ex quibus delectavérunt te.

9. Fíliæ regum in honóre tuo : * ádstitit Regína à dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

10. Audi, filia, & vide, & inclína aurem tuam ; * & obliviscere pópulum tuũ, & domum patris tui.

11. Et concupíscet Rex decórem tuum ; * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

12. Et fíliæ Tyri in mu-

néribus: * vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

13. Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intùs; * in fimbriis áureis, circumamicta varietátibus.

14. Adducentur Regi vírgines post eam: * próximæ ejus afferentur tibi.

15. Afferentur in lætítiâ & exsultatióne: * adducentur in templum Regis.

16. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

17. Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatióne.

18. Proptéreà pópuli confitebuntur tibi in æternum * & in séculum séculi.

II. PSALMUS 46.

*Christus in cælum ascendens, gentes vocat, suumque regnum ubiquè propagat.*

1. OMnes gentes, pláudite mánibus: * jubiláte Deo in voce exsultatiónis.

2. Quóniam DÓMINUS excelsus, terríbilis: * Rex magnus super omnem terrã.

3. Subjécit pópulos nobis; * & gentes sub pédibus nostris.

4. Elégit nobis hereditátem suam, * spéciem Jacob, quam diléxit.

5. Ascendit Deus in júbilo; * & DÓMINUS in voce tubæ.

6. Psállite Deo nostro, psállite: * psállite Regi nostro, psállite.

7. Quóniam Rex omnis terræ Deus: * psállite sapienter.

8. Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

9. Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham; * quóniam Dei sunt fortes terræ; vehementer elevátus est.

III. PSALMUS 47.

*Ecclesia Dei frustrà impugnata; Deus fundavit eam in æternum.*

1. MAgnus DÓMINUS & laudábilis nimìs, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

2. Fundátur exsultatióne universæ terræ mons Sion; * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

3. Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cùm suscípiet eam.

4. Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt; * convenérunt in unum.

5. Ipsi videntes sic, admiráti sunt; * conturbáti sunt, commóti sunt.

6. Tremor apprehendit eos: * ibi dolóres ut parturientis.

7. In spíritu vehementi * cónteres naves Tharsis.

8. Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte DÓMINI virtútum, in civitáte Dei

nostri; * Deus fundávit eam in ætérnum.

9. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

10. Secundùm nomen tuum, Deus, sic & laus tua in fines terræ; * justítiâ plena est déxtera tua.

11. Lætétur mons Sion, & exultent fíliæ Judæ; * propter judícia tua, Dómine.

12. Circúmdate Sion, & complectímini eam: * narráte in túrribus ejus.

13. Pónite corda vestra in virtúte ejus; * & distribúite domos ejus, ut enarrétis in progénie álterâ.

14. Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in séculum séculi; * ipse reget nos in sécula.

IV. PSALMUS 88.

*Promissiones Davidi factæ in Christo solo adimplendæ; immutabiles sunt, nec adversis hujus vitæ delendæ.*

1. MIsericórdias DÓMINI in ætérnum cantábo: * in generatiónem & generatiónem annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

2. In ætérnum misericórdia ædificábitur in cœlis: * præparábitur véritas tua in eis.

3. Quóniam dixisti: Dispósui testaméntum eléctis meis; * jurávi David servo meo.

4. Usque in ætérnum præparábo semen tuum; * & ædificábo in generatiónem & generatiónem sedem tuam.

5. Confitebúntur cœli mirabília tua, DÓMINE; * étenim veritátem tuam in ecclésiâ sanctórum.

6. Quóniam quis in núbibus æquábitur DÓMINO? * símilis erit DEO in fíliis Dei?

7. Deus qui glorificátur in concílio sanctórum; * magnus & terríbilis super omnes qui in circúitu ejus sunt.

8. DÓMINE Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es, DÓMINE, & véritas tua in circúitu tuo.

9. Tu domináris potestáti maris: * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

10. Tu humiliasti sicut vulnerátum, supérbum: * in bráchio virtútis tuæ dispersisti inimícos tuos.

11. Tui sunt cœli, & tua est terra: * orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundasti.

12. Aquilónem & mare tu creasti: * Thabor & Hermon in nómine tuo exsultábunt.

13. Tuum bráchium cum poténtiâ: * firmétur manus tua; & exaltétur déxtera tua.

14. Justítia & judícium præparátio sedis tuæ: * misericórdia & véritas præcédent fáciem tuam.

V. *Divisio Psalmi* 88.

15. BEátus pópulus qui scit jubilatiónem! * Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt.

16. Et in nómine tuo exsultábunt totâ die; * & in justítiâ tuâ exaltabuntur:

17. Quóniam glória virtútis eórum tu es; * & in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum:

18. Quia Dómini est assúmptio nostra; * & Sancti Israel Regis nostri.

19. Tunc locútus es in visióne Sanctis tuis, & dixisti: * Pósui adjutórium in potente; & exaltávi electum de plebe meâ.

20. Invéni David servum meum: * óleo sancto meo unxi eum.

21. Manus enim mea auxiliábitur ei; * & bráchium meum confortábit eum.

22. Nihil profíciet inimícus in eo; * & filius iniquitátis non apponet nocére ei.

23. Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus; * & odientes eum in fugam convertam.

24. Et véritas mea & misericórdia mea cum ipso; * & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

25. Et ponam in mari manum ejus, * & in flumínibus déxteram ejus.

26. Ipse invocábit me: Pater meus es tu: * Deus meus, & susceptor salútis meæ.

27. Et ego primogénitum ponam illum, * excelsum præ régibus terræ.

28. In ætérnum servábo illi misericórdiam meam; * & testamentum meum fidéle ipsi.

29. Et ponam in séculum séculi semen ejus, * & thronum ejus sicut dies cœli.

30. Si autem derelíquerint filii ejus legem meam; * & in judíciis meis non ambuláverint:

31. Si justítias meas profanáverint; * & mandáta mea non custodíerint:

32. Visitábo in virgâ iniquitátes eórum, * & in verbéribus peccáta eórum;

33. Misericórdiam autem meam non dispergam ab eo; * neque nocébo in veritáte meâ:

34. Neque profanábo testamentum meum; * & quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

35. Semel jurávi in sancto meo: * Si David méntiar:

36. Semen ejus in ætérnum manébit; * & thronus ejus sicùt sol in conspectu meo;

37. Et sicut luna perfecta in ætérnum, * & testis cœlo fidélis.

VI. *Divisio Psalmi* 88.

38. TU verò repulisti & despexisti: * distulisti Christum tuum.

39. Evertisti testamen-

tum servi tui : * profanasti in terrâ sanctuárium ejus.

40. Destruxisti omnes sepes ejus : * posuisti firmamentum ejus formídinem.

41. Diripuérunt eum omnes transeuntes viam : * factus est oppróbrium vicínis suis.

42. Exaltasti déxteram depriméntium eum : * lætificasti omnes inimícos ejus.

43. Avertisti adjutórium gládii ejus ; * & non es auxiliátus ei in bello.

44. Destruxisti eum ab emundatióne ; * & sedem ejus in terram collisisti.

45. Minorasti dies témporis ejus : * perfudisti eum confusióne.

46. Usquequò, Dómine, avertis in finem ? * exardescet sicut ignis ira tua ?

47. Memoráre quæ mea substántia : * numquid enim vanè constituisti omnes filios hóminum ?

48. Quis est homo qui vivet, & non vidébit mortem ? * éruet ánimam suam de manu ínferi ?

49. Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine, * sicut jurasti David in veritáte tuâ ?

50. Memor esto, Dómine, oppróbrii servórum tuórum, (quod contínui in sinu meo,) * multárum géntium,

51. Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine, * quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

52. Benedictus Dóminus in æternum : * fiat, fiat.

*Ant.* Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt ; & in nómine tuo exsultábunt totâ die ; & in justítiâ tuâ exaltabuntur.

Lectio. *Rom.* 3.

NUnc sine lege justítia Dei manifestáta est, testificáta à Lege & Prophétis : justítia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum ; non enim est distínctio : omnes enim peccavérunt, & egent glóriâ Dei, justificáti gratis per grátiam ipsíus per redemptiónem, quæ est in Christo Jesu, quem propósuit Deus propitiatiónem per fidem in sánguine ipsíus.

℣. Ab ipso salutáre meum :
℟. Nam & ipse Deus meus & salutáris meus. *Ps.* 61.

*Collecta infrà ad Laudes.*

---

## AD LAUDES.

I. Psalmus 80.

*Festa Dei piè celebranda : Judæos infideles Deus dimisit in desideria cordis eorum.*

1. EXsultáte Deo adjutóri nostro : * jubiláte Deo Jacob.

2. Súmite psalmum, & date tympanum, * psalté-

tium jucundum cum cíthara.

3. Buccináte in neoméniâ tubâ,* in insigni die solemnitátis vestræ.

4. Quia præceptum in Israel est, * & judícium Deo Jacob.

5. Testimónium in Joseph pósuit illud, cùm exiret de terrâ Ægypti, * linguam, quam non nóverat, audivit.

6. Divertit ab onéribus dorsum ejus: * manus ejus à cóphino recessérunt.

7. In tribulatióne invocasti me, & liberávi te: * exaudívi te in abscóndito tempestátis; probávi te apud aquam contradictiónis.

8. Audi, pópulus meus, & contestábor te;* Israel, si audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum:

9. Ego enim sum Dómi-nus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti; * diláta os tuum, & implébo illud.

10. Et non audívit pópulus meus vocem meam, * & Israel non intendit mihi.

11. Et dimísi eos secundùm desidéria cordis eórum; * ibunt in adinventiónibus suis.

12. Si pópulus meus audisset me, * Israel si in viis meis ambulasset:

13. Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliassem, * & super tribulantes eos misissem manum meã.

14. Inimíci Dómini mentíti sunt ei; * & erit tempus eórum in sécula.

15. Et cibávit eos ex ádipe frumenti; * & de petrâ, melle saturávit eos.

*Ant.* Audi, pópulus meus, & contestábor te; ego sum Dóminus Deus tuus.

II. Psalmus 107.

*Christi regnum & victoria. Vocatio gentium ad fidem.*

1. PArátum cor meum, Deus, parátum cor meum; * cantábo & psallam in glóriâ meâ.

2. Exsurge, glória mea; exsurge, psaltérium & cíthara:* exsurgam dilúculo.

3. Confitébor tibi in pópulis, Dómine; * & psallam tibi in natiónibus.

4. Quia magna est super cœlos misericórdia tua, * & usque ad nubes véritas tua.

5. Exaltáre super cœlos, Deus, * & super omnem terram glória tua.

*Ant.* Parátum cor meũ, Deus: exsurgam dilúculó: confitébor tibi, Dómine.

III. *Divisio Psalmi* 107.

6. UT liberentur dilecti tui; * salvum fac déxterâ tuâ, & exaudi me.

7. Deus locútus est in sancto suo: * exsultábo, & dívidam Síchimam; & convallem tabernaculórum dimétiar.

Vectígal exsolvet suum,
Et ad salútem libero
Prométur ore véritas.

O, qui superbos réspuis,
Et símplices amas, Deus;
Ut crescat in nobis fides,
Cordis tumóre cómprime.

Sit summa Patri glória;
Sit summa Nato, qui fidem
Cruóre fundávit suo:
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Declarátio sermónum tuórum illúminat; ℟. Et intelléctum dat párvulis. *Ps.* 118.

*Ad* Benedíctus. *Ant.* Deus, qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illuxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei in fácie Christi Jesu. *II. Cor.* 4.

COLLECTA. *Sacr. S. Leon.*

AUge fidem tuam, Dómine, quæsumus, miserátus in nobis, † quia pietátis tuæ subsídia non negábis, * quibus in te credendi contúleris firmitátem; Per Dóminum.

---

AD PRIMAM.

PSALMUS 19.

*Christi preces & sacrificium pro suis acceptari plebs ejus poscit.*

1. EXáudiat te DÓMINUS in die tribulatiónis; * prótegat te nomen Dei Jacob.

2. Mittat tibi auxílium de Sancto; * & de Sion tueátur te.

3. Memor sit omnis sacrifícii tui; * & holocaustum tuum pingue fiat.

4. Tríbuat tibi secundùm cor tuum; * & omne consílium tuum confírmet.

5. Lætábimur in salutári tuo; & in nómine Dei nostri magnificábimur: * ímpleat DÓMINUS omnes petitiónes tuas.

6. Nunc cognóvi quóniam salvum fecit DÓMINUS Christum suum; * exáudiet illum de cœlo sancto suo; in potentátibus salus déxteræ ejus.

7. Hi in cúrribus, & hi in equis; * nos autem in nómine DÓMINI Dei nostri invocábimus.

8. Ipsi obligáti sunt, & cecidérunt; * nos autem surréximus, & erecti sumus.

9. DÓMINE, salvum fac Regem; * & exaudi nos in die quâ invocavérimus te.

PSALMUS 89.

*Brevitas & miseria hujus vitæ: peccati pœna. Misericordia Dei semper exoranda.*

1. DOmine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

2. Priusquàm montes fíerent, aut formarétur terra & orbis, * à sǽculo & usque in sǽculum tu es Deus.

3. Ne avertas hóminem in humilitátem;* & dixisti: Convertímini, filii hóminum.

4. Quóniam mille anni ante óculos tuos tamquàm dies hesterna quæ prætériit, & custódia in nocte: * quæ pro níhilo habentur, eórum anni erunt.

5. Mane sicut herba tránseat: mane flóreat & tránseat: * véspere décidat, indúret & aréscat.

6. Quia defécimus in irâ tuâ; * & in furóre tuo turbáti sumus.

7. Posuisti iniquitátes nostras in conspectu tuo: * séculum nostrum in illuminatióne vultûs tui.

8. Quóniam omnes dies nostri defecérunt; * & in irâ tuâ defécimus.

9. Anni nostri sicut aránea meditabuntur: * dies annórum nostrórum in ipsis septuaginta anni.

10. Si autem in potentátibus, octoginta anni; * & ámpliùs eórum labor & dolor.

11. Quóniam supervénit mansuetúdo, * & corripiémur.

*Divisio Psalmi 89.*

12. QUis novit potestátem iræ tuæ, * & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

13. Déxteram tuam sic notam fac, * & erudítos corde in sapiéntiâ.

14. Convértere, DÓMINE, úsquequò? * & deprecábilis esto super servos tuos.

15. Repléti sumus mane misericórdiâ tuâ; * & exsultávimus, & delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

16. Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliasti, * annis quibus vídimus mala.

17. Réspice in servos tuos, in ópera tua: * & dírige filios eórum;

18. Et sit splendor DÓMINI Dei nostri super nos,* & ópera mánuum nostrárum dírige.

*Ant.* Lætábimur in salutári tuo, Dómine; & in nómine Dei nostri magnificábimur.

---

## AD TERTIAM.

PSALMUS 25.

*Sacerdotes accedentes ad altare purgari semper expetunt.*

1. JUdica me, DÓMINE, quóniam ego in innocéntiâ meâ ingressus sum;* & in DÓMINO sperans, non infirmábor.

2. Proba me, DÓMINE, & tenta me; * ure renes meos & cor meum.

3. Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est,* & complácui in veritáte tuâ.

4. Non sedi cum concílio vanitátis, * & cum iníqua geréntibus non introíbo.

5. Odívi ecclésiam malignántium, * & cum ímpiis non sedébo.

6. Lavábo inter innocentes manus meas; * & circúmdabo altáre tuum, Dómine:

7. Ut áudiam vocem laudis, * & enarrem universa mirabília tua.

8. Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, * & locum habitatiónis glóriæ tuæ.

9. Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * & cum viris sánguinum vitam meam:

10. In quorum mánibus iniquitátes sunt, * déxtera eórum repléta est munéribus.

11. Ego autem in innocéntiâ meâ ingressus sum; * rédime me, & miserére meî.

12. Pes meus stetit in directo; * in ecclésiis benedícam te, Dómine.

Psalmus 83.

*Æterna Dei tabernacula, unicum fidelis desiderium.*

1. Quàm dilecta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupiscit, & déficit ánima mea in átria Dómini.

2. Cor meum & caro mea, * exsultavérunt in Deum vivum.

3. Etenim passer invénit sibi domum; * & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

4. Altária tua, Dómine virtútum, * Rex meus, & Deus meus.

5. Beáti qui hábitant in domo tuâ, Dómine! * in sécula seculórum laudábunt te.

6. Beátus vir cujus est auxílium abs te! * ascensiónes in corde suo dispósuit in valle lacrymárum, in loco quem pósuit!

7. Etenim benedictiónem dabit legislátor; ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

8. Dómine Deus virtútum, exaudi oratiónem meam: * áuribus pércipe, Deus Jacob.

9. Protector noster, áspice, Deus: * & réspice in fáciem Christi tui.

10. Quia mélior est dies una in átriis tuis super míllia: * elégi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum.

11. Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus: * grátiam & glóriam dabit Dóminus.

12. Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntiâ; * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te!

Psalmus 98.

*Christi regnum super omnes populos; ipse est cui serviebant patres antiqui.*

1. Dóminus regnávit; irascantur pópuli: *

qui sedet super Chérubim; moveátur terra.

2. DÓMINUS in Sion magnus; * & excelsus super omnes pópulos.

3. Confiteantur nómini tuo magno; quóniam terríbile & sanctum est; * & honor Regis judícium díligit.

4. Tu parasti directiónes: * judícium & justítiam in Jacob tu fecisti.

5. Exaltáte DÓMINUM Deum nostrum, * & adoráte scabellum pedum ejus, quóniam sanctum est.

6. Móyses & Aaron in sacerdótibus ejus, * & Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

7. Invocábant DÓMINUM, & ipse exaudiébat eos; * in columnâ nubis loquebátur ad eos.

8. Custodiébant testimónia ejus, * & præceptum quod dedit illis.

9. DÓMINE Deus noster, tu exaudiébas eos; * Deus, tu propítius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiónes eórum.

10. Exaltáte DÓMINUM Deum nostrum, & adoráte in monte sancto ejus; * quóniam sanctus DÓMINUS Deus noster.

*Ant.* Misericórdiam & veritátem díligit Deus: grátiam & glóriam dabit Dóminus.

LECTIO. *Hebr.* 11.

Sine fide impossíbile est placére Deo; † crédere enim oportet accedentem ad Deum quia est, * & inquiréntibus se remunerátor sit.

℣. Bonitátem, & disciplínam, & sciéntiam doce me; ℟. Quia mandátis tuis crédidi. *Ps.* 118.

---

## AD SEXTAM.

PSALMUS 22.

*Quem Deus tuetur & pascit, nihil illi deest.*

1. DOMINUS regit me; * & nihil mihi déerit.

2. In loco páscuæ, ibi me collocávit: * super aquam refectiónis educávit me.

3. Animam meam convertit; * deduxit me super sémitas justítiæ, propter nomen suum.

4. Nam & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala; * quóniam tu mecum es.

5. Virga tua & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

6. Parasti in conspectu meo mensam, * adversùs eos qui tríbulant me.

7. Impinguasti in óleo caput meum; * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

8. Et misericórdia tua subsequétur me, * ómnibus diébus vitæ meæ;

9. Et ut inhábitem in do-

mo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Psalmus 32.

*Justorum exsultatio ob mundi per Verbum Dei creationem & redemptionem.*

1. EXsultáte, justi, in Dómino: * rectos decet collaudátio.

2. Confitémini Dómino in cítharâ: * in psaltério decem chordárum psállite illi.

3. Cantáte ei cánticum novum: * benè psállite ei in vociferatióne.

4. Quia rectum est verbum Dómini: * & ómnia ópera ejus in fide.

5. Díligit misericórdiam & judícium: * misericórdiâ Dómini plena est terra.

6. Verbo Dómini cœli firmáti sunt, * & spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

7. Cóngregans sicut in utre aquas maris; * ponens in thesauris abyssos.

8. Tímeat Dóminum omnis terra; * ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

9. Quóniam ipse dixit, & facta sunt; * ipse mandávit, & creáta sunt.

10. Dóminus díssipat consília géntium: * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum.

11. Consílium autem Dómini in ætérnum manet: * cogitatiónes cordis ejus, in generatiónem & generatiónem.

*Divisio Psalmi 32.*

12. BEáta gens cujus est Dóminus Deus ejus; * pópulus quem elégit in hereditátem sibi.

13. De cœlo respexit Dóminus: * vidit omnes fílios hóminum.

14. De præparáto habitáculo suo, * respexit super omnes qui hábitant terram.

15. Qui finxit singulátim corda eórum; * qui intélligit ómnia ópera eórum.

16. Non salvátur Rex per multam virtútem; * & gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

17. Fallax equus ad salútem: * in abundántiâ autem virtútis suæ non salvábitur.

18. Ecce óculi Dómini super metuentes eum, * & in eis qui sperant super misericórdiâ ejus:

19. Ut éruat à morte ánimas eórum, * & alat eos in fame.

20. Anima nostra sústinet Dóminum; * quóniam adjútor & protector noster est.

21. Quia in eo lætábitur cor nostrum; * & in nómine sancto ejus sperávimus.

22. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

*Ant.* Dóminus regit me, & nihil mihi déerit.

Lectio. *Rom.* 10.

SI confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, & in corde tuo credíderis quòd Deus illum suscitávit à mórtuis, salvus eris. † Corde enim créditur ad justítiam; ore autem conféssio fit ad salútem. * Dicit enim Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur.

℣. Os meum annuntiábit justítiam tuam, ℟. Totâ die salutáre tuum. *Ps.* 70.

## AD NONAM.

Psalmus 102.

*Deus ob immensam bonitatem & innumera beneficia toto corde & ore benedicendus.*

1. BEnedic, ánima mea, Dómino; * & ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

2. Bénedic, ánima mea, Dómino; * & noli oblivísci omnes retributiónes ejus;

3. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; * qui sanat omnes infirmitátes tuas;

4. Qui rédimit de intéritu vitam tuam; * qui corónat te in misericórdiâ & miseratiónibus:

5. Qui replet in bonis desidérium tuum; * renovábitur ut áquilæ juventus tua.

6. Fáciens misericórdias Dóminus, * & judícium ómnibus injúriam paciéntibus.

7. Notas fecit vias suas Móysi, * filiis Israel voluntátes suas.

*Divisio Psalmi* 102.

8. MIserátor & miséricors Dóminus, * longánimis & multùm miséricors:

9. Non in perpétuum irascétur; * neque in ætérnum comminábitur.

10. Non secundùm peccáta nostra fecit nobis; * neque secundùm iniquitátes nostras retríbuit nobis.

11. Quóniam secundùm altitúdinem cœli à terrâ, * corroborávit misericórdiã suam super timentes se.

12. Quantùm distat Ortus ab Occidente, * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

13. Quómodò miserétur pater filiórum, * misertus est Dóminus timéntibus se.

14. Quóniam ipse cognóvit figmentum nostrum: * recordátus est quóniam pulvis sumus.

15. Homo sicut fœnum dies ejus; * tamquàm flos agri, sic efflorébit.

16. Quóniam spíritus pertransíbit in illo, & non subsistet; * & non cognoscet ámpliùs locum suum.

*Divisio Psalmi* 102.

17. MIsericórdia autem DÓMINI ab ætérno & usquè in æternum * super timentes eum.

18. Et justítia illíus in fílios filiórum, his qui servant testamentum ejus; * & mémores sunt mandatórum ipsíus ad faciendum ea.

19. DÓMINUS in cœlo parávit sedem suam; * & regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

20. Benedícite DÓMINO, omnes Angeli ejus, potentes virtúte facientes verbum illíus, * ad audiendam vocem sermónum ejus.

21. Benedícite DÓMINO, omnes virtútes ejus, * ministri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

22. Benedícite DÓMINO, ómnia ópera ejus, in omni loco dominatiónis ejus: * bénedic, ánima mea, DÓMINO.

*Ant.* Benedícite Dómino, ministri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

LECTIO. *Jac.* 2.

SIcut corpus sine spíritu mórtuum est, * ita & fides sine opéribus mórtua est.

℣. Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? ℟. Qui ingréditur sine máculâ, & operátur justítiam. *Ps.* 14.

---

AD VESPERAS.

I. PASLMUS 115.

*Calix salutaris accipiendus; vota Deo reddenda.*

1. CRédidi; propter quod locútus sum: * ego autẽ humiliátus sum nimìs.

2. Ego dixi in excessu meo: * Omnis homo mẽdax.

3. Quid retríbuam DÓMINO * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

4. Cálicem salutáris accípiam; * & nomen DÓMINI invocábo.

5. Vota mea DÓMINO reddam, * coram omni pópulo ejus.

6. Pretiósa in conspectu DÓMINI, * mors Sanctórum ejus.

7. O DÓMINE, quia ego servus tuus; ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ: * dirupisti víncula mea.

8. Tibi sacrificábo hóstiam laudis; * & nomen DÓMINI invocábo.

9. Vota mea DÓMINO reddam in conspectu omnis pópuli ejus, * in átriis domûs DÓMINI, in médio tuî, Jerúsalem.

*Ant.* Crédidi; propter quod locútus sum: ego autem humiliátus sum nimìs.

II. PSALMUS 144.

*Dei magnitudo, potentia, magnificentia, patientia, justitia, bonitas.*

1. EXaltábo te, Deus meus Rex; * & be-

nedícam nómini tuo in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

2. Per ſíngulos dies benedícam tibi; * & laudábo nomen tuum in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

3. Magnus Dóminus & laudábilis nimìs; * & magnitúdinis ejus non eſt finis.

4. Generátio & generátio laudábit ópera tua; * & poténtiam tuam pronuntiábunt.

5. Magnificéntiam glóriæ ſanctitátis tuæ loquentur;* & mirabília tua narrábunt.

6. Et virtútem terribílium tuórum dicent; * & magnitúdinem tuam narrábunt.

7. Memóriam abundántiæ ſuavitátis tuæ eructábunt; * & juſtítiâ tuâ exſultábunt.

8. Miſerátor & miſéricors Dóminus, * pátiens & multùm miſéricors.

9. Suávis Dóminus univerſis; * & miſeratiónes ejus ſuper ómnia ópera ejus.

*Ant.* Generátio & generátio laudábit ópera tua, & poténtiam tuam pronuntiábunt.

III. *Diviſio Pſalmi* 144.

10. CONfiteantur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; * & ſancti tui benedícant tibi.

11. Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquentur:

12. Ut notam fáciant filiis hóminum poténtiam tuam, * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

13. Regnum tuum, regnum ómnium ſeculórũ;* & dominátio tua in omni generatióne & generatióne.

14. Fidélis Dóminus in ómnibus verbis ſuis; * & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis.

15. Allevat Dóminus omnes qui córruunt; * & érigit omnes eliſos.

16. Oculi ómnium in te ſperant, Dómine; * & tu das eſcam illórum in témpore opportúno.

17. Aperis tu manum tuam; * & imples omne ánimal benedictióne.

18. Juſtus Dóminus in ómnibus viis ſuis; * & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis.

19. Propè eſt Dóminus ómnibus invocántibus eũ,* ómnibus invocántibus eum in veritáte.

20. Voluntátem timéntium ſe fáciet, & deprecatiónem eórum exáudiet,* & ſalvos fáciet eos.

21. Cuſtódit Dóminus omnes diligentes ſe; * & omnes peccatóres diſperdet.

22. Laudatiónem Dómini loquétur os meum; * & benedícat omnis caro nómini ſancto ejus in ſéculum, & in ſéculum ſéculi.

*Ant.* Fidélis Dóminus in ómnibus verbis ſuis, & ſanctus in ómnibus opéribus ſuis.

IV. PSALMUS 147.

*Specialis Dei erga Ecclesiam magnificentia.*

1. LAuda, Jerúsalem, Dóminum; * lauda Deum tuum, Sion.

2. Quóniam confortávit seras portárum tuárum, * benedixit filiis tuis in te:

3. Qui pósuit fines tuos pacem; * & ádipe frumenti sátiat te:

4. Qui emittit elóquium suum terræ; * velóciter currit sermo ejus.

5. Qui dat nivem sicut lanam; * nébulam sicut cínerem spargit:

6. Mittit crystallum suam sicut buccellas; * ante fáciem frígoris ejus, quis sustinébit?

7. Emittet verbum suum, & liquefáciet ea; * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ.

8. Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias & judícia sua Israel.

9. Non fecit táliter omni natióni; * & judícia sua non manifestávit eis.

*Ant.* Annúntiat Dóminus verbum suum Jacob. & judícia sua Israel: non fecit táliter omni natióni.

LECTIO. *I. Petr.* I.

CUm non vidéritis Christum, dilígitis; in quem nunc quoque non videntes créditis: † credentes autem exsultábitis lætítiâ inenarrábili & glorificátâ; * reportantes finem fidei vestræ salútem animárum.

℞. *br.* Illustra fáciem tuam super servum tuum: * Salvum me fac in misericórdiâ tuâ. ℞. Illustra. ℣. Dómine, non confundar; quóniam invocávi te. * Salvum. ℣. Glória. ℞. Illustra. *Ps.* 30.

HYMNUS *C.*

O Fortis, ô clemens Deus,
Salútis autor, tu fidem
Nostris potenter ínsere,
Germen salútis, córdibus.

Hinc omne robur dúcimus;
Hæc arma nobis; hoc manus
Protecta scuto, flámmea
Retundet hostis spícula.

Hinc fúndimus preces tibi
Sacri sub umbrâ nóminis,
Quo nítitur spes ómnium
Uno salútis pignore.

Placátus illo nómine,
Labántibus feres opem;
Dabisque, sanctam dégener
Ne vita deturpet fidem.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Infusa per quem córdibus
Relúcet imis véritas.
Amen.

℣. Non discédimus à te, Dómine, ℞. Vivificábis nos, & nomen tuum invocábimus. *Ps.* 79.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum,

verum, & quem misisti Jesum Christum. *Joan.* 17.

---

## AD COMPLETORIUM.

PSALMUS 11.

*Justorum paucitas; eloquiorum Domini laus; fidelitas ejus in promissis.*

1. SAlvum me fac, DÓMINE; quóniam defécit sanctus: * quóniam diminútæ sunt veritátes à filiis hóminum.

2. Vana locúti sunt unusquisque ad próximum suum: * lábia dolósa in corde & corde locúti sunt.

3. Disperdat DÓMINUS universa lábia dolósa, * & linguam magníloquam;

4. Qui dixérunt: Linguam nostram magnificábimus; lábia nostra à nobis sunt: * quis noster Dóminus est?

5. Propter misériam inopum & gémitum páuperū, * nunc exsurgam, dicit DÓMINUS.

6. Ponam in salutári: * fiduciáliter agam in eo.

7. Elóquia DÓMINI, elóquia casta: * argentum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

8. Tu, DÓMINE, servábis nos, * & custódies nos à generatióne hâc in æternum.

9. In circúitu ímpii ámbulant: * secundùm altitúdinem tuam multiplicasti filios hóminum.

PSALMUS 38.

*Continenda lingua; mundi contemptus; vitæ præsentis brevitas, æternæ desiderium.*

1. DIxi: Custódiam vias meas; * ut non delinquam in linguâ meâ.

2. Pósui ori meo custódiam, * cùm consísteret peccátor advérsum me.

3. Obmútui, & humiliátus sum, & sílui à bonis; * & dolor meus renovátus est.

4. Concáluit cor meum intra me; & in meditatióne meâ exardescet ignis: * locútus sum in linguâ meâ.

5. Notum fac mihi, DÓMINE, finem meum, & númerum diérum meórum quis est; * ut sciam quid desit mihi.

6. Ecce mensurábiles posuisti dies meos; & substántia mea tamquàm níhilum ante te: * verùmtamen universa vánitas, omnis homo vivens.

7. Verùmtamen in imágine pertransit homo; * sed & frustrà conturbátur.

8. Thesaurízat; * & ignórat cui congregábit ea.

9. Et nunc quæ est exspectátio mea? nonne Dóminus? * & substántia mea apud te est.

*Divisio Psalmi* 38.

10. AB ómnibus iniquitátibus meis érue me; * oppróbrium insipienti dedisti me.

11. Obmútui, & non

apérui os meum; * quóniam tu fecisti.

12. Amove à me plagas tuas; * à fortitúdine manûs tuæ, ego deféci in increpatiónibus.

13. Propter iniquitátem corripuisti hóminem, & tabéscere fecisti sicut aráneam ánimam ejus; * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

14. Exaudi oratiónem meam, DÓMINE, & deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lácrymas meas.

15. Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, & peregrínus; * sicut omnes patres mei.

16. Remitte mihi, ut refrígerer; * priusquàm ábeam, & ámplius non ero.

*Cant.* Nunc dimittis.

---

## FERIA SEXTA.

*Christus patiens & moriens, adjutor in tribulationibus.*

---

## AD OFFICIUM NOCT.

*In Psal.* Veníte. *Ant.* Dóminum adjutórem & Redemptórem nostrum, *Veníte, adorémus. *Ps.* 18.

### HYMNUS. C.

JAm sánctius moves opus,
Tecum, Deus, delíberans:
Mundo recenti príncipem,
Tibíque præcónem paras.
Homo creátur: hunc sacro,
Cœlestis oris hálitu
Succendis, & vivam tuî
Spiráre das imáginem.
Ergo per omnes æquoris,
Tellúris omnes & sinus
Regnábit: at memor suî
Deo minórem se gerat.
Heu, cæca cordis právitas!
Jugum rebellis éxcutit;
Deo superbus nec timet
Æquáre pulvis vérticem.
Hinc quanta lúctuum cohors
Incumbit orbi pérdito!
O Christe, ni feras opem,
Spes tota sontes déserat.
Qui nos creávit, laus Patri;
Laus, qui redémit, Fílio;
Cujus movémur hálitu,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

## *IN I. NOCTURNO.*

### I. PSALMUS 68.

*Agonia Christi & variæ passionis ejus circumstantiæ; reprobatio Judæorum, & Ecclesiæ ædificatio.*

1. SAlvum me fac, Deus; * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

2. Infixus sum in limo profundi; * & non est substántia.

3. Veni in altitúdinem maris; * & tempestas demersit me.

4. Laborávi clamans; raucæ factæ sunt fauces meæ: * defecérunt óculi

mei, dum spero in Deum meum.

5. Multiplicáti sunt super capillos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

6. Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injustè; * quæ non rápui, tunc exsolvébam.

7. Deus, tu scis insipiéntiam meam; * & delicta mea à te non sunt abscóndita.

8. Non erubescant in me qui exspectant te, Dómine, Dómine virtútum: * non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israel.

9. Quóniam propter te sustínui oppróbrium: * opéruit confúsio fáciem meam.

*Ant.* Propter te, Dómine, sustínui oppróbrium: opéruit confúsio ánimam meam.

II. *Divisio Psalmi* 68.

10. EXtráneus factus sum frátribus meis, * & peregrínus fíliis matris meæ.

11. Quóniam zelus domûs tuæ comédit me; * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

12. Et opérui in jejúnio ánimam meam; * & factum est in oppróbrium mihi.

13. Et pósui vestimentum meum cilícium; * & factus sum illis in parábolam.

14. Adversùm me loquebantur qui sedébant in portâ; * & in me psallébant qui bibébant vinum.

15. Ego verò oratiónem meam ad te, Dómine: * tempus beneplácitu, Deus.

16. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me, * in veritáte salútis tuæ.

17. Eripe me de luto, ut non infigar: * líbera me ab iis qui odérunt me, & de profundis aquárum.

18. Non me demergat tempestas aquæ, neque absórbeat me profundum; * neque úrgeat super me púteus os suum.

*Ant.* Opérui in jejúnio ánimam meam, & factum est in oppróbrium mihi.

III. *Divisio Psalmi* 68.

19. EXaudi me, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua: * secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

20. Et ne avertas fáciem tuam à púero tuo; * quóniam tríbulor, velóciter exaudi me.

21. Intende ánimæ meæ, & líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

22. Tu scis impropérium meum, & confusiónem meam & reveréntiã meã: * in conspectu tuo sunt omnes qui tríbulant me.

23. Impropérium exspectávit cor meum & misériam: * & sustínui qui simul contristarétur, & non

fuit; * & qui consolarétur, & non invéni.

24. Et dedérunt in escam meam fel; * & in siti meâ potavérunt me acéto.

25. Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * & in retributiónes, & in scándalum.

26. Obscurentur óculi eórum ne vídeant; * & dorsum eórum semper incurva.

27. Effunde super eos iram tuam; * & furor iræ tuæ comprehendat eos.

28. Fiat habitátio eórum deserta; * & in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

29. Quóniam quem tu percussísti, perseccúti sunt; * & super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

30. Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum; * & non intrent in justítiam tuam.

31. Deleantur de libro vivéntium; * & cum justis non scribantur.

*Ant.* In conspectu tuo sunt omnes qui tríbulant me: impropérium exspectávit cor meum & misériam.

IV. *Divisio Psalmi 68.*

32. EGo sum pauper & dolens: * salus tua, Deus, suscépit me.

33. Laudábo nomen Dei cum cántico; * & magnificábo eum in laude.

34. Et placébit Deo super vítulum novellum, * córnua producentem & úngulas.

35. Vídeant páuperes, & læténtur; * quærite Deum, & vivet ánima vestra:

36. Quóniam exaudívit páuperes DÓMINUS; * & vinctos suos non despexit.

37. Laudent illum cœli & terra, * mare, & ómnia reptília in eis.

38. Quóniam Deus salvam fáciet Sion, * & ædificabuntur civitátes Juda.

39. Et inhabitábunt ibi; * & hereditáte acquírent eam.

40. Et semen servórum ejus possidébit eam; * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in eâ.

*Ant.* Exaudívit páuperes Dóminus, & vinctos suos non despexit.

V. PSALMUS 73.

*Refugium nostrum in Deo solo; vox Ecclesiæ inter tribulationes.*

1. UT quid, Deus, repulisti in finem? * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

2. Memor esto congregatiónis tuæ, quam possedisti ab inítio: * redemisti virgam hereditátis tuæ; mons Sion, in quo habitasti in eo.

3. Leva manus tuas in supérbias eórum in finem: * quanta malignátus est inimícus in Sancto!

4. Et gloriáti sunt qui

odérunt te, * in médio solemnitátis tuæ.

5. Posuérunt signa sua, signa; * & non cognovérunt, sicut in éxitu super summum.

6. Quasi in silvâ lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idipsum: * in secúri & ásciâ dejecérunt eam.

7. Incendérunt igni Sanctuárium tuum: * in terrâ polluérunt tabernáculum nóminis tui.

8. Dixérunt in corde suo, cognátio eórum simul: * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei à terrâ.

9. Signa nostra non vídimus: jam non est Prophéta; * & nos non cognoscet ámpliùs.

*Ant.* Quanta malignátus est inimícus in Sancto! & gloriáti sunt qui odérunt te in médio solemnitátis tuæ.

VI. *Divisio Psalmi* 73.

10. Usquequò, Deus, improperábit inimícus? * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

11. Ut quid avertis manum tuam & déxteram tuam, * de médio sinu tuo, in finem?

12. Deus autem Rex noster ante sécula, * operátus est salútem in médio terræ.

13. Tu confirmasti in virtúte tuâ mare; * contribulasti cápita dracónum in aquis.

14. Tu confregisti cápita dracónis: * dedisti eum escam pópulis Æthiopum.

15. Tu dirupisti fontes & torrentes: * tu siccasti flúvios Ethan.

16. Tuus est dies, & tua est nox: * tu fabricátus es auróram & solem.

17. Tu fecisti omnes términos terræ: * æstátem & ver, tu plasmasti ea.

18. Memor esto hujus: inimícus improperávit Dómino; * & pópulus insípiens incitávit nomen tuũ.

19. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi; * & ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

20. Réspice in testamentum tuum; * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ, dómibus iniquitátum.

21. Ne avertátur húmilis factus confúsus; * pauper & inops laudábunt nomen tuum.

22. Exsurge, Deus, júdica causam tuam: * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiente sunt totâ die.

23. Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum: * supérbia eórum qui te odérunt, ascendit semper.

*Ant.* Exsurge, Deus; júdica causam tuam; memor esto improperiórum tuórum.

℣. Die ac nocte graváta est super me manus tua:

℟. Conversus sum in ærumnâ meâ, dum configitur spina. *Ps.* 31.

*Absolutio.* Occurrámus omnes in unitátem fidei & agnitiónis Fílii Dei, ut non circumferámur omni vento doctrínæ. *Eph.*4. ℟. Amen.

*Benedictiones ad caput Psalterii.*

## IN II. NOCTURNO.

I. PSALMUS 54.

*Proditionem Judæ conquerens Christus, persecutoribus ruinam minatur.*

1. EXaudi, Deus, oratiónem meam, & ne despéxeris deprecatiónem meam: * intende mihi, & exaudi me.

2. Contristátus sum in exercitatióne meâ, * & conturbátus sum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris.

3. Quóniam declinavérunt in me iniquitátem; * & in irâ molesti erant mihi.

4. Cor meum conturbátum est in me; * & formído mortis cécidit super me.

5. Timor & tremor venérunt super me; * & contexérunt me ténebræ.

6. Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? * & volábo, & requiescam.

7. Ecce elongávi fúgiẽs; * & mansi in solitúdine.

8. Exspectábam eum qui salvum me fecit, * à pusillanimitáte spíritûs & tempestáte.

II. *Divisio Psalmi* 54.

9. PRæcipita, Dómine, dívide linguas eórum; * quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte.

10. Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas; & labor in médio ejus, & injustítia: * & non defécit de platéis ejus usúra & dolus.

11. Quóniam si inimícus meus maledixisset mihi, * sustinuissem útique;

12. Et si is qui óderat me, super me magna locútus fuisset, * abscondissem me fórsitan ab eo.

13. Tu verò, homo unánimis, * dux meus & notus meus;

14. Qui simul mecum dulces capiébas cibos, * in domo Dei ambulávimus cum consensu.

15. Véniat mors super illos, & descendant in infernum viventes; * quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, in médio eórum.

16. Ego autem ad Deum clamávi; * & DÓMINUS salvábit me.

III. *Divisio Psalmi* 54.

17. VÉspere, & mane, & merídie narrábo & annuntiábo; * & exáudiet vocem meam.

18. Rédimet in pace ánimam meam ab his qui appropinquant mihi; * quóniam inter multos erant mecum.

19. Exáudiet Deus, & humiliábit illos; * qui eſt ante ſécula.

20. Non enim eſt illis commutátio, * & non timuérunt Deum.

21. Extendit manum ſuam in retribuendo: * contaminavérunt teſtamentum ejus.

22. Diviſi ſunt ab irâ vultûs ejus; * & appropinquávit cor illius.

23. Mollíti ſunt ſermónes ejus ſuper óleum; * & ipſi ſunt jácula.

24. Jacta ſuper Dóminum curam tuam, & ipſe te enútriet; * non dabit in ætérnum fluctuatiónem juſto.

25. Tu verò, Deus, dedúces eos in púteum interitûs; viri sánguinum & dolóſi non dimidiábunt dies ſuos: * ego autem ſperábo in te, Dómine.

IV. Psalmus 58.

*Chriſtus morti traditus, Judæorum diſperſionem prædicit.*

1. ERipe me de inimícis meis, Deus meus; * & ab inſurgéntibus in me líbera me.

2. Eripe me de operántibus iniquitátem; * & de viris ſánguinum ſalva me.

3. Quia ecce cepérunt ánimam meam: * irruérunt in me fortes.

4. Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine: ſine iniquitáte cucurri & direxi: * exſurge in occurſum meum, & vide.

5. Et tu, Dómine Deus virtútum, Deus Iſrael, intende ad viſitándas omnes gentes: * non miſereáris ómnibus qui operantur iniquitátem.

6. Converténtur ad véſperam, & famem patiéntur ut canes; * & circuíbunt civitátem.

7. Ecce loquéntur in ore ſuo, & gládius in lábiis eórum; * quóniam quis audívit?

8. Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

9. Fortitúdinem meam ad te cuſtódiam; * quia Deus ſuſceptor meus es.

10. Deus meus, miſericórdia ejus prævéniet me: * Deus oſtendet mihi ſuper inimícos meos.

11. Ne occídas eos, nequando obliviſcantur pópuli mei: * diſperge illos in virtúte tuâ, & depóne eos, protector meus, Dómine.

12. Delictum oris eórum, ſermónem labiórum ipſórum, * & comprehendantur in ſupérbiâ ſuâ.

13. Et de exſecratióne & mendácio annuntiabuntur in conſummatióne, * in irâ conſummatiónis, & non erunt.

14. Et ſcient quia Deus

dominábitur Jacob, * & finium terræ.

15. Converténtur ad vésperam, & famem patiéntur ut canes, * & circuíbunt civitátem.

16. Ipsi dispergéntur ad manducandum; * si verò non fúerint saturáti, & murmurâbunt.

17. Ego autem cantábo fortitúdinem tuam, * & exsultábo mane misericórdiam tuam.

18. Quia factus es suscéptor meus, * & refúgium meum in die tribulatiónis meæ.

19. Adjútor meus, tibi psallam, quia Deus suscéptor meus es; * Deus meus, misericórdia mea.

V. PSALMUS 69.

*Christus pro nobis patiens sibi pro nobis opem precatur.*

1. DEus, in adjutórium meum intende; * DÓMINE, ad adjuvandum me, festína.

2. Confundántur & revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

3. Avertántur retrorsùm & erubescant, * qui volunt mihi mala.

4. Avertántur statìm erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

5. Exsúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te; * & dicant semper, Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

6. Ego verò egénus & pauper sum: * Deus, ádjuva me.

7. Adjútor meus, & liberátor meus es tu: * DÓMINE, ne moréris.

VI. PSALMUS 75.

*Terribilis Deus in judiciis contra inimicos Ecclesiæ.*

1. NOtus in Judæâ Deus: * in Israel magnum nomen ejus.

2. Et factus est in pace locus ejus, * & habitátio ejus in Sion.

3. Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium & bellum.

4. Illúminans tu mirabíliter * à móntibus æternis.

5. Turbáti sunt omnes insipientes corde; dormiérunt somnum suum, * & nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

6. Ab increpatióne tuâ, Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

7. Tu terríbilis es; * & quis resistet tibi, ex tunc ira tua?

8. De cœlo audítum fecisti judícium: * terra trémuit & quiévit.

9. Cùm exsúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

10. Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi: * & relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

11. Vovéte & réddite Dó-

mino Deo vestro, * omnes qui in circúitu ejus affertis múnera;

12. Terríbili & ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud Reges terræ.

*Ant.* Ab insurgéntibus in me, líbera me, Dómine; quia irruérunt in me fortes. *Ps.* 58.

LECTIO. *Hebr.* 12.

Recogitáte eum, qui talem sustínuit à peccatóribus adversùm semetipsum contradictiónem; ut ne fatigémini ánimis vestris deficientes; nondùm enim usquè ad sánguinem restitístis, adversùs peccátum repugnántes.

℣. Propter verba labiórum tuórum, Dómine, ℟. Ego custodivi vias duras. *Ps.* 16.

*Collécta ut infrà ad Laudes.*

---

AD LAUDES.

I. PSALMUS 70.

*Oratio Christi & Ecclesiæ auxilium Dei adversùs impios deprecantium.*

1. IN te, DÓMINE, sperávi: * non confúndar in æternum.

2. In justítiâ tuâ líbera me, & éripe me: * inclína ad me aurem tuam, & salva me.

3. Esto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum, ut salvum me fácias; * quóniam firmamentum meum & refúgium meum es tu.

4. Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * & de manu contra legem agentis, & iníqui;

5. Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine; * DÓMINE, spes mea à juventúte meâ.

6. In te confirmátus sum ex útero; de ventre matris meæ tu es protector meus: * in te cantátio mea semper.

7. Tamquàm prodígium factus sum multis; * & tu adjútor fortis.

8. Repleátur os meum laude; * ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam.

9. Ne projícias me in témpore senectútis: * cùm defécerit virtus mea, ne derelinquas me.

10. Quia dixérunt inimíci mei mihi; * & qui custodiébant ánimam meã, consílium fecérunt in unum,

11. Dicentes: Deus derelíquit eum; persequímini, & comprehéndite eum; * quia non est qui erípiat.

12. Deus, ne elongéris à me: * Deus meus, in auxílium meum réspice.

13. Confundántur & defíciant detrahentes ánimæ meæ: * operiantur confusióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

14. Ego autem semper sperábo; * & adjíciam super omnem laudem tuam.

*Ant.* Deus meus, éripe me de manu peccatóris; quóniam tu es patiéntia mea.

II. *Diviſio Pſalmi* 70.

15. OS meum annuntiábit juſtítiam tuã, totâ die ſalutáre tuum; * quóniam non cognóvi litteratúram.

16. Introíbo in poténtias Dómini: * DÓMINE, memorábor juſtítiæ tuæ ſolíus.

17. Deus, docuiſti me à juventúte meâ; * & uſquè nunc pronuntiábo mirabília tua.

18. Et uſque in ſenectam & ſénium, Deus, ne derelinquas me; * donec annúntiem bráchium tuum generatióni omni quæ ventúra eſt,

19. Poténtiam tuam, & juſtítiam tuam, Deus, uſque in altíſſima, quæ feciſti magnália: * Deus, quis ſímilis tibi?

20. Quantas oſtendiſti mihi tribulatiónes multas & malas, & converſus vivificaſti me; * & de abyſſis terræ íterùm reduxiſti me.

21. Multiplicaſti magnificéntiam tuam; * & converſus conſolátus es me.

22. Nam & ego confitébor tibi in vaſis pſalmi veritátem tuam, Deus: * pſallam tibi in cítharâ Sanctus Iſrael.

23. Exſultábunt lábia mea cùm cantávero tibi, * & ánima mea quam redemiſti.

24. Sed & lingua mea totâ die meditábitur juſtítiam tuam, * cùm confúſi & revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

*Ant.* Lingua mea totâ die meditábitur juſtítiam tuam, cùm confúſi & revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

III. CANT. HABACUC. 3.

*Prophetia de Chriſti paſſione, Eccleſiæ tribulationibus & victoriis.*

1. DOMINE, audívi auditiónem tuam, * & tímui.

2. DÓMINE, opus tuum, in médio annórum vivífica illud; in médio annórum notum fácies: * cùm irátus fúeris, miſericórdiæ recordáberis.

3. Deus ab Auſtro véniet, * & Sanctus de monte Pharan.

4. Opéruit cœlos glória ejus, & laudis ejus plena eſt terra: * ſplendor ejus ut lux erit.

5. Córnua in mánibus ejus: * ibi abſcóndita eſt fortitúdo ejus.

6. Ante fáciem ejus ibit mors; * & egrediétur diábolus ante pedes ejus.

7. Stetit, & menſus eſt terram: * adſpexit, & diſſólvit gentes.

8. Et contríti ſunt montes ſéculi: * incurváti ſunt

colles mundi, ab itinéribus æternitátis ejus.

9. Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ: * turbabuntur pelles terræ Mádian.

10. Numquid in flumínibus irátus es, DÓMINE? aut in flumínibus furor tuus? * vel in mari indignátio tua?

11. Qui ascendes super equos tuos, * & quadrígæ tuæ salvátio.

12. Súscitans suscitábis arcum tuum, * juramenta tribubus quæ locútus es.

13. Flúvios scindes terræ; * vidérunt te, & doluérunt montes.

14. Gurges aquárum tránsiit; dedit abyssus vocem suam; * altitúdo manus suas levávit.

15. Sol & luna stetérunt in habitáculo suo: * in luce sagittárum tuárum ibunt, in splendóre fulgurantis hastæ tuæ.

16. In frémitu conculcábis terram, * & in furóre obstupefácies gentes.

*Ant.* Cùm irátus fúeris, Dómine, misericórdiæ recordáberis.

IV. *Divisio Cantici Habacuc.*

17. EGressus es [Dómine] in salútem pópuli tui, * in salútem cum Christo tuo.

18. Percussisti caput de domo ímpii; * denudasti fundamentum ejus usque ad collum.

19. Maledixisti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, veniéntibus ut turbo ad dispergendum me: * exsultátio eórum sicut ejus qui dévorat páuperem in abscóndito.

20. Viam fecisti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

21. Audívi, & conturbátus est venter meus; * à voce contremuérunt lábia mea.

22. Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * & subter me scáteat:

23. Ut requiéscam in die tribulatiónis; * ut ascendam ad pópulum accinctum nostrum.

24. Ficus enim non florébit; * & non erit germen in víneis.

25. Mentiétur opus olívæ; * & arva non áfferent cibum.

26. Abscindétur de ovíli pecus; * & non erit armentum in præsépibus.

27. Ego autem in DÓMINO gaudébo; * & exsultábo in Deo JESU meo.

28. DEUS Dóminus fortitúdo mea; * & ponet pedes meos quasi cervórum; & super excelsa mea dedúcet me.

*Ant.* Ego in Dómino gaudébo, & exsultábo in Deo Jesu meo. Deus Dóminus fortitúdo mea.

V. PSALMUS 149.

*Christus celebrandus qui suis in gentes ultricem potestatem daturus est.*

1. CAntáte DÓMINO cánticum novum; * laus ejus in ecclésiâ sanctórum.

2. Lætétur Israel in eo qui fecit eum; * & filii Sion exsultent in Rege suo.

3. Laudent nomen ejus in choro; * in tympano & psaltério psallant ei.

4. Quia beneplácitum est DÓMINO in pópulo suo; * & exaltábit mansuétos in salútem.

5. Exsultábunt sancti in glóriâ; * lætabuntur in cubílibus suis.

6. Exaltatiónes Dei in gútture eórum; * & gládii ancípites in mánibus eórum:

7. Ad faciendam vindictam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis;

8. Ad alligandos reges eórum in compédibus; * & nóbiles eórum in mánicis férreis;

9. Ut fáciant in eis judícium conscriptum: * glória hæc est ómnibus sánctis ejus.

*Ant.* Lætétur Israel in eo qui fecit eum; & filii Sion exsultent in Rege suo.

LECTIO. *Hebr.* 12.

VObis tamquàm filiis lóquitur Deus, dicens: Fili mi, noli negligere disciplínam Dómini; neque fatigéris dum ab eo arguéris. Quem enim díligit Dóminus, castígat; flagellat autem omnem filium quem récipit. In disciplínâ perseveráte.

℟. *br.* Tu flagellas, & salvas; * Dedúcis ad ínferos, & redúcis. ℟. Tu flagellas. ℣. Magnus es, Dómine, in æternum. * Dedúcis. ℣. Glória Patri. ℟. Tu flagellas. *Tob.* 13.

HYMNUS. *C.*

ULtrícibus nos úndique
Dum sáucias telis, Deus,
Quis ferre, te præter, queat
Mœréntibus solátium?

Mundus facessat: nil opis
Favóre præstat fútili:
Fallácibus quin ásperat
Alitque fomentis malum.

Flagella nos terrent tua;
Non illa spē demunt tamen:
Quæ ferre nos jubes, Pater,
Fiunt medéla vúlnerum.

At ímpetus libídinum
Ferocientes cómprime:
Hæc vera nos vexant mala,
Sanáre quæ solus potes.

Quid ergo cessas? ingruūt
Intus forísque prælia:
Hostíne præda mens erit
Christi redempta sánguine?

Audis precantes; ánxiæ
Spes blanda jam menti redit:
O Christe, terros mors tua
Mortis pavóres díscutit.

Sit Trinitáti glória,
Quæ sic flagellis quos amat

Exercet, ut cleméntiæ
Rursùm recordétur suæ.
Amen.

℣. Ego in flagella parátus sum; ℟. Et dolor meus in conspectu meo semper. *Ps.* 37.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Per multas tribulatiónes oportet nos intráre in regnum Dei. *Act.* 14.

COLLECTA.
*Sacr. Mozarab.*

DA nobis, Christe Deus, † ut sanctæ crucis tuæ verissimi amatóres effecti, abnegantes nosmetipsos, tollámus crucem nostram & sequámur te;* ut passiónibus tuis in hâc vitâ communicantes, ad æternam vitam mereámur pervenire: Qui vivis.

---

AD PRIMAM.
PSALMUS 16.
*Christi pro nobis patientis oratio cum spe resurgendi.*

1. EXaudi, DÓMINE, justítiam meam: * inténde deprecatiónem meã.

2. Auribus pércipe oratiónem meam,* non in lábiis dolósis.

3. De vultu tuo judícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

4. Probasti cor meum, & visitasti nocte: * igne me examinasti, & non est inventa in me iníquitas.

5. Ut non loquátur os meum ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum, ego custodívi vias duras.

6. Pérfice gressus meos in sémitis tuis; * ut non moveantur vestígia mea.

7. Ego clamávi, quóniã exaudisti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

8. Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperantes in te.

9. A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, ut pupillam óculi: * sub umbrâ alárum tuárum prótege me, à fácie impiórum qui me afflixérunt.

10. Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt; ádipem suum conclusérunt; * os eórum locútum est supérbiam.

11. Projicientes me, nunc circumdedérunt me: * óculos suos statuérunt declináre in terram.

12. Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam, * & sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

13. Exsurge, DÓMINE, præveni eum, & supplanta eum; * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

14. DÓMINE, à paucis de terrâ dívide eos in vitâ eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

15. Saturáti sunt filii, * & dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

16. Ego autem in justítiâ apparébo conspéctui tuo; * satiábor; cùm apparúerit glória tua.

PSALMUS 57.

*Christus Judæorum injustitiam arguit, & Dei vindictam in ipsos pronuntiat.*

1. SI verè útique justítiam loquímini? * recta judicáte, filii hóminum.

2. Etenim in corde iniquitátes operámini: * in terrâ injustítias manus vestræ concinnant.

3. Alienáti sunt peccatóres à vulvâ; erravérunt ab útero; * locúti sunt falsa.

4. Furor illis secundùm similitúdinem serpentis; * sicut áspidis surdæ & obturantis aures suas:

5. Quæ non exáudiet vocem incantántium, * & venéfici incantantis sapienter.

6. Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum: * molas leónum confringet DÓMINUS.

7. Ad níhilum devénient tamquàm aqua decurrens: * intendit arcum suum donec infirmentur.

8. Sicut cera quæ fluit, auferentur: * supercécidit ignis, & non vidérunt solem.

9. Priusquàm intellígerent spinæ vestræ rhamnum; * sicut viventes, sic in irâ absorbet vos.

10. Lætábitur justus cùm víderit vindictam: * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

11. Et dicet homo: Si útique est fructus justo; * útique est Deus júdicans eos in terrâ.

PSALMUS 128.

*Christi & Ecclesiæ prælia & victoriæ.*

1. SÆpè expugnavérunt me à juventúte meâ; * dicat nunc Israel:

2. Sæpè expugnavérunt me à juventúte meâ; * étenim non potuérunt mihi.

3. Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres: * prolongavérunt iniquitátem suam.

4. DÓMINUS justus; * concídit cervíces peccatórum.

5. Confundántur & convertantur retrorsùm, * omnes qui odérunt Sion.

6. Fiant sicut fœnum tectórum, * quod priusquàm evellátur exáruit:

7. De quo non implévit manum suam qui metit, * & sinum suum qui manípulos cólligit:

8. Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio DÓMINI super vos; * benedíximus vobis in nómine DÓMINI.

*Ant.* Pérfice gressus meos in sémitis tuis, ut non moveantur vestígia mea.

## AD TERTIAM.

### PSALMUS 39.

*Veterum victimarum loco ſe ſubſtituit Chriſtus; ipſe obedientiæ typus.*

1. EXſpectans exſpectávi DÓMINUM; * & inténdit mihi.

2. Et exaudívit preces meas; * & eduxit me de lacu miſériæ, & de luto fæcis.

3. Et ſtátuit ſuper petram pedes meos; * & direxit greſſus meos.

4. Et immíſit in os meum cánticum novum, * carmen Deo noſtro.

5. Vidébunt multi, & timébunt; * & ſperábunt in DÓMINO.

6. Beátus vir cujus eſt nomen DÓMINI ſpes ejus; * & non reſpexit in vanitátes & inſánias falſas.

*Diviſio Pſalmi 39.*

7. MUlta feciſti tu, DÓMINE Deus meus, mirabília tua; * & cogitatiónibus tuis non eſt qui ſímilis ſit tibi.

8. Annuntiávi, & locútus ſum: * multiplicáti ſunt ſuper númerum.

9. Sacrifícium & oblatiónem noluiſti; * aures autem perfeciſti mihi.

10. Holocauſtum & pro peccáto non poſtulaſti; * tunc dixi: Ecce vénio.

11. In cápite libri ſcriptum eſt de me, ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus, vólui; & lex tua in médio cordis mei.

12. Annuntiávi juſtítiam tuam in eccléſiâ magnâ: * ecce lábia mea non prohibébo; DÓMINE, tu ſciſti.

13. Juſtítiam tuam non abſcondi in corde meo: veritátem tuam & ſalutáre tuum dixi: * non abſcondi miſericórdiam tuam à concílio multo.

14. Tu autem, DÓMINE, ne longè fácias miſeratiónes tuas à me; * miſericórdia tua & véritas tua ſemper ſuſcepérunt me.

15. Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non eſt númerus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ; & non pótui ut vidérem:

16. Multiplicátæ ſunt ſuper capillos cápitis mei; * & cor meum derelíquit me.

*Diviſio Pſalmi 39.*

17. COmpláceat tibi, DÓMINE, ut éruas me: * DÓMINE, ad adjuvandum me réſpice.

18. Confundántur & revereantur ſimul, * qui quærunt ánimam meam, ut áuferant eam.

19. Convertántur retrorſùm, & revereantur, * qui volunt mihi mala:

20. Ferant confeſtìm confuſiónem ſuam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

21. Exſultent & lætentur ſuper te omnes quærentes

te; * & dicant semper, Magnificétur DÓMINUS, qui díligunt salutáre tuum.

22. Ego autem mendícus sum & pauper: * Dóminus sollícitus est meî.

23. Adjútor meus & protéctor meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

*Ant.* Circumdedérunt me mala, quorum non est númerus: compláceat tibi, Dómine, ut éruas me.

LECTIO. *I. Petr. 2.*

SI benè faciéntes patienter sustinétis, hæc est grátia apud Deum: † in hoc enim vocáti estis; * quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequámini vestígia ejus.

℣. Si ambuláverо in médio umbræ mortis, non timébo mala: ℟. Quóniam tu mecum es, Dómine. *Ps. 22.*

---

## AD SEXTAM.

PSALMUS 101.

*Judaicæ captivitatis mala, Ecclesiæ ædificatio; promissa Sion immutabilis restauratio.*

1. DOMINE, exaudi oratiónem meam; * & clamor meus ad te véniat.

2. Non avertas fáciem tuam à me: * in quâcumque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

3. In quâcumque die invocávero te, * velóciter exaudi me.

4. Quia defecérunt sicut fumus dies mei; * & ossa mea sicut crémium aruérunt.

5. Percussus sum ut fœnum, & áruit cor meum; * quia oblítus sum comédere panem meum.

6. A voce gémitûs mei, * adhæsit os meum carni meæ.

7. Símilis factus sum pelicáno solitúdinis: * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

8. Vigilávi, * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

9. Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, adversùm me jurábant.

10. Quia cínerem tamquam panem manducábam; * & potum meum cum fletu miscébam:

11. A fácie iræ & indignatiónis tuæ; * quia élevans allisísti me.

12. Dies mei sicut umbra declinavérunt; * & ego sicut fœnum árui.

13. Tu autem, DÓMINE, in æternum pérmanes; * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

*Divisio Psalmi 101.*

14. TU exsurgens miseréberis Sion; * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

15. Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus, * & terræ ejus miserebuntur.

16. Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes Reges terræ glóriam tuam.

17. Quia ædificávit Dóminus Sion; * & vidébitur in glóriâ suâ.

18. Respexit in oratiónem humílium; * & non sprevit precem eórum.

19. Scribantur hæc in generatiónem álteram: * & pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum.

20. Quia prospexit de excelso sancto suo; * Dóminus de cœlo in terram adspexit:

21. Ut audíret gémitus compeditórum; * ut sólveret filios interemptórum:

22. Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem:

23. In conveniendo pópulos in unum & Reges, * ut sérviant Dómino.

24. Respondit ei in viâ virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

25. Ne révoces me in dimídio diérum meórum: * in generatiónes generatiónum anni tui.

*Divisio Psalmi* 101.

26. Initio tu, Dómine, terram fundasti; * & ópera mánuum tuárum sunt cœli.

27. Ipsi peribunt; * tu autem pérmanes.

28. Et omnes sicut vestimentum veterascent; * & sicut opertórium mutábis eos, & mutabuntur.

29. Tu autem idem ipse es; * & anni tui non deficient.

30. Filii servórum tuórum habitábunt; * & semen eórum in séculum dirigétur.

*Ant.* Potum meum cum fletu miscébam, à fácie iræ & indignatiónis tuæ, Dómine.

Lectio. *I. Petr.* 1.

Non corruptibílibus auro vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conversatióne paternæ traditiónis, † sed pretióso sánguine quasi Agni immaculáti Christi * & incontamináti.

℣. Apud Dóminum misericórdia, ℟. Et copiósa apud eum redémptio. *Ps.* 129.

---

## AD NONAM.

Psalmus 21.

*Vox Christi in cruce: per passionem suam gentes liberabit.*

1. Deus, Deus meus, [ réspice in me: ] quare me dereliquisti? * longè à salúte meâ verba delictórum meórum.

2. Deus meus, clamábo per diem, & non exáu-

dies; * & nocte, & non ad insipiéntiam mihi.

3. Tu autem in sancto hábitas, * laus Israel.

4. In te speravérunt patres nostri; * speravérunt, & liberasti eos.

5. Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt; * in te speravérunt, & non sunt confusi.

6. Ego autem sum vermis, & non homo; * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

7. Omnes videntes me, derisérunt me: * locúti sunt lábiis, & movérunt caput.

8. Sperávit in Dómino, erípiat eum: * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

9. Quóniam tu es qui extraxisti me de ventre; * spes mea ab ubéribus matris meæ.

10. In te projectus sum ex útero: * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

*Divisio Psalmi* 21.

11. NE discésseris à me: * quóniam tribulátio próxima est; quóniam non est qui ádjuvet.

12. Circumdedérunt me vítuli multi; * tauri pingues obsedérunt me:

13. Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens & rúgiens.

14. Sicut aqua effusus sum; * & dispersa sunt ómnia ossa mea.

15. Factum est cor meum tamquàm cera liquescens, * in médio ventris mei.

16. Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit fáucibus meis; * & in púlverem mortis deduxisti me:

17. Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

18. Fodérunt manus meas & pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

19. Ipsi verò consideravérunt & inspexérunt me; * divisérunt sibi vestimenta mea; & super vestem meã misérunt sortem.

20. Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuùm à me; * ad defensiónem meam cónspice.

21. Erue à frámeâ, Deus, ánimam meam, * & de manu canis únicam meam.

22. Salva me ex ore leónis, * & à córnibus unicórnium humilitátem meam.

*Divisio Psalmi* 21.

23. NArrábo nomen tuũ frátribus meis: * in médio Ecclésiæ laudábo te.

24. Qui timétis Dóminum, laudáte eum; universum semen Jacob, glórificáte eum: * tímeat eum omne semen Israel.

25. Quóniam non sprevit, neque despexit deprecatiónem páuperis; nec avertit fáciem suam à me; * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

26. Apud te laus mea in ecclésiâ magnâ : * vota mea reddam in conspectu timéntium eum.

27. Edent páuperes, & saturabuntur; & laudábunt Dóminum qui requírunt eum:* vivent corda eórum in séculum séculi.

28. Reminiscentur, & convertentur ad Dóminum universi fines terræ; * & adorábunt in conspectu ejus, universæ famíliæ géntium.

29. Quóniam Dómini est regnum; * & ipse dominábitur géntium.

30. Manducavérunt, & adoravéruntomnes pingues terræ: * in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

31. Et ánima mea illi vivet; * & semen meum sérviet ipsi.

32. Annuntiábitur Dómino generátio ventúra;* & annuntiábunt justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

*Ant.* Deus meus, quare me dereliquisti? longè à salúte meâ verba delictórum meórum.

Lectio. *Hebr.* 5.

CHristus in diébus carnis suæ preces supplicatiónesque ad eum qui possit illum salvum fácere à morte, † cum clamóre válido & lácrymis ófferens, * exaudítus est pro suâ reveréntiâ.

℣. Clamávi ad te, Dómine, totâ die: ℟. Expandi ad te manus meas. *Ps.* 87.

---

## AD VESPERAS.

I. Psalmus 138.

*Deus ubique præsens; sciens omnia. Vox Christi in incarnatione, passione & resurrectione.*

1. DOmine, probasti me, & cognovisti me: * tu cognovisti sessiónem meam & resurrectiónem meam.

2. Intellexisti cogitatiónes meas de longè: sémitam meam & funículum meum investigasti; * & omnes vias meas prævidisti.

3. Quia non est sermo in linguâ meâ; * ecce, Dómine, tu cognovisti ómnia novíssima & antíqua.

4. Tu formasti me, * & posuisti super me manum tuam.

5. Mirábilis facta est sciéntia tua ex me: * confortáta est, & non pótero ad eam.

6. Quò ibo à spíritu tuo?* & quò à fácie tuâ fugiam?

7. Si ascéndero in cœlum, tu illic es; * si descéndero in infernum, ades.

8. Si súmpsero pennas meas dilúculo, * & habitávero in extrémis maris.

9. Etenim illuc manus tua dedûcet me; * & tenébit me déxtera tua.

10. Et dixi: Fórsitan ténebræ conculcábunt me;*

& nox illuminátio mea in delíciis meis.

11. Quia ténebræ non obscurabúntur à te, & nox sicut dies illuminábitur: * sicut ténebræ ejus, ita & lumen ejus.

12. Quia tu possedísti renes meos: * suscepísti me de útero matris meæ.

*Ant.* Posuísti super me manum tuam, Dómine: quò à fácie tuâ fúgiam?

II. *Divisio Psalmi* 138.

13. COnfitébor tibi, quia terribíliter magnificátus es:* mirabília ópera tua, & ánima mea cognoscit nimìs.

14. Non est occultátum os meum à te, quod fecísti in occulto; * & substántia mea in inferióribus terræ.

15. Imperfectum meum vidérunt óculi tui; & in libro tuo omnes scribentur dies: * formabuntur, & nemo in eis.

16. Mihi autem nimìs honorificáti sunt amíci tui, Deus: * nimìs confortátus est principátus eórum.

17. Dinumerábo eos, & super arénam multiplicabuntur: * exsurrexi, & adhuc sum tecum.

18. Si occíderis, Deus, peccatóres, * viri sánguinum, declináte à me.

19. Quia dícitis in cogitatióne: * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

20. Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam; * & super inimícos tuos tabescébam?

21. Perfecto ódio óderam illos; * & inimíci facti sunt mihi.

22. Proba me, Deus, & scito cor meum: * intérroga me, & cognosce sémitas meas;

23. Et vide si via iniquitátis in me est; * & deduc me in viâ æternâ.

*Ant.* Proba me, Deus, & scito cor meum: intérroga me, & cognosce sémitas meas.

III. PSALMUS 139.

*Christus patiens & fideles se ab improbis defendi precantur.*

1. ERipe me, Dómine, ab hómine malo; * à viro iníquo éripe me:

2. Qui cogitavérunt iniquitátes in corde; * totâ die constituébant prælia.

3. Acuérunt linguas suas sicut serpentis: * venénum áspidum sub lábiis eórum.

4. Custódi me, Dómine, de manu peccatóris, * & ab homínibus iníquis éripe me, qui cogitavérunt supplantáre gressus meos.

5. Abscondérunt supérbi láqueum mihi; & funes extendérunt in láqueum: * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

6. Dixi Dómino: Deus meus es tu; * exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

*Ant.* Custódi me, Dómine de manu peccatóris.

*IV. Divisio Psalmi* 139.

7. DOMINE Dómine, virtus salútis meæ, * obumbrasti super caput meum in die belli.

8. Ne tradas me, DÓMINE, à desidério meo peccatóri: * cogitavérunt contra me; ne derelinquas me; ne fortè exaltentur.

9. Caput circúitûs eórum, * labor labiórum ipsórum opériet eos.

10. Cadent super eos carbónes; in ignem dejícies eos; * in misériis non subsistent.

11. Vir linguósus non dirigétur in terrâ: * virum injustum mala cápient in intéritu.

12. Cognóvi quia fáciet DÓMINUS judícium ínopis, * & vindíctam páuperum.

13. Verúmtamen justi confitebūtur nómini tuo; * & habitábunt recti cum vultu tuo.

*Ant.* Dómine Dómine, virtus salútis meæ, ne derelinquas me.

LECTIO. *Hebr.* 12.

DEponentes omne pondus & circumstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen; † adspicientes in autórem fidei, & consummatórē Jesum, * qui, propósito sibi gáudio, sustínuit crucem, confusióne contemptâ.

℟. *br.* Lætábimur in salutári tuo, * Et in nómine Dei nostri magnificábimur. ℟. Lætábimur. ℣. Salvum fecit Dóminus Christum suum; exáudiet illum de cœlo sâncto suo. * Et. ℣. Glória. ℟. Lætábimur. *Ps.* 19.

HYMNUS. *C.*

LUgéte, pacis Angeli:
Mortális en ultrò Deus,
Culpæ gerens imáginem,
Pœnam nocentûm sústinet.

Amóris ô miráculum!
O cordis humáni stupor!
Insons Deus neci datur;
Pigébit & sontes pati!

Nos sempiternis, crux tua,
O Christe, flammis éruit:
Hìc ure vindex, hìc seca,
Parcas in æternum modò.

Caro reclámat: sed Patris
Urget voluntas; nos tuâ
Virtúte da fortes sequi,
JESU, quod exemplo doces.

Livóre sanátos tuo,
Tuóque lotos sánguine,
Peccando ne novam sinas
Paráre nos tibi crucem.

Qui Fílium tradit, Patri,
Natóque sit laus, víctimæ:
Par sit tibi laus, qui sacram
Succendis aram, Spíritus.
Amen.

℣. Deo subjecta esto, ánima mea; ℟. Quóniam ab ipso patiéntia mea. *Ps.* 61.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi, per quem mihi

mundus crucifixus est, & ego mundo. *Galat.* 6.

---

## AD COMPLETORIUM.

### PSALMUS 37.

*Peccatoris pœnitentis dolor & gemitus.*

1. DOMINE, ne in furóre tuo árguas me; * neque in irâ tuâ corrípias me.

2. Quóniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi; * & confirmasti super me manum tuam.

3. Non est sánitas in carne meâ à fácie iræ tuæ; * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum.

4. Quóniam iniquitátes meæ supergressæ sunt caput meum; * & sicut onus grave graváta sunt super me.

5. Putruérunt & corruptæ sunt cicatríces meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

6. Miser factus sum, & curvátus sum usquè in finem: * totâ die contristátus ingrediébar.

7. Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus; * & non est sánitas in carne meâ.

8. Afflictus sum & humiliátus sum nimìs: * rugiébam à gémitu cordis mei.

9. Dómine, ante te omne desidérium meum; * & gémitus meus à te non est abscónditus.

10. Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

*Divisio Psalmi 37.*

11. AMíci mei & próximi mei adversùm me appropinquavérunt & stetérunt; * & qui juxta me erant, de longè stetérunt.

12. Et vim faciébant, qui quærébant ánimam meã; * & qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes, & dolos totâ die meditabantur.

13. Ego autem tamquàm surdus non audiébam, * & sicut mutus non apériens os suum.

14. Et factus sum sicut homo non áudiens, * & non habens in ore suo redargutiónes.

15. Quóniam in te, DÓMINE, sperávi: * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

16. Quia dixi: Nequando supergáudeant mihi inimíci mei; * & dum commoventur pedes mei, super me magna locúti sunt.

17. Quóniam ego in flagella parátus sum; * & dolor meus in conspectu meo semper.

18. Quóniam iniquitátem meam annuntiábo; * & cogitábo pro peccáto meo:

19. Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt

super me ;* & multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

10. Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi ;* quóniam sequébar bonitátem.

11. Ne derelínquas me, DÓMINE ; Deus meus, ne discésseris à me : * inténde in adjutórium meum, Dómine Deus salútis meæ.

PSALMUS 55.

*Justi à Deo auxilium postulantis oratio.*

1. MIserére meî, Deus ; quóniam conculcávit me homo : * totâ die impugnans tribulávit me.

2. Conculcavérunt me inimíci mei totâ die ; * quóniam multi bellantes advérsùm me.

3. Ab altitúdine diéi timébo ; * ego verò in te sperábo.

4. In Deo laudábo sermónes meos : * in Deo sperávi ; non timébo quid fáciat mihi caro.

5. Totâ die verba mea exsecrabantur : * adversùm me omnes cogitatiónes eórum in malum.

6. Inhabitábunt & abscondent ; * ipsi calcáneum meum observábunt.

7. Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos : * in irâ pópulos confringes.

8. Deus, vitam meam annuntiávi tibi : * posuísti lácrymas meas in conspectu tuo, sicut & in promissióne tuâ.

9. Tunc converténtur inimíci mei retrorsùm : * in quâcumque die invocávero te, ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

10. In Deo laudábo verbum : * in DÓMINO laudábo sermónem.

11. In Deo sperávi : * non timébo quid fáciat mihi homo.

12. In me sunt, Deus, vota tua, * quæ reddam, laudatiónes tibi.

13. Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapsu ; * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

*Cant.* Nunc dimittis.

---

SABBATO.

*Militantem Ecclesiam perpetuâ Christus donans pace ; merces Justis promissa.*

---

AD OFFICIUM NOCT.

*In Psalm.* Veníte. *Ant.* Dóminum, qui reddit justis mercédem labórum suórum, * Veníte, adorémus. *Sap.* 10.

HYMNUS. *C.*

TAndē peractis, ô Deus,
Sexto diérum límite,
Ponis modum labóribus,
Orbíque plaudis cóndito.
At dùm perenni séptimā
Lucem quiéti cónsecras,

En te repoſcit dénuò
Alter Creatórem labor.
Te cuncta nempè prædicant;
Te terra, pontus, ſídera,
Cantu celébrant æmulo:
Peccátor unus diſſonat.
Tu pectus aufer sáxeum;
Tu cárneum pectus crea:
Et caritátis úberes
Fructus canent hymnū tibi.
Hæc te juvant præcónia,
Si facta voci cónſonent:
Sic efficáci fléctitur
Divína Majeſtas prece.
Æterna laus & glória
Uni ſit & Trino Deo,
Qui cuncta nutu cóndidit,
Nutúque ſervat cóndita.
Amen.

## *IN I. NOCTURNO.*

### I. PSALMUS 13.

*Gratiæ Redemptoris neceſſitas.*

1. DIxit insípiens in corde ſuo: * Non eſt Deus.

2. Corrupti ſunt & abomінábiles facti ſunt in ſtúdiis ſuis: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

3. DÓMINUS de cœlo proſpexit ſuper fílios hóminum; * ut vídeat, ſi eſt intélligens, aut requírens Deum.

4. Omnes declinavérunt, ſimul inútiles facti ſunt: * non eſt qui fáciat bonum, non eſt uſque ad unum.

[ 5. Sepulcrum patens eſt guttur eórum: linguis ſuis dolósè agébant: * venénum áſpidum ſub lábiis eórum.

6. Quorum os maledictióne & amaritúdine plenum eſt; * velóces pedes eórum ad effundendum ſánguinem.

7. Contrítio & infelícitas in viis eórum, & viam pacis non cognovérunt; * non eſt timor Dei ante óculos eórum. ]

8. Nonne cognoſcent omnes qui operantur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ſicut eſcam panis?

9. DÓMINUM non invocavérunt;* illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

10. Quóniam Dóminus in generatióne juſtâ eſt: * consílium ínopis confudiſtis; quóniam DÓMINUS ſpes ejus eſt.

11. Quis dabit ex Sion ſalutáre Iſrael?* cùm avérterit DÓMINUS captivitátem plebis ſuæ, exſultábit Jacob, & lætábitur Iſrael.

*Ant.* Cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis ſuæ, exſultábit Jacob, & lætábitur Iſrael.

### II. PSALMUS 17.

*Chriſti regnum, Eccleſiæ victoria, prædicatio Evangelii.*

1. DIligam te, DÓMINE, fortitúdo mea; * DÓMINUS firmamentum meum,

meum, & refúgium meum, & liberátor meus.

2. Deus meus adjútor meus;* & sperábo in eum.

3. Protector meus, & cornu salútis meæ; * & susceptor meus.

4. Laudans invocábo Dóminum; * & ab inimícis meis salvus ero.

5. Circumdedérunt me dolóres mortis; * & torréntes iniquitátis conturbavérunt me.

6. Dolóres inferni circumdedérunt me: * præoccupavérunt me láquei mortis.

7. In tribulatióne meâ invocávi Dóminum; * & ad Deum meum clamávi:

8. Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam;* & clamor meus in conspectu ejus, introívit in aures ejus.

9. Commóta est & contrémuit terra:* fundamenta móntium conturbáta sunt, & commóta sunt; quóniam irátus est eis.

10. Ascendit fumus in irâ ejus; & ignis à fácie ejus exarsit: * carbónes succensi sunt ab eo.

11. Inclinávit cœlos, & descendit; * & calígo sub pédibus ejus.

12. Et ascendit super Chérubim, & volávit: * volávit super pennas ventórum.

13. Et pósuit ténebras latíbulum suum;* in circúitu ejus tabernáculum ejus, tenebrósa aqua in núbibus áeris.

14. Præ fulgóre in conspectu ejus nubes transiérunt; * grando & carbónes ignis.

15. Et intónuit de cœlo Dóminus, * & Altíssimus dedit vocem suam.

16. Et misit sagittas suas, & dissipávit eos: * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

17. Et apparuérunt fontes aquárum; * & reveláta sunt fundamenta orbis terrárum:

18. Ab increpatióne tuâ, Dómine, * ab inspiratióne spíritûs iræ tuæ.

*Ant.* Intónuit de cœlo Dóminus, & Altíssimus dedit vocem suam.

III. *Divisio Psalmi* 17.

19. Misit de summo, & accépit me; * & assumpsit me de aquis multis.

20. Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, * & ab his qui odérunt me, quóniam confortáti sunt super me.

21. Prævenérunt me in die afflictiónis meæ; * & factus est Dóminus protector meus.

22. Et eduxit me in latitúdinem: * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

23. Et retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam; * & secundùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi:

24. Quia custodívi vias Dómini, * nec impiè gessi à Deo meo.

25. Quóniam ómnia judícia ejus in conspectu meo;* & justítias ejus non répuli à me.

26. Et ero immaculátus cum eo; * & observábo me ab iniquitáte meâ.

27. Et retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam,* & secundùm puritátem mánuum meárum in conspectu oculórum ejus.

28. Cum sancto sanctus eris; * & cum viro innocente ínnocens eris.

29. Et cum electo electus eris; * & cum perverso pervertéris.

30. Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies; * & óculos superbórum humiliábis.

31. Quóniam tu illúminas lucernam meam, Dómine: * Deus meus, illúmina ténebras meas.

32. Quóniam in te erípiar à tentatióne; * & in Deo meo transgrédiar murum.

*Ant.* Eduxit me Dóminus in latitúdinem: salvum me fecit, quóniam vóluit me.

IV. *Divisio Psalmi 17.*

33. Deus meus, impollúta via ejus; elóquia Dómini igne examináta; * protector est ómnium sperántium in se.

34. Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum nostrum?

35. Deus, qui præcinxit me virtúte, * & pósuit immaculátam viam meam;

36. Qui perfécit pedes meos tamquàm cervórũ,* & super excelsa státuens me:

37. Qui docet manus meas ad prælium; * & posuisti ut arcum æreum bráchia mea:

38. Et dedisti mihi protectiónem salútis tuæ, & déxtera tua suscépit me; * & disciplína tua correxit me in finem.

39. Dilatasti gressus meos subtus me; * & non sunt infirmáta vestígia mea.

40. Pérsequar inimícos meos, & comprehendam illos; * & non convertar donec defíciant.

41. Confringam illos: nec póterunt stare: * cadent subtus pedes meos.

42. Et præcinxisti me virtúte ad bellum; * & supplantasti insurgentes in me subtus me.

43. Et inimícos meos dedisti mihi dorsum; * & odientes me disperdidisti.

44. Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret: * ad Dóminum, nec exaudívit eos.

45. Et comminuam eos ut púlverem ante fáciem

venti * ut lutum plateárum delébo eos.

*Ant.* Quis Deus præter Dóminum ? aut quis Deus præter Deum nostrum ?

V. *Divisio Psalmi* 17.

46. ERipies me de contradictiónibus pópuli mei : * constítues me in caput géntium.

47. Pópulus, quem non cognóvi, servívit mihi : * in audítu auris obedívit mihi.

48. Filii aliéni mentíti sunt mihi : * filii aliéni inveteráti sunt, & claudicavérunt à sémitis suis.

49. Vivit DÓMINUS, & benedictus Deus meus : * & exaltétur Deus salútis meæ :

50. Deus, qui das vindíctas mihi, & subdis pópulos sub me ; * liberátor meus de inimícis meis iracundis :

51. Et ab insurgéntibus in me exaltábis me : * à viro iníquo erípies me.

52. Proptéreà confitébor tibi in natiónibus, DÓMINE ; * & nómini tuo psalmum dicam :

53. Magníficans salútes Regis ejus ;* & fáciens misericórdiam Christo suo David, & sémini ejus, usque in séculum.

*Ant.* Confitébor tibi in natiónibus, Dómine ; & nómini tuo psalmum dicam.

VI. PSALMUS 86.

*Ecclesia Dei laus : ejusque dilatatio.*

1. FUndamenta ejus in móntibus sanctis : * díligit DÓMINUS portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

2. Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

3. Memor ero Rahab & Babylónis, * sciéntium me.

4. Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthiopum, * hi fuérunt illìc.

5. Numquid Sion dicet : Homo & homo natus est in eâ ; * & ipse fundávit eam Altíssimus ?

6. DÓMINUS narrábit in scriptúris populórum & príncipum, * horum qui fuérunt in eâ.

7. Sicut lætántium, * ómnium habitátio est in te.

*Ant.* Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

℣. Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam : ℟. Totâ die magnitúdinem tuam. *Ps.* 70.

*Absolutio.* Deus spei rémpleat vos omni gáudio, & pace in credendo, ut abundétis in spe & virtúte Spíritûs Sãcti. *Rom.* 15. ℟. Amen.

*Benedictiones ad caput Psalterii.*

*IN II. NOCTURNO.*

I. PSALMUS 43.

*Ecclesia priora in se Dei beneficia recolens, posterioraque exponens mala, opem sibi à Deo poscit.*

1. DEus, áuribus nostris audívimus, patres nostri annuntiavérunt nobis, * opus quod operátus es in diébus eórum, & in diébus antíquis.

2. Manus tua gentes dispérdidit, & plantasti eos: * afflixisti pópulos, & expulisti eos.

3. Nec enim in gládio suo possedérunt terram; * & bráchium eórum non salvávit eos.

4. Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui; * quóniam complacuisti in eis.

5. Tu es ipse Rex meus & Deus meus, * qui mandas salútes Jacob.

6. In te inimícos nostros ventilábimus cornu; * & in nómine tuo spernémus insurgentes in nobis.

7. Non enim in arcu meo sperábo; * & gládius meus non salvábit me.

8. Salvasti enim nos de affligéntibus nos; * & odientes nos confudisti.

9. In Deo laudábimur totâ die, * & in nómine tuo confitébimur in séculum.

II. *Divisio Psalmi* 43.

10. NUnc autem repulisti & confudisti nos; * & non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris.

11. Avertisti nos retrorsùm post inimícos nostros; * & qui odérunt nos, diripiébant sibi.

12. Dedisti nos tamquàm oves escárum; * & in géntibus dispersisti nos.

13. Vendidisti pópulum tuum sine prétio; * & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

14. Posuisti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem & derísum his qui sunt in circúitu nostro.

15. Posuisti nos in similitúdinem géntibus, * commotióne cápitis in pópulis.

16. Totâ die verecúndia mea contra me est; * & confúsio faciéi meæ coopéruit me:

17. A voce exprobrantis & obloquentis, * à fácie inimíci & persequentis.

18. Hæc ómnia venérunt super nos, nec oblíti sumus te; * & iníquè non égimus in testamento tuo:

19. Et non recessit retrò cor nostrum; * & declinasti sémitas nostras à viâ tuâ.

20. Quóniam humiliasti nos in loco afflictiónis; * & coopéruit nos umbra mortis.

III. *Divisio Psalmi* 43.

21. SI oblíti sumus nomen Dei nostri, * & si expándimus manus nostras ad deum aliénum;

22. Nonne Deus requíret ista? * ipse enim novit abscóndita cordis.

23. Quóniam propter te mortificámur totâ die: * æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

24. Exsurge; quare obdormis, Dómine? * exsurge; & ne repellas in finem.

25. Quare fáciem tuam avertis; * oblivísceris inópiæ nostræ & tribulatiónis nostræ?

26. Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra, * conglutinátus est in terrâ venter noster.

27. Exsurge, Dómine, ádjuva nos, * & rédime nos propter nomen tuum.

IV. Psalmus 59.

*Mala gentis deflet Psaltes: Christique regni dilatationem prænuntiat.*

1. Deus, repulisti nos, & destruxisti nos: * irátus es; & misertus es nobis.

2. Commovisti terram, & conturbasti eam: * sana contritiónes ejus, quia commóta est.

3. Ostendisti pópulo tuo dura; * potasti nos vino compunctiónis.

4. Dedisti metuéntibus te significatiónem; * ut fúgiant à fácie arcûs.

5. Ut liberentur dilecti tui; * salvum fac déxterâ tuâ, & exaudi me.

6. Deus locútus est in sancto suo: * Lætábor, & partíbor Sichimam; & convallem tabernaculórum metibor.

7. Meus est Galaad, & meus est Manasses; & Ephraim fortitúdo cápitis mei: * Juda rex meus.

8. Moab olla spei meæ: in Idumæam extendam calceamentum meum; * mihi alienígenæ súbditi sunt.

9. Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

10. Nonne tu, Deus, qui repulisti nos; * & non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris?

11. Da nobis auxílium de tribulatióne; * quia vana salus hóminis.

12. In Deo faciémus virtútem; * & ipse ad nihilum dedúcet tribulantes nos.

V. Psalmus 71.

*Christi regnum super omnes gentes. Fructus prædicationis Evangelicæ.*

1. Deus, judícium tuum Regi da, * & justítiam tuam fílio Regis;

2. Judicáre pópulum tuũ in justítiâ, * & páuperes tuos in judício.

3. Suscípiant montes pacem pópulo, * & colles justítiam.

4. Judicábit páuperes pópuli, & salvos fáciet fílios páuperum, * & humiliábit calumniatórem:

5. Et permanébit cum sole & ante lunam, * in generatiónes generatiónũ.

6. Descendet sicut plúvia in vellus, * & sicut stillicídia stillántia super terram.

7. Oriétur in diébus ejus justítia & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

8. Et dominábitur à mari usque ad mare, * & à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

9. Coram illo prócident Æthíopes, & inimíci ejus terram lingent.

VI. *Divisio Psalmi* 71.

10. REges Tharsis, & Insulæ múnera ófferent; * Reges Arabum & Saba dona addúcent;

11. Et adorábunt eum omnes Reges terræ; * omnes gentes sérvient ei;

12. Quia liberábit páuperem à potente, * & páuperem, cui non erat adjútor.

13. Parcet páuperi & ínopi; * & ánimas páuperum salvas fáciet.

14. Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum, * & honorábile nomen eórum coram illo.

15. Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipso semper; * totâ die benedícent ei.

16. Et erit firmamentum in terrâ in summis móntium; superextollétur super Líbanum fructus ejus, * & florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

17. Sit nomen ejus benedictum in sécula; * ante solem pérmanet nomen ejus.

18. Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ; * omnes gentes magnificábunt eum.

19. Benedictus DÓMINUS Deus Israel, * qui facit mirabília solus.

20. Et benedictum nomen majestátis ejus in æternum, & replébitur majestáte ejus omnis terra: * fiat, fiat.

*Ant.* Replébitur majestáte Dómini omnis terra: fiat, fiat.

LECTIO. *II. Petr.* 1.

SAtágite ut per bona ópera certam vestram vocatiónem & electiónem faciátis; hæc enim facientes, non peccábitis aliquandò. Sic enim abundanter ministrábitur vobis intróitus in æternum regnum Dómini nostri & Salvatóris Jesu Christi.

℣. Ego in justítiâ apparébo conspéctui tuo: ℟. Satiábor cùm apparúerit glória tua. *Ps.* 16.

*Collecta ut infrà ad Laudes.*

---

AD LAUDES.

I. PSALMUS 74.

*Deus judex: hunc laudant Justi.*

1. COnfitébimur tibi, Deus; confitébimur & invocábimus nomen tuum: * narrábimus mirabília tua.

2. Cùm accépero tempus, * ego justítias judicábo.

3. Liquefacta est terra, & omnes qui hábitant in eâ: * ego confirmávi colúmnas ejus.

4. Dixi iníquis, Nolíte iníquè ágere; * & delinquéntibus, Nolíte exaltáre cornu.

5. Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui adversùs Deum iniquitátem.

6. Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, * neque a desertis móntibus.

7. Quóniam Deus judex est: * hunc humíliat, & hunc exaltat.

8. Quia calix in manu Dómini vini meri plenus misto; * & inclinávit ex hoc in hoc.

9. Verúmtamen fæx ejus non est exinaníta: * bibent omnes peccatóres terræ.

10. Ego autem annuntiábo in sæculum: * cantábo Deo Jacob.

11. Et ómnia córnua peccatórum confríngam; * & exaltabuntur córnua justi.

*Ant.* Deus judex est: hunc humíliat & hunc exaltat.

II. Canticum Moysis II.

*Deut.* 32.

*Judæorum infidelitates, Deique vindictas & miserationes prænuntiat. Ecclesiæ typus.*

1. Audíte, cœli, quæ loquor: * áudiat terra verba oris mei.

2. Concrescat ut plúvia doctrína mea; * fluat ut ros elóquium meum:

3. Quasi imber super herbam, * & quasi stillæ super grámina.

4. Quia nomen Dómini invocábo: * date magnificéntiam Deo nostro.

5. Dei perfecta sunt ópera, & omnes viæ ejus judícia: * Deus fidélis, & absque ullâ iniquitáte, justus & rectus.

6. Peccavérunt ei, & non filii ejus in sórdibus; * generátio prava atque pervérsa.

7. Hæccine reddis Dómino, * pópule stulte & insípiens?

8. Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, & fecit, & creávit te?

9. Memento diérum antiquórum: * cógita generatiónes síngulas.

10. Intérroga patrem tuum, & annuntiábit tibi; * majóres tuos, & dicent tibi.

11. Quando dividébat Altíssimus gentes; * quando separábat filios Adam:

12. Constítuit términos populórum, * juxta númerum filiórum Israel.

13. Pars autem Dómini pópulus ejus: * Jacob funículus hereditátis ejus.

14. Invénit eum in terrâ desertâ, * in loco horróris & vastæ solitúdinis.

15. Circumduxit eum, & dócuit; * & custodívit quasi pupillam óculi sui.

16. Sicut áquila próvocans ad volandum pullos suos, * & super eos vólitans:

17. Expandit alas suas, & assumpsit eum; * atque portávit in húmeris suis.

18. Dóminus solus dux ejus fuit; * & non erat cum eo deus aliénus.

19. Constítuit eum super excelsam terram; * ut coméderet fructus agrórum:

20. Ut súgeret mel de petrâ, * oleumque de saxo duríssimo;

21. Bútyrum de armento, & lac de óvibus, * cum ádipe agnórum & aríetum filiórum Basan;

22. Et hircos cum medullâ trítici, * & sánguinem uvæ bíberet meracíssimum.

23. Incrassátus est dilectus, & recalcitrávit; * incrassátus, impinguátus, dilatátus:

24. Derelíquit Deum factórem suum; * & recessit à Deo salutári suo.

25. Provocavérunt eum in diis aliénis; * & in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

26. Immolavérunt dæmóniis, & non Deo; * diis quos ignorábant.

27. Novi recentesque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

28. Deum, qui te génuit, dereliquisti; * & oblítus es Dómini creatóris tui.

*Ant.* Pars Dómini pópulus ejus; Jacob funículus hereditátis ejus.

III. *Divisio Cantici Moys.*

29. Vidit Dóminus, & ad iracúndiam concitátus est; * quia provocavérunt eum filii sui & filiæ.

30. Et ait: Abscondam fáciem meam ab eis; * & considerábo novíssima eórum.

31. Generátio enim perversa est, * & infidéles filii.

32. Ipsi me provocavérunt in eo qui non erat Deus; * & irritavérunt in vanitátibus suis:

33. Et ego provocábo eos in eo qui non est pópulus; * & in gente stultâ, irritábo illos.

34. Ignis accensus est in furóre meo; * & ardébit usque ad inferni novíssima:

35. Devorabitque terram cum gérmine suo; * & móntium fundamenta combúret.

36. Congregábo super eos mala; * & sagittas meas complébo in eis.

37. Consumentur fame; * & devorábunt eos aves morsu amaríssimo:

38. Dentes bestiárum immittam in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

39. Foris vastábit eos gládius, & intùs pavor; * júvenem simul ac vírginem,

lactentem cum hómine sene.

40. Dixi: Ubinam sunt?* cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

41. Sed propter iram inimicórum dístuli; * ne fortè superbírent hostes eórum:

42. Et dícerent: Manus nostra excelsa, * & non Dóminus, fecit hæc ómnia.

43. Gens absque consílio est, & sine prudéntiâ: * útinam sáperent, & intellígerent; ac novíssima providérent!

44. Quómodo persequátur unus mille? * & duo fugent decem míllia?

45. Nonnè ídeò, quia Deus suus véndidit eos; * & Dóminus conclúsit illos.

46. Non enim est Deus noster ut dii eórum; * & inimíci nostri sunt júdices.

47. De víneâ Sodomórum vínea eórum; * & de suburbánis Gomorrhæ:

48. Uva eórum uva fellis, * & botri amaríssimi:

49. Fel dracónum vinum eórum; * & venénum áspidum insanábile.

50. Nonne hæc cóndita sunt apud me, * & signáta in thesauris meis?

51. Mea est últio; & ego retríbuam in témpore; * ut labátur pes eórum.

52. Juxta est dies perditiónis, * & adesse festinant témpora.

*Ant.* Mea est últio, & ego retríbuam in témpore.

IV. *Divisio Cant. Moysis.*

53. Júdicábit Dóminus pópulum suum; * & in servis suis miserébitur.

54. Vidébit quòd infirmáta sit manus, & clausi quoque defecérunt; * residuíque consumpti sunt.

55. Et dicet: Ubi sunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam?

56. De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibébant vinum libáminum?

57. Surgant, & opitulentur vobis; * & in necessitáte vos prótegant.

58. Vidéte quòd ego sim solus; * & non sit álius Deus præter me;

59. Ego occídam, & ego vívere fáciam; percútiam, & ego sanábo; * & non est qui de manu meâ possit erúere.

60. Levábo ad cœlum manum meam, & dicam: * Vivo ego in æternum.

61. Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea;

62. Reddam ultiónem hóstibus meis, * & his qui odérunt me, retríbuam.

63. Inebriábo sagittas meas sánguine; * & gládius meus devorábit carnes:

64. De cruóre occisórum, * & de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.

65. Laudáte, gentes, pó-

pulum ejus; * quia sánguinem servórum suórum ulciscétur:

*66.* Et vindíctam retríbuet in hostes eórum; * & propítius erit terræ pópuli sui.

*Ant.* Judicábit Dóminus pópulum suum; & in servis suis miserébitur.

V. PSALMUS 116.

*Misericordia & veritas Dei in populum suum à gentibus laudanda.*

1. LAudáte DÓMINUM, omnes gentes; * laudáte eum, omnes pópuli.

2. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, * & véritas DÓMINI manet in ætenum.

*Ant.* Laudáte Dóminum, omnes pópuli; quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus.

LECTIO, *Philip.* 2.

CUm metu & tremóre vestram salútem operámini; Deus est enim qui operátur in vobis, & velle & perfícere, pro bonâ voluntáte.

℟. *br.* Deduc me, Dómine, in viâ tuâ. * Et ingrédiar in veritáte tuâ. ℟. Deduc. ℣. Lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum; * Et. ℣. Glória. ℟. Deduc me. *Ps.* 58.

HYMNUS. *C.*

RErum Creátor ómnium,
Nostros labóres ádjuva;
Ut casta Christi nómine
Nos vita dignos árguat.

Tu nempè sanctus & potens
Placére das solus tibi:
Tu, legis autor, das sequi
Quod lege præmonstras iter.

Cingunt iter perícula;
Tu lúbricos firma pedes;
Et certióre férvidi
Pergémus ad metam gradu.

O meta felix, pax ubi
Et vera nos manet quies;
Ubi voluptátis sacro
Torrente potábis tuos!

Te mens, ô alma Trínitas,
Anhélat ardens, te sitit;
Tuâ redemptis grátiâ
Ætema redde præmia.
Amen.

℣. Fiat manus tua, Dómine, ut salvet me; ℟. Quóniam mandáta tua elégi. *Ps.* 118.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Deus noster, magne, fortis, & terríbilis, custódiens pactum & misericórdiam, ne avertas à fácie tuâ omnem labórem qui invénit nos. *II. Esdr.* 9.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

ANnue, miséricors Deus, † ut qui divína præcepta violando, paradísi felicitáte decídimus, * ad ætenæ beatitúdinis redeámus accessum per tuórum custódiam mandatórum; Per Dóminum.

## AD PRIMAM.

### Psalmus 18.

*Cælorum ordo, Evangelii propagatio, Legis inconcussa veritas, Dei sapientiam prædicant.*

1. CŒli enarrant glóriam Dei; * & ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum.

2. Dies diéi erúctat verbum; * & nox nocti índicat sciéntiam.

3. Non sunt loquélæ neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

4. In omnem terram exívit sonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

5. In sole pósuit tabernáculum suum; & ipse tamquàm sponsus procédens de thálamo suo: * exsultávit ut gigas ad currẽdam viam.

6. A summo cœlo egréssio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus; * nec est qui se abscondat à calóre ejus.

*Divisio Psalmi 18.*

7. LEx Dómini immaculáta, convertens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

8. Justítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

9. Timor Dómini sanctus, pérmanens in séculum séculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetipsa:

10. Desiderabília super aurum, & lápidem pretiósum multum; * & dulcióra super mel & favum.

11. Etenim servus tuus custódit ea: * in custodiendis illis retribútio multa.

12. Delícta quis intélligit? * ab occultis meis munda me; & ab aliénis parce servo tuo.

13. Si meî non fúerint domináti, tunc immaculátus ero; * & emundábor à delícto máximo:

14. Et erunt ut compláceant elóquia oris mei; & meditátio cordis mei in conspectu tuo semper; * Dómine adjútor meus, & redemptor meus.

### Psalmus 87.

*Vox Christi ad Patrem sese commendantis.*

1. DOmine Deus salútis meæ, * in die clamávi, & nocte coram te.

2. Intret in conspectu tuo orátio mea; * inclína aurem tuam ad precem meam.

3. Quia repléta est malis ánima mea; * & vita mea inferno appropinquávit.

4. Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber;

5. Sicut vulneráti dormientes in sepulcris, quorum non es memor am-

pliùs; * & ipsi de manu tuâ repulsi sunt.

6. Posuérunt me in lacu inferióri, * in tenebrósis & in umbrâ mortis.

7. Super me confirmátus est furor tuus; * & omnes fluctus tuos induxisti super me.

8. Longè fecisti notos meos à me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

9. Tráditus sum, & non egrediébar: * óculi mei languérunt præ inópiâ.

10. Clamávi ad te, Dómine, totâ die: * expandi ad te manus meas.

11. Numquid mórtuis fácies mirabília? * aut médici suscitábunt, & confitebuntur tibi?

12. Numquid narrábit áliquis in sepulcro misericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

13. Numquid cognoscentur in ténebris mirabília tua, * & justítia tua in terrâ obliviónis?

14. Et ego ad te, Dómine, clamávi; * & mane orátio mea prævéniet te.

15. Ut quid, Dómine, repellis oratiónem meam; * avertis fáciem tuam à me?

16. Pauper sum ego, & in labóribus à juventúte meâ; * exaltátus autem, humiliátus sum & conturbátus.

17. In me transiérunt iræ tuæ; * & terróres tui conturbavérunt me.

18. Circumdedérunt me sicut aqua totâ die; * circumdedérunt me simul.

19. Elongasti à me amícum & próximum, * & notos meos à misériâ.

*Ant.* Ego ad te, Dómine, clamávi, & mane orátio mea prævéniet te.

---

## AD TERTIAM.

### Psalmus 52.

*Redemptionis necessitas & effectus.*

1. Dixit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

2. Corrupti sunt & abominábiles facti sunt in iniquitátibus: * non est qui fáciat bonum.

3. Deus de cœlo prospexit super filios hóminum; * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

4. Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

5. Nonne scient omnes qui operantur iniquitátē, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

6. Deum non invocavérunt; * illìc trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

7. Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent: * confúsi sunt; quóniam Deus sprevit eos.

8. Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cùm convérterit Deus captivitátem

plebis suæ, exsultábit Jacob, & lætábitur Israel.

PSALMUS 79.

*Miseriarum finis per Christi adventum postulatur. Vox Ecclesiæ. Expectatio nostra Judæorum conversio.*

1. QUi regis Israel, intende; * qui dedúcis velut ovem Joseph.

2. Qui sedes super Chérubim, manifestáre, * coram Ephraim, Bénjamin & Manasse.

3. Excita poténtiam tuã, & veni; * ut salvos fácias nos.

4. Deus, converte nos; * & ostende fáciem tuam, & salvi érimus.

5. DÓMINE Deus virtútum, * quousque irascéris super oratiónem servi tui?

6. Cibábis nos pane lacrymárum; * & potum dabis nobis in lácrymis in mensúrâ.

7. Posuisti nos in contradictiónem vicínis nostris; * & inimíci nostri subsannavérunt nos.

8. Deus virtútum, converte nos; * & ostende fáciem tuam, & salvi érimus.

*Divisio Psalmi 79.*

9. VIneam de Ægypto transtulisti; * ejecisti gentes, & plantasti eam.

10. Dux itíneris fuisti in conspectu ejus: * plantasti radíces ejus, & implévit terram.

11. Opéruit montes umbra ejus, * & arbusta ejus cedros Dei.

12. Extendit pálmites suos usque ad mare, * & usque ad flumen propágines ejus.

13. Ut quid destruxisti macériam ejus; * & vindémiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?

14. Exterminávit eam aper de silvâ; * & singuláris ferus depastus est eam.

15. Deus virtútum, convértere: * réspice de cœlo, & vide:

16. Et vísita víneam istam; * & pérfice eam quam plantávit déxtera tua.

17. Incensa est igni & suffossa: * ab increpatióne vultûs tui períbunt.

18. Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ, * & super fílium hóminis quem confirmasti tibi.

19. Et non discédimus à te: * vivificábis nos; & nomen tuum invocábimus.

20. DÓMINE Deus virtútum, converte nos; * & ostende fáciem tuam, & salvi érimus.

*Ant.* Deus virtútum, converte nos; & ostende fáciem tuam, & salvi érimus.

LECTIO. *Coloss.* 3.

QUodcumque fácitis, ex ánimo operámini, † sicut Dómino, & non homínibus, * sciente quòd à Dómino accipiétis retributiónem hæreditátis.

℣. Inclinávi cor meum ad faciendas justificatiónes tuas in ætern um, ℟. Propter retributiónem. *Ps.* 118.

---

## AD SEXTAM.

### PSALMUS 33.

*Deus semper benedicendus, Justorum defensor, malorum eversor.*

1. BEnedícam DÓMINUM in omni témpore: * semper laus ejus in ore meo.

2. In DÓMINO laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, & læténtur.

3. Magnificáte DÓMINUM mecum; * & exaltémus nomen ejus in idipsum.

4. Exquisívi DÓMINUM, & exaudívit me; * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

5. Accédite ad eum, & illuminámini; * & fácies vestræ non confundentur.

6. Iste pauper clamávit, & DÓMINUS exaudívit eum, * & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

7. Immittet Angelus DÓMINI in circúitu timéntium eum, * & erípiet eos.

8. Gustáte, & vidéte quóniam suávis est DÓMINUS: * beátus vir qui sperat in eo.

*Divisio Psalmi 33.*

9. TIméte DÓMINUM, omnes sancti ejus; * quóniam non est inópia timéntibus eum.

10. Dívites eguérunt, & esuriérunt; * inquiréntes autem DÓMINUM non minuentur omni bono.

11. Veníte, fílii, audíte me: * timórem DÓMINI docébo vos.

12. Quis est homo qui vult vitam, * díligit dies vidére bonos?

13. Próhibe linguam tuam à malo; * & lábia tua, ne loquantur dolum:

14. Diverte a malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.

*Divisio Psalmi 33.*

15. OCuli DÓMINI super justos; * & aures ejus in preces eórum.

16. Vultus autem DÓMINI super faciéntes mala, * ut perdat de terrâ memóriam eórum.

17. Clamavérunt justi, & DÓMINUS exaudívit eos, * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

18. Juxtà est DÓMINUS iis qui tribuláto sunt corde; * & húmiles spíritu salvábit.

19. Multæ tribulatiónes justórum; * & de ómnibus his liberábit eos DÓMINUS.

20. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

21. Mors peccatórum péssima; * & qui odérunt justum, delínquent.

22. Rédimet DÓMINUS ánimas servórum suórũ; * & non delínquent omnes qui sperant in eo.

*Ant.* Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum.

Lectio. *I. Cor.* 15.

FRatres mei dilecti, stábiles estóte & immóbiles, † abundantes in ópere Dómini semper, * sciéntes quòd labor vester non est inánis in Dómino.

℣. Potestas Dei est; & tibi, Dómine, misericórdia; ℟. Tu reddes unicuíque juxta ópera sua. *Ps.* 61.

---

AD NONAM.

Psalmus 120.

*Dominus custos Ecclesiæ suæ.*

1. LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

2. Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

3. Non det in commotiónem pedem tuum, * neque dormítet qui custódit te.

4. Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israel.

5. Dóminus custódit te; * Dóminus protéctio tua super manum déxteram tuã.

6. Per diem sol non urèt te, * neque luna per noctem.

7. Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

8. Dóminus custódiat introitum tuum & éxitum tuum, * ex hoc nunc & usque in séculum.

Psalmus 123.

*Ecclesia à periculis erepta gratiarum actio.*

1. NIsi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel, * nisi quia Dóminus erat in nobis:

2. Cùm exsúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutissent nos:

3. Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuisset nos.

4. Torrentem pertransívit ánima nostra; * fórsitan pertransisset ánima nostra aquam intolerábilem.

5. Benedictus Dóminus, * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

6. Anima nostra sicut passer erepta est, * de láqueo venántium:

7. Láqueus contrítus est; * & nos liberáti sumus.

8. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cœlum & terram.

Psalmus 124.

*Fidelium Deus ipse tutela. Ecclesiæ stabilitas.*

1. QUi confidunt in Dómino, sicut mons Sion; * non commovébitur in æternum, qui hábitat in Jerúsalem.

2. Montes in circúitu ejus, & Dóminus in circúitu pópuli sui, * ex hoc nunc & usque in séculum;

3. Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum; *

ut non extendant justi ad iniquitátem manus suas.

4. Bénefac, DÓMINE, bonis, * & rectis corde.

5. Declinantes autem in obligatiónes addúcet DÓMINUS cum operántibus iniquitátem: * pax super Israel.

*Ant.* Dóminus custódit te; Dóminus protéctio tua.

LECTIO. *Galat.* 6.

BOnum facientes non deficiámus; † témpore enim suo metémus non deficientes. * Ergo dùm tempus habémus, operémur bonum ad omnes, máximè ad doméfticos fidei.

℣. Retríbuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam; ℟. Et secundùm puritátem mánuum meárum retríbuet mihi. *Ps.* 17.

---

AD VESPERAS.

I. PSALMUS 127.

*Christi & Ecclesiæ filii, in circuitu mensæ Domini.*

1. BEáti omnes qui timent DÓMINUM, * qui ámbulant in viis ejus.

2. Labóres mánuum tuárum quia manducábis; * beátus es, & benè tibi erit.

3. Uxor tua sicut vitis abundans, * in latéribus domûs tuæ.

4. Fílii tui sicut novellæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

5. Ecce sic benedicétur homo, * qui timet DÓMINUM.

6. Benedícat tibi DÓMINUS ex Sion, * & vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ:

7. Et vídeas filios filiórum tuórum, * pacem super Israel.

*Ant.* Beáti omnes qui timent Dóminum, qui ámbulant in viis ejus.

II. PSALMUS 131.

*Justus orat ut in Ecclesiâ Christus inhabitet, Sacerdotesque sanctos reddat.*

1. MEmento, DÓMINE, David, * & omnis mansuetúdinis ejus:

2. Sicut jurávit DÓMINO, * votum vovit Deo Jacob.

3. Si introíero in tabernáculum domûs meæ; * si ascéndero in lectū strati mei;

4. Si dédero somnum óculis meis, & pálpebris meis dormitatiónem, * & réquiem tempóribus meis;

5. Donec invéniam locum DÓMINO, * tabernáculum Deo Jacob.

6. Ecce audívimus eam in Ephráthâ: * invénimus eam in campis silvæ.

7. Introíbimus in tabernáculum ejus: * adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus.

8. Surge, DÓMINE, in réquiem tuam, * tu & arca sanctificatiónis tuæ.

9. Sacerdótes tui induan-

tur justítiam; * & sancti tui exsultent.

10. Propter David servum tuum, * non ávertas fáciem Christi tui.

11. Jurávit DÓMINUS David veritátem, & non frustrábitur eam: * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

12. Si custodíerint fílii tui testamentum meum, * & testimónia mea hæc quæ docébo eos;

13. Et fílii eórum usque in séculum, * sedébunt super sedem tuam;

14. Quóniam elégit DÓMINUS Sion: * elégit eam in habitatiónem sibi.

15. Hæc réquies mea in séculum séculi: * hic habitábo; quóniam elégi eam.

16. [Victum] ejus benedícens benedícam: * páuperes ejus saturábo pánibus.

17. Sacerdótes ejus índuã salutári; * & Sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

18. Illuc prodúcam cornu David: * parávi lucernam Christo meo.

19. Inimícos ejus índuam confusióne; * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

*Ant.* Sion réquies mea in séculum séculi: Sancti ejus exsultatióne exsultábunt.

III. PSALMUS 143.
*Victoria ab hostibus, Dei donum est.*

1. BEnedíctus DÓMINUS Deus meus, qui docet manus meas ad prælíũ, * & dígitos meos ad bellum.

2. Misericórdia mea & refúgium meum; * suscéptor meus & liberátor meus:

3. Protector meus, & in ipso sperávi; * qui subdit pópulum meum sub me.

4. DÓMINE, quid est homo, quia innotuísti ei? * aut fílius hóminis, quia réputas eum?

5. Homo vanitáti símilis factus est, * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

6. DÓMINE, inclína cœlos tuos, & descende: * tange montes, & fumigábunt.

7. Fúlgura coruscatióñe, & dissipábis eos: * emitte sagittas tuas, & conturbábis eos.

8. Emitte manum tuam de alto; * éripe me, & líbera me de aquis multis, de manu filiórum alienórum,

9. Quorum os locútum est vanitátem; * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

*Ant.* Deus meus misericórdia mea, & susceptor meus.

IV. *Divisio Psalmi* 143.

10. DEus, cánticum novũ cantábo tibi; * in psaltério dechacordo psallam tibi:

11. Qui das salútem Régibus; * qui redemísti David servum tuum de gládio maligno.

12. Eripe me, & érue me

de manu filiórum alienórum, * quorum os locútum est vanitátem; & déxtera eórum, déxtera iniquitátis:

13. Quorum filii sicut novellæ plantatiónes, * in juventúte suâ:

14. Fíliæ eórum compósitæ, * circumornátæ ut similitúdo templi.

15. Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud:

16. Oves eórum fœtósæ, abundantes in egréssibus suis; * boves eórum crassæ.

17. Non est ruína macériæ, neque tránsitus, * neque clamor in platéis eórum.

18. Beátum dixérunt pópulum, cui hæc sunt: * beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus.

*Ant.* Beátus pópulus cujus Dóminus Deus ejus.

LECTIO. *Hebr.* 4.

RElínquitur sabbatismus pópulo Dei. † Qui enim ingressus est in réquiem ejus, étiam ipse requiévit ab opéribus suis, sicut à suis Deus. * Festinémus ergo ingredi in illam réquiem.

℟. *br.* Quid mihi est in cœlo? * Et à te quid vólui super terram? ℟. Quid. ℣. Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum. * Et à te. ℣. Glória. ℟. Quid. *Ps.* 72.

HYMNUS. *C.*

SUpréme motor córdium,
Tu sanctitátis frúgibus
Justos ab orbe cóndito
Tenóre ditas pérpeti.

Hìc spes, fides & cáritas
Dulci cohærent vínculo:
Præsentis ævi post diem
Manébit una cáritas.

O cáritas! ô véritas!
O lux perennis! en erit
Post tot labóres, ut tuo
Tandem fruámur sábbato!

Hìc mille per discrímina
Semen geméntes spárgimus:
Illìc ovante spléndidam
Gestábimus messem manu.

Tu, Trine, tu, Potens Deus,
Fructus adauge quos petis:
Mox dona, justus árbiter,
Cœlo coronábis tua.
Amen.

℣. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam; ℟. Quia Dóminus benefécit tibi. *Ps.* 114.

*Ant. ad* Magníficat. & *Collecta ut in Proprio.*

---

## AD COMPLETORIUM.

PSALMUS 50.

*Pœnitentis anima acerbi gemitus. Vox Israelis ad fidem conversi.*

1. MIserére meî, Deus, secundùm magnam misericórdiam tuam; * & secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum, dele iniquitátem meam.

2. Ampliùs lava me ab iniquitáte meâ; * & à peccáto meo munda me:

3. Quóniam iniquitátem meam ego cognosco, * & peccátum meum contra me est semper:

4. Tibi soli peccávi; * & malum coram te feci:

5. Ut justificéris in sermónibus tuis; * & vincas cùm judicáris.

6. Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum; * & in peccátis concépit me mater mea.

7. Ecce enim veritátem dilexisti; * incerta & occulta sapiéntiæ tuæ manifestasti mihi.

8. Asperges me hyssópo, & mundábor:* lavábis me & super nivem dealbábor.

9. Audítui meo dabis gáudium & lætítiam; * & exsultábunt ossa humiliáta.

10. Averte fáciem tuam à peccátis meis; * & omnes iniquitátes meas dele.

11. Cor mundum crea in me, Deus; * & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

12. Ne projícias me à fácie tuâ; * & Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

13. Redde mihi lætítiam salutáris tui; * & spíritu principáli confirma me.

14. Docébo iníquos vias tuas; * & ímpii ad te convertentur.

15. Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ; * & exsultábit lingua mea justítiam tuam.

16. Dómine, labia mea apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

17. Quóniam si voluisses, sacrifícium dedissem útique; * holocaustis non delectáberis.

18. Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies.

19. Benignè fac, Dómine, in bonâ voluntáte tuâ Sion; * ut ædificentur muri Jerúsalem.

20. Tunc acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes & holocausta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

PSALMUS 85.

*Vox Christi, Ecclesiæ liberationem, gentiumque conversionem exposcentis.*

1. INclína, DÓMINE, aurem tuam, & exaudi me; * quóniam inops & pauper sum ego.

2. Custódi ánimam meã, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

3. Miserére meî, Dómine; * quóniam ad te clamávi totâ die.

4. Lætífica ánimam servi tui, * quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

5. Quóniam tu, Dómi-

ne, suávis & mitis, * & multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

*6.* Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam;* intende voci deprecatiónis meæ.

7. In die tribulatiónis meæ, clamávi ad te; * quia exaudisti me.

8. Non est símilis tuî in diis, Dómine; * & non est secundùm ópera tua.

9. Omnes gentes quascumque fecisti, vénient, & adorábunt coram te, Dómine; * & glorificábunt nomen tuum.

10. Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus solus.

*Divisio Psalmi 85.*

11. DEduc me, Dómine, in viâ tuâ, & ingrédiar in veritáte tuâ: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

12. Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo;* & glorificábo nomen tuum in æternum.

13. Quia misericórdia tua magna est super me; * & eruisti ánimam meam ex inferno inferióri.

14. Deus, iníqui insurrexérunt super me, & synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam; * & non proposuérunt te in conspectu suo.

15. Et tu, Dómine Deus, miserátor & miséricors, * pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax.

*16.* Réspice in me, & miserére meî: * da impérium tuum púero tuo; & salvum fac filium ancillæ tuæ.

17. Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundantur; * quóniam tu, Dómine, adjuvisti me, & consolátus es me.

*Cant.* Nunc dimittis.

---

## ANTIPHONA DE BEATA AD DEVOTIONEM.

*A Sabbato ante Dominicam primam post Pentecosten, Festum scilicèt Sanctissimæ Trinitatis, usque ad Adventum.*

ANTIPHONA.

SAlve, Regína, mater Misericórdiæ, vitæ dulcédo & spes nostra, salve. Ad te clamámus, éxsules filii Evæ; ad te suspirámus, gementes & flentes in hâc lacrymárũ valle. Quæsumus ergo, advocáta nostra, illos tuos misericordes óculos ad nos converte; & Jesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exílium benignum ostende; ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo María.

℣. Vultum tuum deprecabuntur ℟. Omnes dívites plebis. *Ps.* 44.

Orémus.

Collecta. *Br. Rom.*

OMnípotens sempiterne Deus, qui gloriósæ Vírginis matris Mariæ corpus & ánimam, ut dignum Filii tui habitáculum éffici mereréetur, Spíritu Sancto cooperante præparasti: † da, ut cujus commemoratióne lætámur, * ejus piâ intercessióne, ab instántibus malis, & à morte perpétuâ liberémur; Per eumdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

---

## PRECES SEROTINÆ.

*Præses Chori. Ant.* Asperges me, Dómine, hyssópo, & mundábor;

*Chorus:* Lavábis me, & super nivem dealbábor.

*Ps.* 50. Miserére meî, Deus, secundùm magnam misericórdiam tuam; * & secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum, dele iniquitátem meam.

℣. Glória Patri, &c. ℣. Sicut erat, &c.

*Repetitur:* Asperges.

*Hebdomadarius seu Celebrans:* ℣. Véniat super me misericórdia tua, Dómine. ℟. Salutáre tuum secundùm elóquium tuum. *Ps.* 118.

℣. Custódi me, Dómine, ut pupillam óculi: ℟. Sub umbrâ alárum tuárum prótege me. *Ps.* 16.

℣. Orémus pro frátribus nostris abséntibus. ℟. Bénefac, Dómine, bonis & rectis corde. *Ps.* 124.

℣. Pro infirmis, afflictis & captívis. ℟. Líbera, Deus, Israel ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24.

℣. Dómine, dabis pacem nobis; ℟. Omnia enim ópera nostra operátus es nobis. *Is.* 26.

℣. Dóminus vobiscùm. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Collecta. *Br. Rom.*

VIsita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, & omnes insídias inimíci ab eâ longè repelle: Angeli tui sancti hábitent in eâ, qui nos in pace custódiant; & benedíctio tua sit super nos semper: Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Pro frátribus nostris defunctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant justítiam ejus. *Mich.* 7.

*Hic dicitur Ps.* 129. De profundis. *suprà, pag.* 96.

*In fine:* Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; * & lux perpétua lúceat eis.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Grimold.*

DEus, véniæ largítor, & humánæ salútis amátor: quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos & benefactóres, qui ex hoc sǽculo transiérunt, beátâ Maríâ semper vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

*Deinde singulis diebus alternatìm dicitur una ex Litaniis quæ ad Breviarii calcem annotantur.*

DEUS etsi spiritus sit,

non tamen internis tantùm affectibus fidei, spei & caritatis,

verùm etiam externis actibus colendus & adorandus est,

ut cor & caro exsultent in Deum vivum.

*Conc. Trev. II. an. 1549. Can. 5.*



# PROPRIUM DE TEMPORE.

## PARS ÆSTIVA.

## DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

IN FESTO

## SS. TRINITATIS.

*Solemnitas II. Classis.*

AD I. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. Dixit Deus ad Móysen: Ego sum qui sum; hoc nomen mihi est in ætérnum. *Exod.* 3.

II. Dóminus Deus noster, Dóminus unus est. *Deut.* 6.

III. Ipse est Deus deórum, & Dóminus dominántium; Deus magnus & potens. *Deut.* 10.

IV. Dóminus exercítuum Deus Israel, magnus consílio, & incomprehensíbilis cogitátu. *Jerem.* 32.

Lectio. *Rom.* 11.

O Altitúdo divitiárum sapiéntiæ & sciéntiæ Dei! † quàm incomprehensibília sunt judícia ejus, * & investigábiles viæ ejus! ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Quis loquétur * Poténtias Dómini? ℟. Quis. ℣. Audítas fáciet omnes laudes ejus? * Poténtias. ℣. Glória. ℟. Quis. *Ps.* 105.

Hymnus. *S. M.*

Ter Sancte, ter Potens Deus,
Incomprehensa Trínitas;
O lux perennis! própriis
O ter beáta gáudiis!

O vera semper Unitas!
O una semper Véritas!
O sancta semper, quæ bonum
Diffundis omne, Cáritas!

Te densa circùm núbila,
Te circùm inaccessú jubar,

Quod intùs ardent Angeli
Circùm trementes cérnere.
Te confitétur in tuo
Et plebs renáta nómine;
Firmâque prælíbat fide
Amor quod ambit præmiū.
Da posse quod jubes, Pater:
Da scire, Fili, quod doces:
Fac corde toto, Spíritus,
Nos velle quod probas bonum. Amen.

℣. Magnus Dóminus, & laudábilis nimìs; ℟. Et magnitúdinis ejus non est finis. *Ps.* 144.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Dómini Dei tui cœlum est, & cœlum cœli; terra, & ómnia quæ in eâ sunt. Ipsi adhærébis: ipse est laus tua, & Deus tuus. *Deut.* 10.

*Collecta ut infrà ad Laudes.*

---

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Deum unum, Patrem, & Fílium, & Spíritum Sanctum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 28.

HYMNUS.

SUblíme Numen, ter potens, ter máximum,
Incomprehensum lucis immensæ jubar,
Simplex & unus, & tribus constans Deus,
Te res creátæ laude jugi cóncinant.
Tu Trinitátis fons inexhaustus, Pater,
Filique nascens Patris æterno sinu,
Ac Sancte manans è duóbus, Spíritus,
Nil vos in unâ dívidit substántiâ.
Persóna triplex: una jungit Unitas;
In Patre semper Natus; in Nato Pater;
Uterque sacro semper est in Spíritu;
In Patre semper, inque Nato Spíritus.
Sed nullus horum quémlibet vincit, gradu
Vel major exstat, vel prior poténtiâ;
Æquále regnum, parque majestas trium,
Orígo nulli dignius confert bonum.
Rerum creátor, laus tibi vivens Pater:
Laus æqua, mundum qui redémit, Fílio:
Quo nos supernis ígnibus succéndimur,
Compar in ævum Flámini sit glória. Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Dixit íterùm Deus ad Móysen: Hæc dices filiis Israel: Dóminus Deus patrum nostrórum, Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob: hoc nomen mihi est in æternū. *Exod.* 3.

II. Scito & cogitáto in corde tuo, quòd Dóminus ipse sit Deus in cœlo sursùm, & in terrâ deorsùm; & non sit álius. *Deut.* 4.

III. Excelsus & sublímis, hábitans æternitátem, & sanctum

...ctum nomen ejus. *Isai.*

℣. Beátus & solus po-... Rex regum, & Dómi-... dominántium; qui so-... habet immortalitátem, ... lucem hábitat inaccessí-...lem. *I. Tim.* 6.

V. Non est Deus quasi ...mo, ut mentiátur; nec ...t filius hóminis, ut mu-...tur. *Num.* 23.

VI. Non est ulla crea-...ura invisíbilis in conspe-...ctu ejus: ómnia autem nuda & aperta sunt óculis ejus. *Hebr.* 4.

℣. Potens es, Dómine; ℟. Et véritas tua in cir-cúitu tuo. *Ps.* 88.

LECTIO I.

Ex Isáiâ Prophétâ. *Cap.* 6.

VIdi Dóminum sedentem super sólium excelsum & elevátum; & ea quæ sub ipso erant, replébant templum. Séraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ álteri: duábus velábant fáciem ejus, & duábus velábant pedes ejus, & duábus volábant. Et clamábant alter ad álterum: Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus exercítuum; plena est omnis terra glóriâ ejus. Et commóta sunt superliminária cárdinum à voce clamantis, & domus repléta est fumo.

℟. Ego Dóminus, * Hoc est nomen meum; glóriam meam álteri non dabo. ℣. Ait Deus ad Móysen: Sic dicas Fíliis Israel: Qui est, misit me ad vos. * Hoc est. *Is.* 42. *Exod.* 3.

LECTIO II. *Cap.* 40.

QUis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderávit? Quis appendit tribus dígitis molem terræ, & librávit in póndere montes & colles in statérâ? Quis adjúvit Spíritum Dómini? aut quis consiliárius ejus fuit, & ostendit illi? Cum quo iniit consílium, & instruxit eum, & dócuit eum sémitam justítiæ, & erudívit eum sciéntiam, & viã prudéntiæ ostendit illi? Ecce gentes quasi stilla sítulæ, & quasi momentum statéræ reputátæ sunt: ecce ínsulæ quasi pulvis exíguus. Et Líbanus non sufficiet ad succendendum, & animália ejus non sufficient ad holocaustum. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt, coram eo, & quasi níhilum & ináne reputátæ sunt ei.

℟. Arénam maris, & plúviæ guttas, & dies sǽculi, quis dinumerávit? * Altitúdinem cœli & latitúdinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? ℣. Excélsior cœlo est, & profúndior inferno; & unde cognosces? lóngior terrâ mensúra ejus,

& látior mari; quis contradícet ei? * Altitúdinem. *Eccli.* 1. *Job.* 11.

LECTIO III.

CUi ergo símilem fecístis Deum? aut quam imáginem ponétis ei? Numquid sculptile conflávit faber? aut áurifex auro figurávit illud, & láminis argénteis, argentárius? Forte lignum & imputríbile elégit, ártifex sápiens quærit quómodò státuat simulácrum, quod non moveátur. Numquid non scitis? numquid non audístis? numquid non annuntiátum est vobis ab inítio? numquid non intellexístis fundamenta terræ?

℟. Dómine Rex omnípotens, tu fecísti cœlum & terram, & quidquid cœli ámbitu continétur; * Dóminus ómnium es, nec est qui resístat majestáti tuæ. ℣. Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, & honórem, & virtútem; quia tu creásti ómnia: * Dóminus. *Esther* 13. *Apoc.* 4.

LECTIO IV.

Ex Libro Ecclesiástici. *Cap.* 18.

QUi vivit in æternum, creávit ómnia simul. Deus solus justificábitur, & manet invíctus Rex in ætérnū. Quis súfficit enarráre ópera illíus? Quis enim investigábit magnália ejus? virtútem autem magnitúdinis ejus quis enuntiábit? aut quis adjíciet enarráre misericórdiam ejus? Non est minúere, neque adjícere, nec est inveníre magnália Dei. Cùm consummáverit homo, tunc incípiet: & cùm quiéverit, aporiábitur.

℟. Multa dicémus, & deficiémus in verbis; ipse est in ómnibus. Gloriantes ad quid valébimus? * Ipse enim omnípotens super ómnia ópera sua. ℣. In ipso vívimus, & movémur, & sumus. * Ipse. ℣. Glória. * Ipse. *Eccli.* 43. *Act.* 17.

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Scimus quòd nullus est Deus, nisi unus, nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terrâ; nobis tamen unus Deus. *I. Cor.* 8.

II. Deum nemo vidit unquàm; si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet. *I. Joan.* 4.

III. Nemo novit Fílium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui volúerit Fílius reveláre. *Matth.* 11.

IV. Quæ Dei sunt, nemo cognóvit, nisi Spíritus Dei, *I. Cor.* 2.

V. In uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti sumus; & omnes in uno Spíritu potáti sumus. *I. Cor.* 12.

VI. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt ómnia; ipsi glória in sécula. *Rom.* 11.

℣. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus, ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi. *Ps.* 32.

LECTIO V.

Ex Libro sancti Hippólyti Epíscopi & Mártyris contra Noétum. *Edit. Fabric. III. Sec. init. n.* 8 *&* 14.

NEcesse est, ut, quamvis nolit Noétus, confiteátur Patrem Deum omnipotentem, & Christum Jesum Fílium Dei, Deum factum hóminem, cui ómnia Pater subjécit præter se & Spíritum sanctum, & hos esse verè tres. Joannes in Evangélio suo Verbum confitétur Deum, sic ínquiens: In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Si ergo Verbum erat apud Deum, & Deus erat, quid ergo? Dicet-ne áliquis dícere Joannē duos deos? Duos quidem non dicam, sed unum; persónas verò duas. Pater quidem unus, persónæ verò duæ, quia Fílius; tértia autem Spíritus sanctus.

℟. In princípio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum: * Omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil quod factum est. ℣. Verbo Dómini cœli firmáti sunt, & Spíritu oris ejus omnis virtus eórum. * Omnia. *Joan. I. Ps.* 32.

LECTIO VI.

ALiter Deum unum intellígere non póssumus, nisi verè Patri & Fílio & Spirítui sancto credámus. Etenim Judæi Patrem glorificavérunt, sed non egérunt grátias: siquidem non agnovérunt Fílium. Discípuli agnovérunt Fílium, sed non in Spíritu sancto, idcirco negavérunt. Sciens ígitur Verbum Patris, œconómiam & voluntátem Patris, quòd non vult áliter glorificári, nisi sic; cùm resurrexisset, trádidit hoc discípulis: Euntes, inquit, docéte omnes Gentes, baptizantes eos in nómine Patris, & Filii, & Spíritûs sancti. Dócuit hic quòd quicumque unum quid horum omíserit, is perfectè Deum non glorificávit. Per hanc enim Trinitátem Pater glorificátur. Pater enim vóluit, Fílius fecit, Spíritus sanctus manifestum fecit: omnes ígitur Scriptúræ de hoc prædicant.

℟. Nosse te, Deus noster, consummáta justítia est; * Et scire justítiam & virtútem tuam, radix est immortalitátis. ℣. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum; * Et scire. *Sap.* 15. *Joan.* 17.

LECTIO VII.

Ex Oratióne sancti Gregórii Nysséni de Vitâ sancti Gregórii Thaumaturgi. *Edit. Paris. III. Sec. Med.*

SAnctus Gregórius pósteris tamquàm patrimónium quoddam & legátum, divínitus datam doctrínam relíquit, per quam usque in præsentem diem instítuitur civitátis Neocæsaréæ plebs, quæ ab omni hærcticâ malítiâ intacta permansit. Porrò mysticæ illíus disciplínæ verba hæc sunt: Unus est Deus Pater Verbi viventis, Sapiéntiæ subsisténtis & poténtiæ, & figúræ æternæ, perfectus perfecti Génitor, Pater Fílii Unigéniti. Unus Dóminus, solus ex solo, Deus de Deo, figúra & imágo Deitátis, Verbum éfficax, Sapiéntia constitutiónis rerum universárum comprehensíva, & poténtia totíus creatúræ effectrix, Fílius verus veri Patris, visum effúgiens visum effugientis, & corruptióni non obnóxius non obnóxii corruptióni, & morti non obnóxius morti non obnóxii, & æternus æterni.

℟. Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequàm quidquam fáceret à princípio: * Quando præparábat cœlos, áderam; cum eo eram cuncta compónens. ℣. Ego & Pater unum sumus: & Pater in me est, & ego in Patre. * Quando. *Prov.* 8. *Joan.* 10.

LECTIO VIII.

UNus Spíritus sanctus ex Deo ortum & exsisténtiam habens: quique per Fílium appáruit, vidélicet homínibus; imágo Fílii perfecti perfecta, vita vivéntium causa, fons sanctus, sánctitas sanctificatiónis suppeditátrix, per quem manifestátur Deus Pater, qui est super ómnia, & in ómnibus; & Dei Fílius, qui per ómnia permáneat. Trínitas perfecta, quæ glóriâ, atque æternitáte & regno non divíditur, neque abalienátur. Ergo neque creátum quidquam aut servum in Trinitáte est, neque adscitítium quidquam & adventítium, ut quod priùs quidem non esset nec suppéteret, postériùs autem introductum sit: neque verò deest unquam Fílius in Patre, neque in Fílio Spíritus; sed immu-

tábilis & inalterábilis éadem semper Trínitas est. Quòd si quis sibi fidem de hâc re fieri cupit, áudiat Ecclésiam, in quâ sermónem prædicábat, apud quam illa ipsa verba à beátâ illâ manu exaráta adhuc étiam nunc conservantur.

℟. Séraphim clamábant alter ad álterū: * Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus Deus exercítuum: † Plena est omnis terra glóriâ ejus. ℣. Tres sunt qui testimónium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spíritus sanctus: & hi tres unum sunt. * Sanctus. ℣. Glória. † Plena. *Isai.* 6. *I. Joan.* 5.

## *IN III. NOCTURNO.*

I. Canticum. *Isai.* 40.

*Mirabilis Dei potentia, magnitudinis & sapientia descriptio.*

Deus qui sedet super gyrum terræ, * & habitatóres ejus sunt quasi locustæ.

Qui extendit velut níhilum cœlos, * & expandit eos, sicut tabernáculum ad inhabitandum.

Qui dat secretórum scrutatiónes, quasi non sint; * júdices terræ velut inánes fecit:

Et quidem neque plantátus, neque satus, neque radicátus in terrâ truncus eórum: * repentè flavit in eos, & aruérunt;

Et cui assimilastis me, & adæquastis, * dicit Sanctus?

II. Canticum. *Ibid.*

Leváte in excelsum óculos vestros, * & vidéte quis créavit hæc:

Qui edúcit in número milítiam eórum, * & omnes ex nómine vocat:

Præ multitúdine fortitúdinis & róboris, virtutísque ejus, * neque unum relíquum fuit.

Numquid nescis aut non audisti? * Deus sempitérnus Dóminus, qui creávit términos terræ:

Non deficiet, neque laborábit, * nec est investigátio sapiéntiæ ejus.

Qui dat lasso virtútem; * & his qui non sunt, fortitúdinem & robur multíplicat.

III. Canticum. *Jer.* 10.

*Solus Deus, omnium Creator & Rector.*

Non est símilis tuî, Dómine: * magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitúdine.

Quis non timébit te, ô Rex Géntium? * tuum est enim decus.

Inter cunctos sapientes géntium, & in universis regnis eórum, * nullus est símilis tuî.

Páriter insipientes & fátui probabuntur: * doctrínâ vanitátis eórum lignum est.

Dóminus autem Deus verus est : * ipse Deus vivens, & Rex sempitérnus.

Ab indignatióne ejus commovébitur terra : * & non sustinébunt gentes comminatiónem ejus.

Dii qui cœlos & terram non fecérunt, péreant de terrâ, * & de his quæ sub cœlo sunt.

Qui facit terram in fortitúdine suâ : * præparat orbem in sapiéntiâ suâ, & prudéntiâ suâ extendit cœlos.

Ad vocem suam dat multitúdinem aquárum in cœlo, * & élevat nébulas ab extremitátibus terræ.

Fúlgura in plúviam facit, * & edúcit ventum de thesáuris suis.

*Ant.* Dómine Deus, ecce tu fecisti cœlum & terram in fortitúdine tuâ magnâ, & in bráchio tuo extento : non erit tibi difficile omne verbum. *Jerem.* 32.

℣. Cantábo, Dómine, fortitúdinem tuam : ℟. Et exultábo mane misericórdiam tuam. *Ps.* 58.

LECTIO IX.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses. *Cap.* 1.

PAulus & Timótheus, servi Jesu Christi, ómnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Epíscopis & Diacónibus. Grátia vobis & pax, à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo in omni memóriâ vestrî, semper in cunctis oratiónibus meis pro ómnibus vobis, cum gáudio deprecatiónem fáciens, super communicatióne vestrâ in Evangélio Christi à primâ die usque nunc : confídens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perfíciet usque in diem Christi Jesu. Sicut est mihi justum hoc sentíre pro ómnibus vobis; eo quòd hábeam vos in corde, & in vínculis meis, & in defensióne, & confirmatióne Evangélii, sócios gáudii mei omnes vos esse.

℟. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit quóniam Jesus est Fílius Dei ? Hic est, qui venit per aquam & sánguinem, Jesus Christus. * Et Spíritus est, qui testificátur, quóniam Christus est Véritas. ℣. Deum nemo vidit unquam. Unigénitus Fílius qui est in sinu Patris, ipse enarrávit. * Et Spíritus. *I. Joan.* 5. *ejusd. Evang.* 1.

LECTIO X.

TEstis enim mihi est Deus, quómodo cúpiam omnes vos in viscéribus Jesu Christi. Et hoc oro ut cáritas vestra magis

ac magis abundet in sciéntiâ, & in omni sensu, ut probétis potióra, ut sitis sincéri, & sine offensâ in diem Christi, repléti fructu justítiæ per Jesum Christum, in glóriam & laudem Dei.

℞. Benedictus Deus, & Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui elégit nos in ipso, * Ut essémus sancti & immaculáti in conspectu ejus in caritáte. ℣. Recordátus est Dóminus pópuli sui: pósuit in médio ejus Spíritum Sancti sui. * Ut. *Ephes.* 1. *Isai.* 63.

LECTIO XI.

SCire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venérunt Evangélii: ita ut víncula mea manifesta fierent in Christo in omni prætório, & in cæteris ómnibus; & plures è frátribus in Dómino confidentes vínculis meis, abundántius audérent sine timóre verbum Dei loqui. Quidam quidem & propter invídiam, & contentiónem: quidam autem & propter bonam voluntátem Christum prædicant, quidam ex caritáte, scientes quóniam in defensiónem Evangélii pósitus sum. Quidam autem ex contentióne Christum annúntiant non sincérè, existimantes pressúram se suscitáre vínculis meis.

℞. Sensum tuum, Dómine, quis sciet, nisi tu míseris Spíritum sanctum tuum de altíssimis, & quæ tibi placent didícerint hómines? * Spíritus enim ómnia scrutátur, étiam profunda Dei. ℣. Quis hóminum scit quæ sunt hóminis, nisi Spíritus qui in ipso est, ita & quæ Dei sunt nemo cognóvit, nisi Spíritus Dei. * Spíritus. *Sap.* 9. *I. Cor.* 2.

LECTIO XII.

QUid enim? Dum omni modo, sive per occasiónem, sive per veritátem, Christus annuntiétur; & in hoc gáudeo, sed & gaudébo. Scio enim, quia hoc mihi provéniet ad salútem, per vestram oratiónem, & subministratiónem Spíritûs Jesu Christi, secundùm exspectatiónem & spem meam; quia in nullo confundar: sed in omni fidúciâ sicut semper, & nunc magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Mihi enim vívere Christus est, & mori lucrum.

℞. Dóminum exercítuum ipsum sanctificáte: ipse pavor vester, & ipse terror vester; * Et erit vobis in sanctificatiónem. ℣. Timéte Dóminum, & date illi honórem, & adoráte eum qui fecit cœlum & terram. * Et erit. ℣. Gló-

ria. * Et erit. *Isai.* 8. *Apoc.* 14.

EVANGELIUM.

Sequéntia Sancti Evangélii secundùm Matthæum.
*Cap.* 28.

ACcédens Jesus locútus est discípulis suis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ. Euntes ergo docéte omnes Gentes; baptizantes eos in nómine Patris, & Fílii, & Spíritûs sancti: docentes eos serváre ómnia, quæcumque mandávi vobis. Et ecce ego vobiscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem séculi.

AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. UNus Deus & Pater ómnium, qui est super omnes, & per ómnia, & in ómnibus nobis. *Ephes.* 4.

II. Deus erat Verbum; in ipso vita erat, & vita erat lux hóminum; & lux in ténebris lucet. *Joan.* 1.

III. In uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti sumus. *I. Cor.* 12.

IV. Grátia, misericórdia, & pax à Deo Patre, & Christo Jesu Dómino nostro. *I. Tim.* 1.

V. Benedicentes Dóminum, exaltáte illum quantùm potestis; major enim est omni laude. *Eccli.* 43.

LECTIO. *Apoc.* 7.

BEnedíctio, & cláritas, & sapiéntia, & gratiárum áctio, † honor, & virtus, & fortitúdo Deo nostro * in sécula seculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

℟. *br.* Magnus Dóminus noster, * Et magna virtus ejus. ℟. Magnus. ℣. Et sapiéntiæ ejus non est númerus. * Et magna. ℣. Glória. ℟. Magnus. *Ps.* 146.

HYMNUS. *S. M.*

O Luce quæ tuâ lates,
Beáta semper Trínitas!
Te confitémur, crédimus,
Pióque corde quærimus.

O Sancte sanctórum Pater!
O Nate de Deo Deus!
O caritátis vínculum
Jungens utrumque, Spíritus!

Ut se videt totum Pater,
Coæva Proles náscitur;
Amorque quo se díligunt,
Et ipse procédit Deus.

Est totus in Nato Pater,
In Patre totus Fílius;
Natóque plenus ac Patre
Inest utríque Spíritus.

Quod Natus est, hoc Spíritus;
Hoc est uterque quod Pater;
Tres una summa véritas,
Tres una summa cáritas.

O fons salútis Trínitas,
Mortálium spes única,

Quos hic gementes réspicis
Refer paternas in domos. Amen.

℣. Benedictus es, Dómine, in firmamento cœli, ℟. Et laudábilis & gloriósus in sécula. *Dan.* 3.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Benedictum, Dómine, nomen glóriæ tuæ sanctum, & laudábile, & superexaltátum in ómnibus séculis. *Dan.* 3.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

OMnípotens, sempiterne Deus, qui dedisti fámulis tuis in confessióne veræ fidei, æternæ Trinitátis glóriam agnóscere, & in poténtiâ majestátis adoráre Unitátem; † quæsumus, ut ejusdem fidei firmitáte, * ab ómnibus semper muniámur advérsis: Per Dóminum.

AD PRIMAM.

*Dicitur Symbolum* Quicumque.

CANON.

Ex Concílio secundo Constantinopolitáno. *An.* 553. *Can.* I.

SI quis non confitétur Patris, & Filii, & Spíritûs sancti, unam natúram sive substántiam, & unam virtútem & potestátem, Trinitátem consubstantiálem unam deitátem in tribus subsisténtiis sive persónis adorandam, talis anáthema sit. Unus enim Deus & Pater, ex quo ómnia; & unus Dóminus Jesus Christus, per quem ómnia; & unus Spíritus sanctus, in quo ómnia.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Hebr.* I.

FIlium Deus constítuit hærédem universórum, per quem fecit & sécula. † Qui cùm sit splendor glóriæ, & figúra substántiæ ejus, portansque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, * sedet ad déxteram majestátis in excelsis.

℣. Tu Dóminus Altíssimus super omnem terram: ℟. Nimis exaltátus es super omnes deos. *Ps.* 96.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Ephes.* 3.

FLecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cœlis, & in terrâ nominâtur; † ut det vobis secundùm divitias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, * Christum habitáre per fidem in córdibus vestris.

℣. Redde mihi, Dómine, lætítiam salutáris tui; ℟. Et Spíritu principáli confirma me. *Ps.* 50.

AD NONAM.

LECTIO. *Ephes.* 5.

IMplémini Spíritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & cánticis spirituálibus, † cantantes & psallentes in córdibus vestris Dómino,* grátias agentes semper pro ómnibus in nómine Dómini nostri Jesu Christi, Deo & Patri.

℣. Laudábo Dóminum in vitâ meâ; ℟. Psallam Deo meo quámdiu fúero. *Ps.* 145.

AD II. VESPERAS.

*ANTIPHONÆ.*

I. NObis unus Deus, Pater, ex quo ómnia, & nos in illum. *I. Cor.* 8.

II. Unus Dóminus Jesus Christus, per quem ómnia, & nos per ipsum. *I. Cor.* 8.

III. Unus Spíritus, unus Dóminus, una fides, unum baptisma. *Ephes.* 4.

IV. Ipse Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quòd sumus filii Dei. *Rom.* 8.

LECTIO. *Judæ. Epist.*

CAríssimi, superædificantes vosmetipsos sanctíssimæ vestræ fidei, † in Spíritu sancto orantes, vosmetipsos in dilectióne Dei serváte, * exspectantes misericórdiam Dómini nostri Jesu Christi in vitam ætermam.

℟. *br.* Benedícat nos Deus, Deus noster, * Benedícat nos Deus. ℟. Benedícat. ℣. Et métuant eum omnes fines terræ. * Benedícat. ℣. Glória. ℟. Benedícat. *Ps.* 66.

*Hymnus*, Ter sancte, *ut ad primas Vesperas.*

℣. Benedictum nomen majestátis ejus in æternum; ℟. Et replébitur majestáte ejus omnis terra. *Ps.* 71.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Electis secundùm præsciéntiam Dei Patris, in sanctificatiónem Spíritûs, in obediéntiam, & aspersiónem sánguinis Jesu Christi, grátia & pax. *I. Petr.* 1.

---

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Incipit Liber Jósue. *Cap.* 1 & 3.

ET factum est post mortem Móysi servi Dómini, ut loquerétur Dóminus ad Jósue filium Nun, minístrum Móysi, & díceret ei: Móyses servus meus mórtuus est: surge, & transi Jordánem istum tu, & omnis pópulus tecum, in terram, quam ego dabo filiis Israel. Omnem locum, quem calcáverit vestígium pedis vestri, vobis tradam, sicut locútus sum Móysi. ¶ Igitur egressus est pópulus de tabernáculis suis, ut

transíret Jordánem, & Sacerdótes qui portábant arcam fœderis, pergébant ante eum. Ingressísque eis Jordánem, & pédibus eórum in parte aquæ tinctis (Jordánis autem ripas álvei sui témpore messis impléverat) stetérunt aquæ descendentes in loco uno, & ad instar montis intumescentes apparébant, quæ autem inferióres erant, descendérunt, usquequò omnínò deficerent. Pópulus autem incedébat contra Jéricho: & sacerdótes qui portábant arcam fœderis Dómini, stabant super siccam humum in médio Jordánis accincti, omnísque pópulus per arentem álveum transíbat.

LECTIO II. *Cap.* 4.

Quibus transgressis, vocávit Jósue duódecim viros quos elégerat de filiis Israel, síngulos de síngulis tríbubus, & ait ad eos: Ite ante arcam Dómini Dei vestri ad Jordánis médium, & portáte inde sínguli síngulos lápides in húmeris vestris, juxta númerum filiórum Israel, ut sit signum inter vos: & quando interrogáverint vos filii vestri cras, dicentes: Quid sibi volunt isti lápides? respondébitis eis: Defecérunt aquæ Jordánis ante arcam fœderis Dómini, cùm transíret eum: idcirco pósiti sunt lápides isti in monumentum filiórum Israel usque in ætérnum. ¶ Fecérunt ergo filii Israel sicut præcépit eis Jósue, portantes de médio Jordánis álveo duódecim lápides, ut Dóminus ei imperárat, juxta númerum filiórum Israel, usque ad locum, in quo castrametáti sunt, ibíque posuérunt eos. Sacerdótes autem, qui portábant arcam, stabant in Jordánis médio, donec ómnia compleréntur, quæ Jósue, ut loquerétur ad pópulum, præcéperat Dóminus, & díxerat ei Móyses. Cùmque transissent omnes, transívit & arca Dómini, sacerdotésque pergébant ante pópulum.

℟. I. Noli metúere, & noli timére: quóniam tecum est Dóminus Deus tuus in ómnibus ad quæcumque perréxeris. * Tu tantùm confortáre, & viríliter age. ℣. Ipse dixit: Non te déseram, neque derelinquam. * Tu tantùm. *Jos.* 1. *Hebr.* 13.

℟. II. Transívit Israel Jordánem siccante Deo aquas ejus, sicut fécerat priùs in mari Rubro; * Ut discant omnes terrárum pópuli fortíssimam Dómini manum. ℣. Quid est tibi, mare, quòd fugisti? & tu, Jordánis, quia convérsus es retrorsum? * Ut. *Jos.* 4. *Ps.* 113.

℟. III. Docébitis filios vestros, atque dícetis: Per arentem álveum transívit Israel Jordánem istū, * Ut & vos timeátis Dóminum Deum vestrum omni témpore. ℣. Fílii qui nascentur & exurgent & narrábunt fíliis suis, ut non oblivíscantur óperum ejus. * Ut. *Josue*, 4. *Ps.* 77.

℟. IV. Dux fuisti in misericórdiâ tuâ, Dómine, pópulo quem redemisti; * Et † Portasti eum in fortitúdine tuâ, ad habitáculum sanctum tuum. ℣. In ómnibus magnificasti pópulum tuum, Dómine, & honorasti, & non despexisti, in omni témpore & in omni loco adsistens eis. * Et portasti. ℣. Glória. † Portasti. *Exod.* 15. *Sap.* 19.

LECTIO III.

Ex Libro primo sancti Theóphili Antiochéni Epíscopi ad Authólicum. *Inter opera S. Justini. Edit. Bened. n.* 2, 3, 4.

SI dicas: Ostende mihi Deum tuum; dicam tibi: Ostende mihi hóminem tuum, & ego ostendam Deum meum. Dices ígitur mihi: Tu qui vides, narra mihi formam Dei qualis sit. Audi ô homo: forma Dei nec dici, nec narrári potest, nec óculis corpóreis vidéri: nam nec ejus glória ánimo capi, nec magnitúdo comprehendi potest, nec altitúdo cogitári, nec ejus robur in comparatiónem vocári; nec sapiéntia assimilári; nec ejus benígnitas imitábilis, nec beneficéntia enarrábilis. Nam si lucem eum dicam, opus ejus dico; si verbum dicam, ejus principátum dico; si mentem dicam, ejus prudéntiam dico; si spíritum dicam, meam ipsíus respiratiónem dico; si sapiéntiam dicam, ejus progéniem dico; si robur dicam, ejus poténtiam dico; si virtútem dicam, ejus operatiónem dico: si providéntiam dicam, ejus benignitátem dico; si regnum dicam, ejus glóriam dico; si Dóminum dicam, júdicem dico; si júdicem dicam, justum eum dico; si Patrem dicam, ómnia eum dico. Dóminus est, quia ómnibus dominátur; Pater, quia ante ómnia; Cónditor & Creátor, quia ómnia cóndidit & creávit; Altíssimus, quia supra ómnia; Omnípotens, quia ómnia tenet & compléctitur. Nam & alta cœlórum, & profunda abyssórum, & términi orbis terræ sunt in manu ejus: nec est locus in quo morétur & quiescat. Est enim cœlum ejus opus, terra & mare ejus opifícium, homo ejus figmentum & imágo. Sol, & luna, & stellæ sunt ejus eleménta, in signa & tempo-

ra, & dies, & annos cóndita, ut ministrent & sérviant homínibus. Atque ómnia Deus fecit cùm ántea non essent, ut ex opéribus cognoscátur, & intelligátur ejus majestas.

℟. Quod notum est Dei, manifestum est in homínibus; Deus enim illis manifestávit: * Sempiterna quoque ejus virtus & divínitas; ita ut sint inexcusábiles. ℣. A magnitúdine speciéi & creatúræ cognoscibíliter póterit creátor horum vidéri, * Sempiterna. ℣. Glória. * Sempiterna. *Rom.* 1. *Sap.* 13.

CANON.

Ex Concílio Parisiensi sexto. *An.* 829. *Lib.* 1. *Cap.* 1.

Constat quòd fundamentū Christiánæ Religiónis fides sit Cathólica, hoc est crédere in Patrem & Fílium & Spíritum sanctum, unum Deum & verum Deum, Trinum in persónis & unum in substántiâ. Crédere étiam quòd sola persóna Filii pro salúte nostrâ carnem assúmpserit, in quâ & passus est, & resurrexit, & in cœlos ascendit, cum quâ étiam ad judícium ventúrus est. Et crédere quòd per Spíritum sanctum remíssio peccatórum in baptísmate conferátur, & quòd fidélibus in Ecclésiâ Christi, ejusdem sancti Spíritûs dono, per ministérium sacerdotále, & per pœniténtiam, remíssio peccatórum indubitanter attribuátur.

---

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Libro Jósue. *Cap.* 6.

Dixit Dóminus ad Jósue: Ecce dedi in manu tuâ Jéricho, & regem ejus, omnesque fortes viros. Circuíte urbem cuncti bellatóres semel per diem; sic faciétis sex diébus. Séptimo autem die sacerdótes tollant septem búccinas, quarum usus est in jubilæo, & præcédant arcam fœderis: septiesque circuíbitis civitátem, & sacerdótes clangent búccinis. Cùmque insonúerit vox tubæ lóngior atque concísior, & in áuribus vestris increpúerit, conclamábit omnis pópulus vociferatióne máximâ, & muri fúnditùs córruent civitátis, ingredienturque sínguli per locum contra quem stéterint. ¶ Sic fecérunt sex diébus. Die autem séptimo, dilúculo consurgentes, circuiérunt urbem, sicut dispósitum erat, sépties. Cùmque séptimo circúitu clángerent búccinis sacerdótes, dixit Jósue ad omnem Israel: Vociferámini: trádidit enim vobis Dóminus civitátem; sitque civitas

pis ejus; álterâ verò, quâ se in Patrem & Fílium, & Spíritum sanctum crédere profitétur. Unde étiam sub ejusdē sanctæ Trinitátis invocatióne baptísmatis grátiam conséquitur.

---

## FERIA QUARTA.

### LECTIO I.

Ex Libro Jósue. *Cap.* 23.

EVolúto autem multo témpore, postquàm pacem déderat Dóminus Israéli, subjectis in gyro natiónibus univérsis, & Jósue jam longævo, & persenílis ætátis: vocávit Jósue omnem Israélem, majorésque natu, & príncipes ac duces, & magistros, dixitque ad eos: Ego sénui, & progressióris ætatis sum: vosque cérnitis ómnia, quæ fécerit Dóminus Deus vester cunctis per circúitum natiónibus, quómodo pro vobis ipse pugnáverit: & nunc quia vobis sorte divísit omnem terram, ab Orientáli parte Jordánis usque ad mare magnum, multæque adhuc supersunt natiónes: Dóminus Deus vester dispérdet eas, & áuferet à fácie vestrâ, & possidébitis terram, sicut vobis pollícitus est. ¶ Quòd si voluéritis géntium harum, quæ inter vos hábitant, erróribus adhærére, & cum eis miscére connúbia, atque amicítias copuláre; jam nunc scitóte quòd Dóminus Deus vester non eas déleat ante fáciem vestram, sed sint vobis in fóveam ac láqueum, & offendículum ex látere vestro, donec vos áuferat atque dispérdat de terrâ hâc óptimâ, quam trádidit vobis. En ego hódie ingrédior viam univérsæ terræ, & toto ánimo cognoscétis quòd de ómnibus verbis, quæ se Dóminus præstitúrum vobis esse pollícitus est, unum non prætéríerit incassum.

### LECTIO II. *Cap.* 24.

NUnc ergo timéte Dóminum, & servíte ei perfecto corde atque veríssimo: & auferte deos, quibus serviérunt patres vestri in Mesopotámiâ & in Ægypto, ac servíte Dómino. Sin autem malum vobis vidétur ut Dómino serviátis, óptio vobis datur. Respondítque pópulus, & ait: Absit à nobis ut relinquámus Dóminum, & serviámus diis aliénis. Dixitque Jósue ad pópulum: Non potéritis servíre Dómino: Deus enim sanctus, & fortis æmulátor est, nec ignóscet sceléribus vestris atque peccátis. Si dimiséritis Dóminum, & servíeritis diis aliénis, convertet se, & afflíget vos, atque subvertet postquàm vobis præstíterit bona. Dixitque pópu-

lus ad Jósue : Nequáquam ita ut lóqueris, erit, sed Dómino serviémus. Et Jósue ad pópulum : Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegéritis vobis Dóminum ut serviátis ei. Responderuntque : Testes. ¶ Percussit ergo Jósue in die illo fœdus, & propósuit pópulo præcepta atque judícia in Sichẽ. Scripsit quoque ómnia verba hæc in volúmine legis Dómini : & tulit lápidem pergrandem, posuítque eum subter quercum, quæ erat in Sanctuário Dómini : & dixit ad omnem pópulum : En lapis iste erit vobis in testimónium quòd audíerit ómnia verba Dómini quæ locútus est vobis : ne fortè póstea negáre velítis, & mentíri Dómino Deo vestro. Dimisítque pópulum, síngulos in possessiónem suam. Et post hæc mórtuus est Jósue fílius Nun servus Dómini, centum & decem annórum.

℞. I. Unus è vobis persequétur hóstium mille viros; quia Dóminus Deus vester pro vobis ipse pugnábit, sicut pollícitus est. * Hoc tantùm diligentíssimè præcavéte, ut diligátis Dóminum Deum vestrum. ℣. Auferet in conspectu vestro gentes magnas; & nullus vobis resístere póterit. * Hoc. *Josue.* 23.

℞. II. Quid Dóminus Deus tuus petit à te, nisi * Ut tímeas Dóminum Deum tuum, & ámbules in viis ejus, & díligas eum, ac sérvias Dómino Deo tuo in toto corde tuo, & in totâ ánimâ tuâ ? ℣. Hoc est máximum & primum mandátum. * Ut. *Deut.* 10. *Matth.* 22.

℞. III. Ipse est Deus noster. * Dómino Deo nostro serviémus, & obedientes érimus præceptis ejus. ℣. Absit à nobis hoc scelus, ut recedámus à Dómino, & ejus vestígia relinquámus. * Dómino. *Josue*, 24 & 22.

℞. IV. Dóminum Deum tuum timébis, & ei soli sérvies : * Ipsi adhærébis, jurabísque in nómine illíus. ℣. Ipse est laus tua, & Deus tuus. * Ipsi. ℣. Glória. * Ipsi. *Deut.* 10.

LECTIO III.

Ex Libro primo Confessiónum sancti Augustíni Epíscopi. *Edit. Bened. Cap.* 1 & 4.

MAgnus es, Domine, & laudábilis valde, magna virtus tua, & sapiéntiæ tuæ non est númerus. Et laudáre te vult homo, áliqua pórtio creatúræ tuæ. Tu éxcitas ut laudáre te delectet, quia fecisti nos ad te, & inquiétum est cor nostrum donec requiescat in te. Quid es ergo, Deus meus ? Quid, rogo, nisi Dóminus meus ? Quis

enim Dóminus præter Dóminum? aut quis Deus præter Deum nostrum? Summe, óptime, potentíssime, omnipotentíssime, misericordíssime, & justíssime, secretíssime, & præsentíssime, pulchérrime & fortíssime, stábilis & incomprehensíbilis, immutábilis mutans ómnia, nunquam novus, nunquā vetus, ínnovans ómnia & in vetustátem perdúcens superbos, & néssciunt. Semper agens, semper quiétus, cólligens & non egens, portans & implens & prótegens, creans & nútriens & perficiens, quærens cùm nihil desit tibi. Amas, nec æstuas: zelas & secúrus es: pœnitet te, & non doles: irásceris & tranquillus es: ópera mutas, nec mutas consílium: récipis quod ínvenis, & nunquam amisisti: nunquam inops, & gaudes lucris: nunquam avárus, & usúras éxigis. Supererogátur tibi ut débeas, & quis habet quidquam non tuum? Reddis débita nulli debens, donas débita nihil perdens. Et quid díximus, Deus meus, vita mea, dulcédo mea sancta? Aut quid dicit áliquis cùm de te dicit? Et væ tacéntibus de te; quóniam loquáces muti sunt.

℟. Dominátor Dómine Deus, misericors & clemens, pátiens, & multæ miseratiónis, ac verax. * Dóminus exercítuum nomen tibi. ℣. Fortíssime, magne, & potens, magnus consílio, & incomprehensíbilis cogitátu: * Dóminus. ℣. Glória. * Dóminus. *Exod. 34. Jerem. 32.*

CANON.

Ex Concílio Lateranensi quarto. *An.* 1215. *Cap.* 1.

Firmiter crédimus, & simplíciter confitémur, quòd unus solus est verus Deus, æternus & immensus, omnípotens, incommutábilis, incomprehensíbilis & ineffábilis. Pater & Fílius & Spíritus sanctus, tres quidem persónæ, sed una esséntia, substántia, seu natúra simplex omnínò. Pater à nullo, Fílius autem à solo Patre, ac Spíritus sanctus ab utróque páriter absque inítio semper & fine,



# SACRO-SANCTÆ EUCHARISTIÆ,

*Solemnitas I. Classis.*

## AD I. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. REdémit Dóminus Jacob, & liberávit eum; & vénient, & laudábunt in monte Sion, & cónfluent ad bona Dómini super frumento & vino. *Jerem.* 31.

II. Consolábor eos, & lætificábo à dolóre suo; & inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine, ait Dóminus. *Jerem.* 31.

III. Tríticum comedent, & vinum bibent in átriis sanctis meis. *Is.* 62.

IV. Erit ánima eórum quasi hortus irríguus; & ultrà non esúrient, & pópulus meus bonis meis adimplébitur. *Jerem.* 31.

Lectio. *Eccli.* 24.

MEmória mea in generatiónes sæculórum.† Qui edunt me, adhuc esúrient; & qui bibunt me, adhuc sitient. * Qui audit me, non confundétur.

℟. *br.* Memóriam fecit mirabílium suórum * misericors & miserátor Dóminus. ℟. Memóriam. ℣. Escam dedit timéntibus se. * Misericors. ℣. Glória. ℟. Memóriam. *Ps.* 110.

Hymnus.
*S. Thom. Aquin.*

PAnge, lingua, gloriósi
Córporis mystérium,
Sanguinísque pretiósi,
Quem, in mundi prétium,
Fructus ventris generósi,
Rex effúdit géntium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intactâ Vírgine,
Et in mundo conversátus
Sparso verbi sémine,
Sui moras incolátûs
Miro clausit órdine.

In suprémæ nocte cœnæ
Recumbens cum frátribus,
Observátâ lege plenè,
Cibis in legálibus,
Cibum turbæ duodénæ,
Se dat suis mánibus.

Verbum caro, panem verum,
Verbo carnem éfficit:
Fitque sanguis Christi merum;
Et si sensus déficit,
Ad firmandum cor sincérum,
Sola fides súfficit.

Tantum ergo Sacramentum
Venerémur cérnui :
Et antíquum documentum
Novo cedat rítui :
Præstet fides supplementum
Sénsuum deféctui.

Genitóri, Genitóque,
Laus & jubilátio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit & benedíctio :
Procedenti ab utróque
Compar sit laudátio.
Amen.

℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, ℟. Quam abscondisti timéntibus te! *Ps.* 30.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Omnes sitientes veníte ad aquas : properáte, & comédite, & veníte ad me ; & vivet ánima vestra. *Isai.* 55.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 197.

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Panem vitæ Jesum Christum Dóminum; * Veníte, adorémus. *Joan.* 6.

HYMNUS.
*S. Thom. Aquin.*

SAcris Solémniis
Juncta sint gaúdia,
Et ex præcórdiis
Sonent præcónia;
Recédant vétera,
Nova sint ómnia,
Corda, voces & ópera.

Noctis recólitur
Cœna novíssima,
Quâ Christus créditur
Agnum & ázyma
Dedisse frátribus,
Juxta legítima
Priscis indulta pátribus.

Post agnum typicum,
Explétis épulis,
Corpus Domínicum
Datum discípulis,
Sic totum ómnibus,
Quod totum síngulis,
Ejus fatémur mánibus.

Dedit fragílibus
Córporis férculum,
Dedit & trístibus
Sánguinis póculum,
Dicens : Accípite
Quod trado vásculum;
Omnes ex eo bíbite.

Sic sacrificium
Istud instítuit,
Cujus officium
Committi vóluit
Solis Presbyteris,
Quibus sic cóngruit,
Ut sumant & dent cæteris.

Panis angélicus
Fit panis hóminum,
Dat panis cœlicus
Figúris términum :
O res mirábilis!
Mandúcat Dóminum
Pauper, servus & húmilis.

Te, Trina Déitas
Unaque, póscimus,
Sic nos tu vísita,
Sicut te cólimus :
Per tuas sémitas
Duc nos quò téndimus,
Ad lucem quam inhábitas.
Amen.

## IN I. NOCTURNO.

*Ant.* I. Dixit Móyses: Ite tollentes ánimal per famílias vestras, & immoláte phase. *Exod.* 12.

II. Anima cùm obtúlerit oblatiónem sacrifícii Dómino, símila erit ejus oblátio. *Levit.* 2.

III. Duódecim panes ex símilâ super mensam puríssimam coram Dómino státues. *Levit.* 24.

IV. Pones super eos thus lucidíssimum, ut sit panis in monimentum oblatiónis Dómini. *Levit.* 24.

V. Erunt Aaron & filiórum ejus, ut cómedant eos in loco sanctificáto; quia Sanctum sanctórum est de sacrificiis Dómini. *Levit.* 24.

VI. Qui immundus erit non vescétur his quæ sanctificáta sunt: sed mundátus vescétur de sanctificátis; quia cibus illíus est. *Levit.* 22.

℣. Eduxit Dóminus electos suos in lætítiâ, ℟. Et pane cœli saturávit eos. *Ps.* 104.

### LECTIO I.

Ex Libro Exodi. *Cap.* 16.

LOcútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Audívi murmuratiónes filiórum Israel, lóquere ad eos: Véspere comedétis carnes, & manè saturabímini pánibus; scietísque quòd ego sum Dóminus Deus vester. Factum est ergo véspere, & ascendens coturnix, coopéruit castra: mane quoque ros jácuit per circúitum castrórum. Cùmque operuísset superfíciem terræ, appáruit in solitúdine minútum, & quasi pilo tusum, in similitúdinem pruínæ super terram. Quod cùm vidíssent fílii Israel, dixérunt ad ínvicem: Manhu? quod signíficat: Quid est hoc? ignorábant enim quid esset. Quibus ait Móyses: Iste est panis, quem Dóminus dedit vobis ad vescendum.

℟. Non Móyses dedit vobis panem de cœlo; sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum: * Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. ℣. Patres vestri manducavérunt manna in deserto, & mórtui sunt. Hic est panis de cœlo descendens; ut si quis ex ipso manducáverit, non moriátur. * Panis enim. *Joan.* 6.

### LECTIO II.

DIxit autem Móyses: Iste est sermo, quem præcépit Dóminus: Imple gomor ex eo, & custodiátur in futúras retrò generatiónes: ut nóverint panem, quo álui vos in solitúdine, quando educti estis de terrâ Ægypti. Dixítque Móyses ad Aaron: Sume vas unum, & mitte

ibi Man, quantum potest cápere gomor, & repóne coram Dómino ad servandum in generatiónes vestras, sicut præcépit Dóminus Móysi. Posuítque illud Aaron in tabernaculo reservandum. Fílii autem Israel comedérunt Man quadraginta annis, donec venírent in terram habitábilem: hoc cibo áliti sunt, úsquequò tángerent fines terræ Chánaan.

℟. Non sicut manducavérunt patres vestri manna, & mórtui sunt. * Qui mandúcat hunc panem, vivet in æternum. ℣. Veníte, comédite panem meum. * Qui mandúcat. *Joan. 6. Prov. 9.*

LECTIO III. *Cap. 24.*

VEnit Móyses, & narrávit plebi ómnia verba Dómini, atque judícia: respondítque omnis pópulus unâ voce: Omnia verba Dómini, quæ locútus est, faciémus. Scripsit autem Móyses universos sermónes Dómini: & manè consurgens ædificávit altáre ad radíces montis, & duódecim títulos per duódecim tribus Israel. Misítque júvenes de fíliis Israel, & obtulérunt holocausta, immolaveruntque víctimas pacíficas Dómino, vítulos. Tulit ítaque Móyses dimídiam partem sánguinis, & misit in cratéras; partem autem resíduam fudit super altáre. Assumensque volúmen fœderis, legit audiente pópulo: qui dixérunt: Omnia quæ locútus est Dóminus, faciémus, & érimus obedientes. Ille verò sumptum sánguinem respersit in pópulum, & ait: Hic est sanguis fœderis quod pépigit Dóminus vobiscum super cunctis sermónibus his.

℟. Accípiens Móyses sánguinem vitulórum & hircórum ipsum, librum & omnem pópulum aspersit, dicens: * Hic sanguis testamenti, quod mandávit ad vos Deus. ℣. Calix benedictiónis cui benedícimus, nonne communicátio sánguinis Christi est? * Hic sanguis. *Hebr. 9. I. Cor. 10.*

LECTIO IV.

Ex libro tértio Regum. *Cap. 19.*

ELías venit in Bersábee Juda, & dimísit ibi púerum suum, & perrexit in desertum, viam uníus diéi. Cùmque venisset, & sedéret subter unam juníperum, petívit ánimæ suæ ut moreretur, & ait: Súfficit mihi, Dómine, tolle ánimam meam: neque enim mélior sum, quàm patres mei. Projecítque se, & obdormívit in umbrâ juníperi: & ecce Angelus Dómini tétigit eum, & di-

xit illi : Surge, & cómede. Respexit, & ecce ad caput suum subcinerícius panis, & vas aquæ : comédit ergo, & bibit, & rursum obdormívit. Reversúsque est Angelus Dómini secúndò, & tétigit eum, dixítque illi : Surge, cómede : grandis enim tibi restat via. Qui cùm surrexísset, comédit, & bibit, & ambulávit in fortitúdine cibi illíus, quadraginta diébus & quadraginta nóctibus, usque ad montem Dei Horeb.

℟. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. * Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum : & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. ℣. Ecce servi mei comedent, ecce servi mei bibent : & exsultábo & gaudébo in pópulo meo. * Si quis. ℣. Glória. * Si quis. *Joan. 6. Is. 65.*

## *IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Discúbuit Jesus, & duódecim Apóstoli cum eo ; & ait illis : Desidério desiderávi hoc Pascha manducáre vobíscum, ántequàm pátiar. *Luc. 22.*

II. Cœnántibus eis, accépit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, dedítque discípulis suis, & ait : Accípite, & comédite ; hoc est corpus meum. *Matth. 26.*

III. Accípiens cálicem grátias egit : & dedit illis, dicens : Bíbite ex hoc omnes : Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundétur in remissiónem peccatórum. *Matth. 26.*

IV. Dico vobis : Non bibam ámodò de hoc genímine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobíscum novum in regno Patris mei. *Matth. 26.*

V. Beátus qui manducábit panem in regno Dei. *Luc. 14.*

VI. Qui mandúcat meam carnem, & bibit meum sánguinem, hàbet vitam ætérnam ; & ego resuscitábo eum in novíssimo die. *Joan. 6.*

℣. Edúcas, Dómine, panem de terrâ. ℟. Et vinum lætíficet cor hóminis. *Ps. 103.*

### LECTIO V.

Ex Catechési Mystagógicâ quartâ sancti Cyrilli Jerosolymitáni Epíscopi, de Córpore & Sánguine Christi. *Edit. Bened. Cat. 22. n. 1.*

EGo enim accépi à Dómino quod & trádidi vobis. Vel hæc sola beáti Pauli, institútio abundè suffíciens est, ut certam vobis de divínis mystériis fidem fáciat : quibus digni hábiti, concorpórei & consangues Christi facti estis,

Ille enim modò clamábat: Quòd in eâ nocte quâ tradebátur Dóminus noſter Jeſus Chriſtus, ſumpto pane, & grátiis actis, fregit, & dedit ſuis diſcípulis, dicens: Accípite, manducáte; Hoc eſt corpus meum. Et ſumpto cálice, ac grátiis actis, dixit: Accípite, bíbite; Hic eſt ſanguis meus. Cùm ígitur ipſe pronuntiáverit, & díxerit de pane: Hoc corpus eſt meum; quis audébit deinceps ambígere? Et cùm ipſe adſeveráverit & díxerit: Hic meus eſt ſanguis; quis unquam dubitáverit, áiens non eſſe ejus ſánguinem?

℟. Memóriam fecit mirabílium ſuórum miſéricors & miſerátor Dóminus; * Eſcam dedit timéntibus ſe: memor erit in ſéculum teſtamenti ſui. ℣. Jeſus, cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos; * Eſcam. *Pſ.* 110. *Joan.* 13.

LECTIO VI. *n.* 2 & 3.

AQuam olim in vinum, quod ſánguini affine eſt, in Cana Galilææ tranſmutávit: & eum parùm dignum exiſtimábimus cui credámus, cùm vinum in ſánguinem tranſmutávit? Quare cum omni perſuaſione tamquàm Corpus & *Sánguinem* Chriſti illa ſumámus. Nam in figúrâ panis datur tibi Corpus, & in figúrâ vini datur tibi Sanguis; ut cùm ſúmpſeris Corpus & Sánguinem Chriſti, concorpóreus & conſanguis ipſi efficiáris. Sic & enim Chriſtíferi efficimur, diſtribúto in membra noſtra Córpore ejus & Sánguine. Sic juxta beátum Petrum divínæ ſimus conſortes natúræ.

℟. Per Chriſtum Deus máxima & pretióſa nobis promiſſa donávit: *Ut per hæc efficiámini divínæ conſortes natúræ. ℣. Accépto Jeſus pane, grátias egit, & fregit, & dedit, dicens: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur: * Ut per. *II. Petr.* 1. *Luc.* 22.

LECTIO VII. *n.* 4 & 5.

OLim Chriſtus cum Judæis diſſerens aiébat: Niſi manducavéritis meam carnem, & bibéritis meum ſánguinem, non habétis vitam in vobis ipſis. Cùm autem illi ea quæ dicebantur non ſpirituáliter accepiſſent, offenſi abiérunt retro, exiſtimantes quòd eos ad manducandas carnes hortarétur. Erant & in antíquo fœdere panes propoſitiónis: verùm illi cùm ad vetus teſtamentum adtinérent, finem accepérunt. In novo verò teſtamento, panis eſt cœleſtis

&

& póculum salutáris, ánimam & corpus sanctificántia. Quemádmodum enim panis córpori convéniens est, ita & verbum ánimæ consentáneum.

℟. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. * Qui mandúcat meam carnem, & bibit meum sánguinem, in me manet, & ego in illo. ℣. Comédite, amíci, & bíbite, & inebriámini, caríssimi: * Qui mandúcat. *Joan.* 6. *Cant.* 5.

LECTIO VIII. *n.* 6 & 9.

QUamóbrem ne, tamquàm nudis & commúnibus eleméntis, pani & vino Eucharísticis adtende. Sunt enim Corpus & Sanguis Christi, secúndùm Dómini adseveratiónem. Nam etiamsi illud tibi súggerat sensus, fides tamen te certum & firmum effíciat. Ne júdices rem ex gustu; sed ex fide citra ullam dubitatiónem certus esto, te Córporis & Sánguinis Christi dono dignátum fuisse: isthæc edoctus, & certíssimâ imbútus fide, quòd qui vidétur panis, panis non est, tametsi gustu sensíbilis sit, sed Corpus Christi; & quod vidétur vinum, vinum non est, etiamsi ita gústui videátur, sed sanguis Christi.

℟. Quicumque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indignè, reus erit córporis & sánguinis Dómini: * Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de cálice bibat. ℣. Anima pollúta, quæ éderit de cárnibus hóstiæ, períbit de pópulis suis: * Probet. ℣. Glória. * Probet. *I. Cor.* 11. *Levit.* 7.

## *IN III. NOCTURNO.*

I. CANTICUM. *Prov.* 9.

*Sapientiæ divinæ ad sacras Epulas invitatio.*

SApiéntia ædificávit sibi domum; * excídit colúmnas septem.

Immolávit víctimas suas; * míscuit vinum, & propósuit mensam suam.

Misit ancillas suas, ut vocárent ad arcem, * & ad mœnia civitátis:

Si quis est párvulus, véniat ad me: * & insipiéntibus locúta est:

Veníte, comédite panem meum, * & bíbite vinum quod míscui vobis.

II. CANTICUM. *Sap.* 16.

*Manna, Eucharistiæ typus.*

ANgelórum escâ nutrivisti pópulum tuum; * & parátum panem de cœlo præstitisti illis sine labóre,

Omne delectamentum in se habentem, * & omnis sapóris suavitátem.

Substántia enim tua * dulcédinem tuam, quam in filios habes, ostendébat:

Et desérviens uniuscujúsque voluntáti, * ad quod quisque volébat, convertebátur.

III. CANTICUM. *Jerem.* 31.

*Dei in utroque fœdere beneficiorum enumeratio.*

AUdíte verbum Dómini, Gentes, * & annuntiáte in ínsulis, quæ procul sunt, & dícite:

Qui dispersit Israel, congregábit eum: * & custódiet eum sicut pastor gregem suum.

Redémit enim Dóminus Jacob, * & liberávit eum de manu potentióris.

Et vénient, & laudábunt in monte Sion: * & cónfluent ad bona Dómini,

Super frumento, & vino, & óleo, * & fœtu pécorum & armentórum.

Eritque ánima eórum quasi hortus irríguus; * & ultrà non esúrient.

Tunc lætábitur virgo in choro, * júvenes & senes simul:

Et convertam luctum eórum in gáudium, * & consolábor eos, & lætificábo à dolóre suo.

Et inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine: * & pópulus meus bonis meis adimplébitur, ait Dóminus.

*Ant.* Fecit nos Christus regnum & sacerdótes Deo & Patri suo: ipsi glória & impérium. *Apoc.* 1.

℣. Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea; ℟. Et lábiis exsultatiónis laudábit os meum. *Ps.* 62.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 10.

NOlo vos ignoráre, fratres, quóniam patres nostri omnes sub nube fuérunt, & omnes mare transiérunt: & omnes in Móyse baptizáti sunt in nube, & in mari: & omnes eamdem escam spiritálem manducavérunt, & omnes eumdem potum spiritálem bibérunt: (bibébant autem de spiritáli, consequente eos, petrâ: petra autem erat Christus.) Sed non in plúribus eórum beneplácitum est Deo: nam prostráti sunt in deserto. Hæc autem in figúrâ facta sunt nostrî, ut non simus concupiscentes malórum, sicut & illi concupiérunt.

℟. Jánuas cœli apéruit Dóminus, & pluit illis manna ad manducandum, & * Panem cœli dedit eis, panem Angelórum manducávit homo. ℣. Patres nostri manducavérunt manna in deserto, sicut scriptum

est : * Panem cœli. *Ps.* 77. *Joan.* 6.

LECTIO X.

PRopter quod, caríssimi mihi, fúgite ab idolórum cultúrâ : ut prudéntibus loquor, vos ipsi judicáte quod dico. Calix benedictiónis, cui benedícimus, nonne communicátio sánguinis Christi est? & panis, quem frángimus, nonne participátio córporis Dómini est? Quóniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participámus. Vidéte Israel secundùm carnem : nonne qui edunt hóstias, partícipes sunt altáris? Quid ergo? dico quòd idólis immolátum sit áliquid? aut quòd idólum, sit áliquid? Sed quæ ímmolant Gentes, dæmóniis ímmolant, & non Deo. Nolo autem vos sócios fieri dæmoniórum : non potestis cálicem Dómini bíbere, & cálicem dæmoniórum : non potestis mensæ Dómini partícipes esse, & mensæ dæmoniórum.

℟. Dixit Jesus : Ego sum panis vitæ : * Qui venit ad me, non esúriet, & qui credit in me, non sítiet unquam. ℣. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, & à generatiónibus meis impléмini : spíritus enim meus dulcis, & hæréditas mea super mel & favum. * Qui. *Joan.* 6. *Eccli.* 24.

LECTIO XI. *Cap.* 11.

EGo enim accépi à Dómino quod & trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in quâ nocte tradebátur, accépit panem, & grátias agens fregit, & dixit : Accípite & manducáte : Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter & cálicem, postquàm cœnávit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sánguine. Hoc fácite quotiescumque bibétis, in meam commemoratiónem. Quotiescumque enim manducábitis panem hunc, & cálicem bibétis : mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat. Itaque quicumque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indignè : reus erit córporis & sánguinis Dómini.

℟. Irritam quis fáciens legem Móysi, sine ullâ miseratióne duóbus vel tribus téstibus móritur : * Quantò magis putátis deterióra meréri supplícia qui Fílium Dei conculcáverit, & sánguinem testamenti pollútum dúxerit, in quo sanctificátus est. ℣. Irátus est Dóminus contra Ozam, & per-

cussit eum, eò quòd tetigisset arcam, & mórtuus est. * Quantò, *Hebr.* 10. *I. Paral.* 13.

LECTIO XII.

PRobet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de cálice bibat. Qui enim mandúcat, & bibit indignè, judícium sibi mandúcat & bibit: non dijúdicans corpus Dómini. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dórmiunt multi. Quòd si nosmetipsos dijudicarémus, non útique judicarémur. Dum judicámur autem, à Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur.

℟. Pascha nostrum immolátus est Christus: * Itaque epulémur, non in fermento véteri, neque in fermento malítiæ & nequítiæ, sed in ázymis sinceritátis & veritátis. ℣. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum, & propósuit mensam suá. * Itaque. ℣. Glória. * Itaque. *I. Cor.* 5. *Prov.* 9.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem. *Cap.* 6.

DIxit Jesus turbis Judæórum: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui mandúcat meam carnem, & bibit meum sánguinem, in me manet, & ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui mandúcat me, & ipse vivet propter me. Hic est panis qui de cœlo descendit. Non sicut manducavérunt patres vestri manna, & mórtui sunt. Qui mandúcat hunc panem, vivet in æternum.

AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. DIxit Jesus; Panis Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. *Joan.* 6.

II. Amen, amen dico vobis: ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. *Joan.* 6.

III. Nisi manducavéritis carnem Fílii hóminis, & bibéritis ejus sánguinem, non habébitis vitam in vobis. *Joan.* 6.

IV. Qui mandúcat meam carnem, & bibit meum sánguinem, habet vitam ætérnam. *Joan.* 6.

V. Qui mandúcat & bibit indignè; judícium sibi mandúcat & bibit, non dijúdicans corpus Dómini. *I. Cor.* 11.

LECTIO. *I. Cor.* 10.

PAtres nostri omnes sub nube fuérunt, & omnes mare transiérunt, & omnes in Móyse baptizáti sunt in nube & in mari: †

& omnes eamdem escam spiritálem manducavérunt, & omnes eumdem potum spiritálem bibérunt; * bibébant autem de spiritáli consequente eos petrâ: petra autem erat Christus.

℟. *br.* Cálicem salutáris accípiam, * Et nomen Dómini invocábo. ℟. Cálicē. ℣. Tibi sacrificábo hóstiam laudis. * Et nomen. ℣. Glória. ℟. Cálicem. *Ps.* 115.

HYMNUS.
*S. Thom. Aquin.*

VErbum supernum pródiens,
Nec Patris linquens dé×teram,
Ad opus suum é×iens,
Venit ad vitæ vésperam.

In mortem à discípulo
Suis tradendus æmulis,
Priùs, in vitæ férculo,
Se trádidit discípulis.

Quibus, sub binâ spécie,
Carnem dedit & sánguinem;
Ut dúplicis substántiæ
Totum cibáret hóminem.

Se nascens dedit sócium,
Convescens in edúlium,
Se móriens in prétium,
Se regnans dat in præmium.

O salutáris hóstia,
Quæ cœli pandis óstium!
Bella premunt hostília,
Da robur, fer auxílium.

¶ Qui carne nos pascis tuâ,
Sit laus tibi, Pastor bone,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

¶ *Hæc Doxologia dicitur per totam Octavam ad Horas diurnas.*

℣. Edent páuperes, & saturabuntur, & laudábunt Dóminum; ℟. Vivent corda eórum in séculum séculi. *Ps.* 21.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Quotiescumque manducábitis panem hunc, & cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis donec véniat. *I. Cor.* 11.

COLLECTA. *Brev. Rom.*

DEus, qui nobis sub Sacramento mirábili passiónis tuæ memóriam reliquisti; † tríbue, quæsumus, ita nos Córporis & Sánguinis tui sacra mystéria venerári; * ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus; Qui vivis.

AD PRIMAM.

CANON.
Ex Concílio Lateranensi quarto. *An.* 1215.
*Can.* 1.

UNa est fidélium universális Ecclésia, extra quam nullus omníno salvátur, in quâ idem ipse Sacerdos & sacrifícium Jesus Christus; cujus Corpus & Sanguis in Sacramento altáris sub speciébus panis

patres suos : & surrexérunt álii, qui non nóverant Dóminum, & ópera quæ fécerat cum Israel. Feceruntque filii Israel malum in conspectu Dómini, & serviérunt Baálim : ac dimisérunt Dóminum Deum patrum suórum, qui edúxerat eos de terrâ Ægypti : & secúti sunt deos aliénos, deosque populórum, qui habitábant in circúitu eórum, & adoravérunt eos : & ad iracúndiam concitavérunt Dóminum, dimittentes eum. ¶ Iratusque Dóminus contra Israel, trádidit eos in manus diripiéntium : qui cepérunt eos, & vendidérunt hóstibus, qui habitábant per gyrum ; nec potuérunt resístere adversáriis suis : sed quòcumque pérgere voluissent, manus Dómini super eos erat, sicut locútus est, & jurávit eis : & vehementer afflicti sunt. Suscitavitque Dóminus Júdices, qui liberárent eos de vastántium mánibus : sed nec eos audíre voluérunt, fornicantes cum diis aliénis, & adorantes eos. Citò deseruérunt viam, per quam ingressi fuerant patres eórum, & audientes mandáta Dómini, ómnia fecére contrária.

LECTIO II.

CUmque Dóminus Júdices suscitáret, in diébus eórum flectebátur misericórdiâ, & audiébat afflictórum gémitus, & liberábat eos de cæde vastántium. Postquam autẽ mórtuus esset Judex, revertebantur, & multò faciébant pejóra quàm fécerant patres eórum, sequentes deos aliénos, servientes eis, & adorantes illos. Non dimisérunt adinventiónes suas, & viam durissimam, per quam ambuláre consuevérunt. ¶ Iratusque est furor Dómini in Israel, & áit : Quia írritum fecit gens ista pactum meum, quod pepígeram cum pátribus eórum, & vocem meam audíre contempsit : & ègo non delébo gentes, quas dimísit Jósue, & mórtuus est : ut in ipsis expériar Israel, utrùm custódiant viam Dómini, & ámbulent in eâ, sicut custodiérunt patres eórum, an non. Dimísit ergò Dóminus omnes natiónes has, & citò subvértere nóluit, nec trádidit in manus Jósue.

℟. I. Contamináta est terra in opéribus eórum ; & fornicáti sunt in adinventiónibus suis. * Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum, & abominátus est hæreditátem suã. ℣. Commisti sunt inter Gentes, & didicérunt ópera eórum, & serviérunt sculptílibus eórum : * Et. Ps. 105.

℟. II. Trádidit eos Dó-

minùs in manus Géntium: & domináti sunt eórum qui odérunt eos. Et tribulavérunt eos inimíci eórum: * Sæpe liberávit eos. ℣. Vidit cùm tribularentur: & audívit oratiónem eórum, & memor fuit testamenti sui. * Sæpe. *Ps.* 105.

℟. III. Júdices sínguli quorum non est corruptum cor: qui non aversi sunt à Dómino, * Ut sit memória illórum in benedictióne. ℣. Per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum: * Ut sit. *Eccli.* 46. *Hebr.* 11.

℟. IV. In témpore tribulatiónis suæ clamavérunt ad te, Dómine; & tu de cœlo audísti, & * Secundùm miseratiónes tuas multas dedísti eis salvatóres, qui salvárent eos de manu hóstium suórum. ℣. Ne fortè superbírent hostes eórum, & dícerent: Manus nostra excelsa, & non Dóminus fecit hæc ómnia: * Secundùm. ℣. Glória. * Secundùm. *II. Esdr.* 9. *Deut.* 32.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Ignátii Epíscopi & Mártyris ad Smyrnæos. *Edit. Cotel. Ex Græc. An.* 107. *n.* 6. & 7.

NEmo erret. Et supercœléstia, & glória Angelórum, & príncipes visíbiles ac invisíbiles, si non credant in sánguinem Christi, étiam illis judícium est. Qui capit, cápiat. Locus néminem éfferat. Totum namque est fides & cáritas; quibus nihil prælátum est. Consideráte verò eos qui aliénam opiniónem tuentur contra grátiam Jesu Christi quæ ad nos venit, quómodo contrárii sint senténtiæ Dei. De caritáte non est cura ipsis, non de víduâ, non de órphano, non de oppresso, non de vincto vel solúto, non de esuriente vel sitiente. Ab Eucharístiâ & oratióne ábstinent; eo quòd non confiteantur Eucharístiam carnem esse Servatóris nostri Jesu Christi, quæ pro peccátis nostris passa est, quam Pater suâ benignitáte suscitávit. Qui ergo contradícunt huic dono Dei, altercantes moriuntur. Utile autem esset ipsis dilígere, ut & resúrgerent. Decet ítaque abstinére ab ejúsmodi; & nec in priváto, nec in commúni collóquio de illis verba fácere: adténdere autem Prophétis; præcípuè autem Evangélio, in quo pássio nobis ostensa, & resurréctio perfecta est. Divisiónes verò fúgite, ut princípium malórum.

℟. Dixit Jesus Judæis: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ.

* Litigábant ergo, dicentes: Quómodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? ℣. Oblíti sunt benefactórum ejus, & mirabílium ejus quæ ostendit eis: * Litigábant. ℣. Glória. * Litigábant. *Joan. 6. Ps. 77.*

*Ad* Benedíctus. *Ant.* Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit columnas septem, immolávit víctimas suas, míscuit vinum & propósuit mensam suam. *Prov. 9.*

Collecta. *Miss. Goth.*

Corpus tuum, Dómine Jesu Christe, pro nobis crucifixum édimus, & Sánguinem sanctum tuum pro nobis effúsum bíbimus. † Fiat nobis Corpus sanctum tuum ad salútem, * & Sanguis sanctus tuus in remissiónem peccatórum; Qui vivis.

Canon.

Ex Concílio Tridentíno.

*An.* 1551. *Sess.* 13. *Cap.* 2.

Salvátor noster discessúrus ex hoc mundo ad Patrem, Eucharístiæ Sacramentum instítuit, in quo divítias divíni sui erga hómines amóris velut effúdit, memóriam fáciens mirabílium suórum; & in illíus sumptióne cólere nos suî memóriam præcépit, suamque annuntiáre mortem, donec ipse ad judicandum mundum véniat.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Audíte, audientes me, & comédite bonum, & fériam vobíscum pactum sempitérnum. *Isai. 55.*

---

SABBATO

INTRA OCTAVAM

S. S. EUCHARISTIÆ.

Lectio I.

Incipit Liber Ruth. *Cap.* 1.

In diébus uníus Júdicis, quando Júdices præerant, facta est fames in terrâ. Abiítque homo de Béthlehem Juda, ut peregrinarétur in regióne Moabítide, cum uxóre suâ ac duóbus líberis. Ipse vocabátur Elímelech, & uxor ejus Nóemi: & duo filii, alter Máhalon, & alter Chelíon, Ephratæi de Béthlehem Juda. Ingressíque regiónem Moabítidem, morabantur ibi. Et mórtuus est Elímelech marítus Nóemi: remansítque ipsa cum filiis. Qui accepérunt uxóres Moabítidas, quarũ una vocabátur Orpha, áltera verò Ruth. ¶ Mansenruntque ibi decem annis. Et ambo mórtui sunt, Máhalon vidélicet & Chelíon: remansítque múlier orbáta duóbus líberis ac maríto. Et surrexit ut in pátriam pérgeret, cum utrâque nuru suâ, de regióne Moabítide: audíerat enim, quòd respexísset Dóminus pópu-

tim suum, & dedisset eis escas.

Lectio II. Cap. 1, 2 & 4.

RUth adhæsit sócrui suæ. Cui dixit Nóemi: En reversa est cognáta tua ad pópulum suum, & ad deos suos, vade cum eâ. Quæ respondit: Ne adverséris mihi ut relinquam te & ábeam: quòcumque enim perréxeris, pergam: & ubi moráta fúeris, & ego páriter morábor. Pópulus tuus pópulus meus, & Deus tuus Deus meus. Venit ergo Nóemi cum Ruth Moabítide nuru suâ, de terrâ peregrinatiónis suæ, ac reversa est in Béthlehem, quando primùm hórdea metebantur. ¶ Erat autem viro Elímelech consanguíneus, homo potens, & magnárum opum, nómine Booz. Tulit ítaque Booz Ruth, & accépit uxórem: & dedit illi Dóminus ut concíperet, & páreret fílium. Susceptumque Nóemi púerum pósuit in sinu suo, & nutrícis ac gérulæ fungebátur officio. Vicínæ autem mulíeres congratulántes ei, & dicentes: Natus est fílius Nóemi: vocavérunt nomen ejus Obed: hic est pater Isai, patris David.

℟. I. Infírma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia: * Et ignobília mundi, & contemptibília elégit, ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus. ℣. Non est apud illum glória personæ; * Et. *I. Cor.* 1. *Eccli.* 35.

℟. II. Manus Dei nostri est super omnes qui quærunt eum in bonitáte; * Et impérium ejus, & fortitúdo ejus, & furor super omnes qui derelinquunt eum. ℣. Si quis Dei cultor est, & voluntátem ejus facit, hunc exaudit; * Et impérium. *I. Esdr.* 8. *Joan.* 9.

℟. III. Emitte agnum, Dómine, dominatórem terræ, * De petrâ deserti ad montem fíliæ Sion. ℣. Salutáre tuum exspectábo, Dómine. * De. *Is.* 16. *Gen.* 49.

℟. IV. Dóminus páuperem facit & ditat; humíliat & súblevat. * Súscitat de púlvere egénum, & de stércore élevat páuperẽ. ℣. Excelsus Dóminus & humília réspicit, & alta à longe cognoscit. * Súscitat. ℣. Glória. * Súscitat. *I. Reg.* 2. *Ps.* 137.

Lectio III.

Ex Libro quarto sancti Irenæi Episcopi & Mártyris, adversus Hæreses. *Edit. Bened. II. Sec. fin. Cap.* 17 & 18.

CHristus eum qui ex natúrâ panis est accépit, & grátias egit, dicens: Hoc est corpus meum. Et cálicem simíliter, qui est ex eâ creatúrâ, quæ est

secundùm nos, suum sánguinem confessus est, & novi testamenti novam dócuit oblatiónem, quam Ecclésia ab Apóstolis accípiens, in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat. Judæi autem non ófferunt: manus enim eórum sánguine plenæ sunt: non enim recepérunt Verbum, quod offertur Deo. Sed neque omnes hæreticórum synagógæ. Quómodo autem constábit eis eum panem in quo grátiæ actæ sint, corpus esse Dómini sui, & cálicem sánguinis ejus, si non ipsum Fabricatóris mundi Filium dicant, id est, Verbum ejus? Quómodo autem rursùs dicunt carnem in corruptiónem devenire, & non percípere vitam quæ Córpore Dómini & Sánguine álitur? Ergo aut senténtiam mutent, aut abstíneant offerendo quæ prædicta sunt. Nostra autem cónsonans est senténtia Eucharístiæ, & Eucharístia rursus confirmat senténtiã nostram. Quemádmodum enim qui est à terrâ panis percípiens invocatiónem Dei, jam non commúnis panis est, sed Eucharístia ex duábus rebus constans, terrénâ & cœlesti; sic & córpora nostra percipiéntia Eucharístiam, jam non sunt corruptibília, spem resurrectiónis habéntia.

℟. Cœnántibus eis, accépit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discípulis suis, & ait: * Accípite & comédite; Hoc est corpus meum. ℣. Dixérunt viri tabernáculi mei: Quis det de cárnibus ejus ut saturémur? * Accípite. ℣. Glória. * Accípite. *Matth.* 26. *Job.* 31.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Omnis qui habúerit máculam, non accédet hóstias offerre Dómino, nec panes Deo suo. *Levit.* 21.

COLLECTA.

*Vet. Miss. Rom. Illyr.*

PRæsta, Dómine Jesu Christe, Filii Dei vivi, † ut qui Corpus & Sánguinem próprium, pro nobis indignis datum, édimus & bíbimus, * fiat nobis ad salútem, & ad redemptiónis remédium sempiternũ; Qui vivis.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 13. *Cap.* 2.

SAlvátor noster sumi vóluit Eucharístiæ sacraméntum tamquàm spirituálem animárum cibum, quo alantur & confortentur viventes vitâ illíus qui dixit: Qui mandúcat me, & ipse vivet propter me; & tamquàm antídotum, quo liberémur à culpis quotidiánis, & à peccátis mortálibus præservémur. Pignus prætérea id esse vó-

luit futúræ nostræ glóriæ & perpétuæ felicitátis, adeóque symbolum uníus illíus córporis, cujus ipse caput exsístit, cuíque nos tamquàm membra arctíssimâ fidei, spei, & caritátis connexióne adstrictos esse vóluit, ut idípsum omnes dicerémus, nec essent in nobis schísmata.

AD VESPERAS.

*Antiphona de II. Vesperis Festi, pag.* 198.

LECTIO. *I. Petr.* 2.

SI gustastis quóniam dulcis est Dóminus; † ad quem accedentes lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, à Deo autem electum, & honorificátum: * Et ipsi tamquàm lápides vivi superædificámini, domus spirituális, sacerdótium sanctum, offerre spirituáles hóstias, acceptábiles Deo per Jesum Christum.

℟. *br.* & *Hymnus*, Pange lingua. *ut ad I. Vesp. Festi, pag.* 187.

℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ Dómine, ℟. Quam abscondisti timéntibus te! *Ps.* 30.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Dilectus à Dómino Deo suo Sámuel Prophéta Dómini renovávit impérium, & unxit Príncipes in gente suâ. *Eccli.* 46.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 211.

---

DOMINICA
INTRA OCTAVAM
S. S. EUCHARISTIÆ.
SECUNDA
POST PENTECOSTEN.

---

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Panem vivum qui de cælo descendit, Jesum Christum; * Veníte, adorémus. *Joan.* 6.

*Hymnus, ut in Festo, pag.* 188.

*Antiphonæ, & ℣. I. & II. Noct. ut in Psalterio.*

*IN I. NOCTURNO.*

LECTIO I.

Incipit Liber primus Regum. *Cap.* 1.

FUit vir unus de Ramáthaimsophim, de monte Ephraim, & nomen ejus Elcána Ephratæus; & hábuit duas uxóres, nomen uni Anna, & nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filii: Annæ autem non erant líberi. Et ascendébat vir ille de civitáte suâ statútis diébus, ut adoráret & sacrificáret Dómino exercítuum in Silo. Erant autem ibi duo filii Heli, Ophni & Phínees, sacerdótes Dómini.

℟. Sacrifícium justi acceptum est, * Et memóriam ejus non oblivíscétur

Dóminus. ℣. Oblátio justi impinguat altáre, & odor suavitátis est in conspectu Altíssimi, * Et. *Eccli.* 35.

LECTIO II.

VEnit ergo dies, & immolávit Elcána, deditque Phenennæ uxóri suæ, & cunctis fíliis ejus, & filiábus partes: Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligébat. Dóminus autem conclúserat vulvam ejus. Affligébat quoque eam æmula ejus, & vehementer angébat, in tantum, ut exprobráret quòd Dóminus conclusisset vulvam ejus: sicque faciébat per síngulos annos, cùm redeunte témpore ascénderent ad templum Dómini: & sic provocábat eam. Porrò illa flebat, & non capiébat cibum.

℟. Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt: * De necessitátibus meis érue me, Dómine; vide humilitátem meam, & labórem meum. ℣. Subest tibi, cùm volúeris, posse. * De. *Ps.* 24. *Sap.* 12.

LECTIO III.

DIxit ergo ei Elcána vir suus: Anna, cur fles? & quare non cómedis? & quam ob rem affligitur cor tuum? Numquid non ego mélior tibi sum, quam decem filii? Surrexit autem Anna postquam coméderat, & bíberat in Silo. Et Heli sacerdóte sedente super sellam ante postes templi Dómini, cùm esset Anna amáro ánimo, orávit ad Dóminum, flens lárgiter, & votum vovit, dicens: Dómine exercítuum, si respíciens víderis afflictiónem fámulæ tuæ, & recordátus meî fúeris, nec oblítus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virílem: dabo eum Dómino ómnibus diébus vitæ ejus, & novácula non ascendet super caput ejus.

℟. Prope est Dóminus invocántibus eum; ómnibus invocántibus eum in veritáte: * Voluntátem timéntium se fáciet, & deprecatiónem eórum exáudiet. ℣. Habéte fidem Dei. Omnia quæcúmque orantes pétitis, crédite quia accipiétis, & evénient vobis. * Voluntátem. *Ps.* 144. *Marc.* 11.

LECTIO IV.

FActum est autem, cùm illa multiplicáret preces coram Dómino, ut Heli observáret os ejus. Porrò Anna loquebátur in corde suo, tantúmque lábia illíus movebantur, & vox pénitus non audiebátur. Æstimávit ergo eam Heli temulentam, dixitque ei: Usquequo ébria eris? Dígere paulisper vinum, quo mades. Respondens Anna, Nequáquam, inquit, dómine mi, nam múlier infélix nimis ego sum, vi-

numque & omne quod inebriáre potest, non bibi, sed effúdi ánimam meam in conspectu Dómini. Ne réputes ancillam tuam quasi unam de filiábus Bélial: quia ex multitúdine dolóris & mœróris mei locúta sum usque in præsens. Tunc Heli ait ei: Vade in pace: & Deus Israel det tibi petitiónem tuam, quam rogasti eum. Et factum est post círculum diérum, concépit Anna, & péperit filium, vocavítque nomen ejus Sámuel: eo quòd à Dómino postulasset eum.

℟. Stérilis péperit plúrimos; * Et † Quæ multos habébat filios, infirmáta est. ℣. Habitáre facit Dóminus stérilem in domo, matrem filiórum lætantem; * Et. ℣. Glória. † Quæ. *I. Reg.* 2. *Ps.* 112.

## IN II. NOCTURNO.

### Lectio V.

Ex Homíliá octogésimâ secundâ sancti Joannis Chrysóstomi in Matthæum. *Edit. Bened.*

Quóniam Christus dixit: Hoc est corpus meum, obtemperémus; credámus, & spirituálibus óculis ipsum respiciámus. Nihil enim sensíbile nobis Christus dedit; sed rebus étiam sensibílibus ómnia sunt spirituália. Sic enim & in baptismo per rem sensíbilem donum aquæ concéditur, quod efficitur spirituále est, generátio & regenerátio, sive renovátio. Nam si incorpóreus esses, nuda tibi illa & incorpórea dona tribuisset, sed quia córpori conjuncta est ánima, in sensibílibus spirituália tibi largitur. Quot sunt qui modò dicunt, vellem ejus formam, typum, vestimenta, calceamenta vidére? Ecce illum vides, ipsum tangis, ipsum cómedis. Et tu quidem vestimenta vidére cupis: ipse verò seipsum tibi dat, non videndum modò, sed tangendum, comedendum, intùs accipiendum. Nemo ítaque náuseans accédat, nemo remissus, omnes ardentes, omnes ferventes & excitáti.

℟. Appáruit in solitúdine minútum, in similitúdinem pruínæ super terram. Quòd cum vidissent filii Israel, dixit eis Móyses: * Iste est panis quem Dóminus dedit vobis ad vescendum. ℣. Non Móyses dedit vobis panem de cœlo; sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. * Iste est. *Exod.* 16. *Joan.* 6.

### Lectio VI. *n.* 7.

Neque enim satis hábuit hóminem fieri, álapis cædi, immolári, sed seipsum commiscet nobiscum, non fide tantùm, sed reipsâ nos corpus suum

constítuit. Quantâ ergo puritáte oportéret eum esse qui hoc frúitur sacrificio! quantò rádiis soláribus puriórem esse oportéret manum illam, quæ hanc carnem secat, os quod spirituáli replétur igne, linguam tremendo sánguine tinctam? Cógita quantum adeptus sis honórem? quâ fruáris mensâ? Quod Angeli tremunt videntes, nec sine metu respícere audent, ob fulgórem inde manantem, eo nos álimur, huic commiscémur, factíque sumus Christi unum corpus & una caro. Quis loquétur poténtias Dómini? audítas fáciet omnes laudes ejus? Quis pastor própriis sibi membris oves nutrit? Ecquid pastórem dico? Matres sæpe sunt, quæ post partum infantes áliis nutrícibus dant: ipse verò id non passus est, sed nos próprio sánguine nutrit, & per ómnia sibi cópulat.

℟. Qui mandúcat meam carnem, & bibit meum sánguinem, * In me manet, & ego in illo. ℣. Non est ália nátio tam grandis quæ hábeat Deos, appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecratiónibus nostris. * In me. *Joan. 6. Deut. 4.*

LECTIO VII.

NE ítaque segnes simus tantâ dignáti caritáte & tanto honóre. Non vidétis quanto ímpetu infantes lábia sua mamillæ admóveant. Cum eódem stúdio nos ad hanc accedámus mensam, & ad mamillam spirituális póculi; imò verò majóre cum stúdio, ut lactentes púeri grátiam Spíritûs adtrahámus: unusque nobis sit dolor, si hoc spirituáli aliménto privémur. Non sunt humánæ virtútis hæc ópera. Is, qui tunc in illâ cœnâ hæc confécit, & nunc étiam operátur. Nos ministrórum habémus órdinem: qui verò illa sanctíficat & transmútat, ipse est. Nullus ergo Judas adsit, nullus avárus: si quis discípulus non est, recédat: non récipit hæc mensa eos qui tales non sunt.

℟. Unus panis, & unum corpus multi sumus, * Omnes qui de uno pane participámus. ℣. Deus inhabitáre facit uníus moris in domo; * Omnes. *I. Cor. 10. Ps. 67.*

LECTIO VIII.

Ex Homíliâ décimâ séptimâ ejusdem in Epístolam ad Hebræos. *n.* 4.

MUlti hujus sacrificii semel toto anno sunt partícipes: álii autem bis; álii verò sæpe. Quid ergo? quinam erunt nobis magìs accepti, an qui semel, an qui sæpe, an qui raró? Nec hi, nec illi: sed ii qui

cum mundâ consciéntiâ, qui cum mundo corde, qui cum vitâ, quæ nulli est affinis reprehensióni. Qui sunt hujúsmodi, semper accédant; qui non sunt hujúsmodi, nec semel quidem. Quare? quóniam sibi sumunt judícium, & condemnatiónem, & supplícium. Nec miréris. Sicut enim nutrimentum quod natúrâ vim habet nutriendi, si in eum incíderit qui malis cibis & humóribus est plenus, ómnia perdit & corrumpit, & morbi fit occásio: ita étiam hæc veneranda mystéria.

℞. Immolábit agnum multitúdo filiórum Israel, ad vésperam Paschæ; & edent carnes & ázymos panes. * Quicumque coméderit fermentátum, peribit. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus; ítaque epulémur non in fermento malítiæ & nequítiæ, sed in ázymis sinceritátis & veritátis. * Quicumque. ℣. Glória. * Quicumque. *Exod.* 12. *I. Cor.* 5.

## *IN III. NOCTURNO.*

*Cantica, Ant. & ℣. ut in Festo, pag.* 193.

### Lectio IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses.

*Cap.* 1.

Mihi vívere Christus est, & mori lucrum. Quòd si vívere in carne, hic mihi fructus óperis est, & quid éligam ignóro. Coarctor autem è duóbus: desidérium habens dissolvi, & esse cum Christo, multò magis mélius: permanére autem in carne, necessárium propter vos. Et hoc confidens scio quia manébo, & permanébo ómnibus vobis ad profectum vestrum, & gáudium fídei: ut gratulátio vestra abundet in Christo Jesu in me, per meum adventum íterum ad vos.

℞. Ego per ómnia ómnibus pláceo, * Non quærens quod mihi útile est, sed quod multis, ut salvi fiant. ℣. Zelátus sum bonum, & non confundar. * Non quærens. *I. Cor.* 10. *Eccli.* 51.

### Lectio X.

Tantùm dignè Evangélio Christi conversámini: ut sive cùm vénero, & vídero vos, sive absens áudiam de vobis, quia statis in uno spíritu unánimes, collaborantes fídei Evangélii: & in nullo terreámini ab adversáriis: quæ illis est causa perditiónis, vobis autem salútis, & hoc à Deo: quia vobis donátum est pro Christo, non solùm ut in eum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini: idem certámen habentes, quale & vidístis in me, & nunc audístis de me.

℟. Timórem eórum ne timuéritis & non conturbémini. * Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris. ℣. Ne terreámini ab his qui occídunt corpus, & post hæc non habent ámpliùs quid fáciant; * Dóminum. *I. Petr.* 3. *Luc.* 12.

LECTIO XI. *Cap.* 2.

SI qua ergo consolátio in Christo, si quod solátium caritátis, si qua societas spíritûs, si qua víscera miseratiónis: impléte gáudium meum, ut idem sapiátis eamdem caritátem habentes, unánimes, idipsum sentientes, nihil per contentiónem, neque per inánem glóriam: sed in humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrantes, non quæ sua sunt sínguli considerantes, sed ea quæ aliórum.

℟. Quæ pacis sunt sectémur; & * Quæ ædificatiónis sunt, in ínvicem custodiámus. ℣. Mandávit Deus homínibus, unicuíque de próximo suo. * Quæ. *Rom.* 14. *Eccli.* 17.

LECTIO XII.

HOc enim sentíte in vobis, quod & in Christo Jesu: qui cùm in formâ Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo: sed semetìpsum exinanívit formam *servi accípiens*, in similitúdinem hóminum factus, & hábitu inventus ut homo. Humiliávit semetipsum factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltávit illum, & donávit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nómine Jesu omne genu flectátur cœléstium, terréstrium, & infernórum; & omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glóriâ est Dei Patris.

℟. Christus passus est pro nobis, * Vobis relinquens exemplum, † Ut sequámini vestígia ejus. ℣. Verè languóres nostros ipse tulit, & dolóres nostros ipse portávit, * Vobis. ℣. Glória. † Ut. *I. Petr.* 2. *Isai.* 53.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Cap.* 14.

DIxit Jesus cuídam de simul discumbéntibus cum eo in domo Príncipis Pharisæórum, parábolam hanc.: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocávit multos. Et misit servum suum horâ cœnæ dícere invitátis ut veníerent, quia jam paráta sunt ómnia. Et cœpérunt simul omnes excusáre. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse hábeo exíre, &

vidére illam : rogo te, habe me excusátum. Et alter dixit : Juga boum emi quinque, & eo probáre illa : rogo te, habe me excusátum. Et álius dixit : Uxórem duxi, & ídeo non possum veníre. Et reversus servus nuntiávit hæc dómino suo. Tunc irátus Pater-famílias, dixit servo suo : Exi citò in platéas, & vicos civitátis ; & páuperes, ac débiles, & cæcos, & claudos íntroduc huc. Et ait servus : Dómine, factum est, ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dóminus servo : Exi in vias, & sepes ; & compelle intráre, ut impleátur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virórum illórum, qui vocáti sunt, gustábit cœnam meam.

AD LAUDES.

*Antiphona ut in die, pag.* 196.

LECTIO. *II. Esdr.* 9.

PAnem de cœlo dedisti eis in fame eórum, & aquam de petrâ eduxisti eis sitiéntibus, & dixisti eis ut ingrederentur & possidérent terram, super quam levasti manum tuam.

℟. *br. Hymnus &* ℣. *ut in Festo, pag.* 197.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Dómine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dóminus servo : Exi in vias, & sepes ; & compelle intráre, ut impleátur domus mea. *Luc.* 14.

COLLECTA. *Brev. Paris.*

DEus, qui Ecclésiam tuã pretióso Córpore & Sánguine tuo mirabiliter réficis : † infunde in eam Spíritum vivificantem, * ut cœlestis participatióne mystérii, de te vivens in terris, tecum vívere mereátur in cœlis : Qui vivis . . . in unitáte ejusdem Spíritûs.

AD HORAS, *Antiphona, Lectiones &* ℣. *ut in Festo, pag.* 196 & 198.

CANON.

Ex Epístolâ Synódicâ sancti Cyrilli Alexandríni Epíscopi ad Nestórium. *An.* 431. *apud Concil. Ephes. Calched. I. & Constantinop. II.*

INcruentum in Ecclésiâ sacrifícium celebrámus, atque ad mysticas benedictiónes accédimus, & sanctificámur ; útpote partícipes sacræ carnis & pretiósi sánguinis Christi ómnium nostrûm Salvatóris effecti. Neque enim illam ut carnem commúnem suscípimus : absit hoc : neque rursum tamquàm viri cujúspiam sanctificáti, aut dignitátis unitáte Verbo consociáti, aut divínam inhabitatiónem sortíti : sed tam-

quàm verè vivíficam, ipsiusque Verbi própriam. Nam cùm vita sit ut Deus secundùm natúram, posteáquam unum quiddam cum ipsâ suâ carne effectum est, vivificandi virtútem illi cóntulit.

AD VESPERAS.

*Psalmi de Dominicâ, Ant. de II. Vesperis Festi, pag.* 198.

LECTIO. *Apoc.* 22.

BEáti qui lavant stolas suas in sánguine Agni; † ut sit potestas eórum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitátem. * Foris canes, & venéfici, & impudíci, & homicídæ, & idólis servientes, & omnis qui amat & facit mendácium.

℟. *br.* Justi epulentur, & exsultent * In conspectu Dei. ℟. Justi. ℣. Et delectentur in lætítiâ. * In conspectu. ℣. Glória. ℟. Justi. *Ps.* 67.

*Hymnus* Pange, lingua. *ut ad I. Vesperas Festi, pag.* 187.

℣. Dívites eguérunt & esuriérunt, ℟. Inquirentes autem Dóminum non minuentur omni bono. *Ps.* 33.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Dico vobis quòd nemo virórum illórum, qui vocáti sunt, gustábit cœnam meã. *Luc.* 14.

FERIA SECUNDA

*INTRA OCTAVAM*

S. S. EUCHARISTIÆ.

LECTIO I.

Ex Libro primo Regum, *Cap.* 2.

FIlii Heli, filii Bélial, nescientes Dóminum, neque officium sacerdótum ad pópulum. Heli autem erat senex valde, & audívit ómnia quæ faciébant filii sui universi Israéli. Et dixit eis: Quare fácitis res hujuscémodi, quas ego áudio, res péssimas, ab omni pópulo? Nolíte, filii mei: non enim est bona fama, quam ego áudio, ut tránsgredi faciátis pópulum Dómini. Et non audiérunt vocem patris sui: quia vóluit Dóminus occídere eos. Puer autem Sámuel proficiébat, atque crescébat, & placébat tam Dómino quàm homínibus. ¶ Venit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Hæc dicit Dóminus: Numquid non apertè revelátus sum dómui patris tui, cùm essent in Ægypto in domo Pharaónis? & elégi eum ex ómnibus tríbubus Israel mihi in sacerdótem. Quare calce abjecistis víctimam meam, & múnera mea quæ præcépi ut offerrentur in templo: & magìs honorasti fílios tuos

quàm me, ut comederétis primítias omnis sacrifícii Israel pópuli mei ? Ecce dies véniunt : & præcídam bráchium tuum ; & vidébis æmulum tuum in templo, in univérsis prósperis Israel : Hoc autem erit tibi signum, quod ventúrum est duóbus filiis tuis Ophni & Phínees : In die uno morientur ambo. Et suscitábo mihi sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum, & ánimam meam fáciet : & ædificábo ei domum fidélem, & ambulábit coram Christo meo cunctis diébus.

LECTIO II. *Cap.* 3.

PUer autem Sámuel ministrábat Dómino coram Heli, & sermo Dómini erat pretiósus in diébus illis, non erat vísio manifésta. Sámuel dormiébat in templo Dómini, ubi erat arca Dei. Et vocávit Dóminus Sámuel. Qui respondens, ait : Ecce ego. Et cucurrit ad Heli, & dixit : Ecce ego : vocasti enim me. Qui dixit : Non vocávi : revértere, & dormi. Et adjécit Dóminus rursum vocáre Samuélem. Consurgensque Sámuel, ábiit ad Heli, & dixit : Ecce ego : quia vocasti me. Qui respondit : Non vocávi te, fili mi ; revértere & dormi. Porrò Sámuel necdum sciébat Dóminum, neque revelátus fúerat ei sermo Dómini. ¶ Et adjécit Dóminus, & vocávit adhuc Samuélem tértiò. Qui consurgens ábiit ad Heli, & ait : Ecce ego : quia vocasti me. Intellexit ergo Heli quia Dóminus vocáret púerum : & ait ad Samuélem : Vade, & dormi ; & si deinceps vocáverit te : dices : Lóquere, Dómine, quia audit servus tuus. Et dixit Dóminus ad Samuélem : Ecce ego fácio verbum in Israel : quòd quicumque audíerit, tínnient ambæ aures ejus. In die illâ suscitábo adversùm Heli ómnia quæ locútus sum super domum ejus : incípiam & complébo. Prædixi enim ei quòd judicatúrus essem domum ejus in ætérnum, propter iniquitátem, eo quòd nóverat indignè ágere filios suos, & non corripúerit eos.

℟. I. Erat peccátum puerórum Heli grande nimis coram Dómino : * Quia retrahébant hómines à sacrifício Dómini. ℣. Trádidit illos Deus in desidéria cordis eórum ; * Quia. *I. Reg.* 2. *Rom.* 1.

℟. II. Non audiérunt filii Heli vocem patris sui, * Quia vóluit Dóminus occídere eos. ℣. Obscurátum est insípiens cor eórum ; * Quia. *I. Reg.* 2. *Rom.* 1.

℟. III. Dicit Dóminus: * Quicumque glorificáverit me, glorificábo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignóbiles. ℣. Ego sum scrutans renes & corda: & dabo unicuíque secúndùm ópera sua. * Quicumque. *I. Reg. 2. Apoc. 2.*

℟. IV. Suscitábo mihi sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum & ánimam meam fáciet; * Et † Ambulábit coram Christo meo cunctis diébus. ℣. Ædificábo ei domum fidélem, * Et. ℣. Glória. † Ambulábit. *I. Reg. 2.*

LECTIO III.

Ex Commentário sancti Cyrilli Alexandríni Epíscopi in Joannem. *Lib. 10. Cap. 2.*

CUm Paulus dicat: Omnes unum corpus sumus in Christo, quóniam unus panis multi sumus: omnes enim de uno pane participámus: dicat nobis áliquis causam, & vim eulógiæ mysticæ óbiter dóceat. Nam cur in nobis infértur? Nonne ut Christum inhabitáre fáciat in nobis étiam corporáliter, participatióne & communióne sanctæ suæ carnis? Præclárè quidem: scribit enim Paulus Gentes factas esse concorporáles, & compartícipes, & cohærédes Christi. Concorporáles autem quonam modo factæ sunt? Nempe eulógiæ mysticæ participatióne honorátæ, unum cum eo factæ sunt corpus. Sed Servátor ipse: Qui mandúcat meam carnem, inquit, & bibit meum sánguinem, in me manet, & ego in illo. Hìc enim animadvértere est óperæ prétium, Christum non dícere se dumtaxat in nobis futúrum secundùm relatiónem quamdam affectuálem, sed & per participatiónem naturálem. Ut enim si quis ceram ceræ indútam igne simul liquáverit, unum quid ex ambóbus éfficit, ita per córporis Christi, & pretiósi sánguinis participatiónem, ipse quidem in nobis, nos autem rursus in eo simul unímur. Nec enim áliter vivificári potest quod natúrâ suâ est corruptíbile, quàm si corporáliter unítum sit córpori ejus qui secúndùm natúram suam est vita, hoc est, Unigéniti.

℟. Calix benedictiónis cui benedícimus, nonne communicátio sánguinis Christi est? & panis quem frángimus, nonne participátio córporis Dómini est? Quóniam unus panis, unum corpus multi sumus, * Omnes qui de uno pane participámus. ℣. Membra sumus córporis ejus, de carne ejus, & de óssibus

ejus. * Omnes. ℣. Glória. * Omnes. I. Cor. 10. Eph. 5.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Angelórum escâ nutrivisti pópulum tuum, & parátum panem de cœlo præstitisti illis. *Sap.* 16.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

CLeméntiam tuam, Dómine, supplíciter exorámus: † ut Fílius tuus Dóminus nôster Jesus Christus, qui se usque ad finem sǽculi suis promísit fidélibus adfutúrum, * & præséntiæ corporális mystériis non déserat quos redémit; & majestátis suæ benefíciis non relinquat; Qui tecum.

C A N O N.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 13. *Cap.* 4.

QUóniam Christus Redemptor noster corpus suum id quod sub spécie panis offerébat verè esse dixit, ídeò persuásum semper in Ecclésiâ Dei fuit, idque nunc dénuò sancta hæc Synodus declárat, per consecratiónem panis & vini, conversiónem fieri totíus substántiæ panis in substántiam córporis Christi Dómini nostri, & totíus substántiæ vini in substántiam sánguinis ejus; quæ convérsio convenienter & própriè à sanctâ Cathólicâ Ecclésiâ transsubstantiátio est appelláta.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Vincenti dabo manna abscónditum, & nomen novum. *Apoc.* 2.

---

FERIA TERTIA

*INTRA OCTAVAM*

S. S. EUCHARISTIÆ.

LECTIO I.

Ex Libro primo Regum. *Cap.* 4.

ET factum est in diébus illis, convenérunt Philísthiim in pugnam: & egressus est Israel óbviàm Philísthiim in prælium. Iníto autem certámine, terga vertit Israel Philisthæis, & cæsa sunt in illo certámine passim per agros, quasi quátuor míllia virórum. Dixeruntque majóres natu de Israel: Quare percussit nos Dóminus hódie coram Philísthiim? Afferámus ad nos de Silo arcam fœderis Dómini, & véniat in médium nostrî, ut salvet nos de manu inimicórum nostrórum. ¶ Misit ergo pópulus in Silo, & tulérunt inde arcam fœderis Dómini exercítuum sedentis super Chérubim: erantque duo filii Heli cum arcâ fœderis Dei, Ophni & Phínees. Cùmque venisset arca fœderis Dómini in castra, vociferátus est om-

nis Israel clamóre grandi, & persónuit terra. Et audiérunt Philísthiim vocem clamóris, dixeruntque: Quænam est hæc vox clamóris magni in castris Hebræórum? Et cognovérunt quòd arca Dómini venisset in castra.

*Responsoria ut heri.*

LECTIO II.

TImueruntque Philísthiim, dicentes: Venit Deus in castra. Et ingemuérunt, dicentes: Væ nobis: quis nos salvábit de manu deórum sublímium istórum? Hi sunt dii, qui percussérunt Ægyptum omni plagâ, in desérto. Confortámini, & estóte viri, Philísthiim: ne serviátis Hebræis, sicut & illi serviérunt vobis: confortámini, & belláte. ¶ Pugnavérunt ergo Philísthiim, & cæsus est Israel, & arca Dei capta est; duo quoque filii Heli mórtui sunt, Ophni & Phínees. Currens autem vir de Bénjamin ex ácie, venit in Silo in die illâ, scissâ veste, & conspersus púlvere caput. Et dixit ad Heli: Ego sum qui veni de prælio, & ego qui de ácie fugi hódie. Cui ille ait: Quid actum est, fili mi? Respondens autem ille, qui nuntiábat: Fugit, inquit, Israel coram Philísthiim, & ruína magna facta est in pópulo: insuper & duo filii tui mórtui sunt, Ophni & Phínees: & arca Dei capta est. Cùmque ille nominasset arcam Dei, cécidit de sellâ retrorsum juxta óstium, & fractis cervícibus mórtuus est. Senex enim erat vir & grandævus: & ipse judicávit Israel quadraginta annis.

LECTIO III.

Ex Libro octávo sancti Hilárii Epíscopi de Trinitáte. *Edit. Bened. Cap.* 13 & 14.

SI verè Verbum caro factum est, & verè nos Verbum carnem cibo Domínico súmimus; quómodo non naturáliter manére in nobis existimandus est, qui & natúram carnis nostræ jam inseparábilem sibi homo natus assumpsit, & natúram carnis suæ ad natúram æternitátis sub sacramento nobis communicandæ carnis admíscuit? ita enim omnes unum sumus, quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis est. Non est humáno aut séculi sensu in Dei rebus loquendum. Quæ scripta sunt, legámus, & quæ legérimus, intelligámus: & tum perfectæ fidei fungémur officio. De naturáli enim in nobis Christi veritáte quæ dícimus, nisi ab eo didícimus, stultè atque ímpiè dícimus. Ipse enim

ait:

ait: Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus. Qui edit carnem meam, & bibit sánguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritáte carnis & sánguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim & ipsíus Dómini professióne, & fide nostrâ verè caro est, & verè sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Anne hæc véritas non est? Contingat planè his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum dénegant. Est ergo in nobis ipse per carnem, & sumus in eo: dum secum hoc, quod nos sumus, in Deo est.

℟. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. * Qui mandúcat meam carnem, & bibit meum sánguinem, & me manet, & ego in eo. ℣. Comédite, amíci, & inebriámini, caríssimi. * Qui. ℣. Glória. *. Qui *Joan. 6. Cant. 5.*

*Ad* Benedictus. *Ant.* Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participámus. *I. Cor.* 10.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

MAjestátem tuam, Dómine, súpplices deprecámur, † ut sicut nos córporis & sánguinis sacrosancti pascis alimento, * ita divínæ natúræ fácias esse consortes; Per eumdem.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

*Sess.* 13. *Can.* 4.

SI quis díxerit peractâ Consecratióne, in admirábili Eucharístiæ sacramento non esse corpus & sánguinem Dómini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu dum súmitur: non autem ante vel post, & in hóstiis seu partículis consecrátis, quæ post communiónem reservantur vel supersunt, non remanére verum corpus Dómini; anáthema sit.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Beátus qui manducábit panem in regno Dei. *Luc.* 14.

---

FERIA QUARTA

*INTRA OCTAVAM*

S. S. EUCHARISTIÆ.

LECTIO I.

Ex Libro primo Regum.

*Cap.* 5.

TUlérunt Philísthiim Arcam Dei, & intulérunt eam in templum Dagon, & statuérunt eam juxta Dagon. Cùmque surrexissent dilúculo Azótii álterâ die, ecce Dagon jacébat pronus in terrâ ante Ar-

cam Dómini: & tulérunt Dagon, & restituérunt eum in locum suum. Rursumque manè die álterâ consurgentes, invenérunt Dagon jacentem super fáciem suam in terrâ coram Arcâ Dómini; caput autem Dagon, & duæ palmæ mánuum ejus abscissæ erant super limen; porrò Dagon solus truncus remánserat in loco suo. ¶ Aggraváta est autem manus Dómini super Azótios, & demolítus est eos, & percussit in secretióri parte nátium Azótum, & fines ejus. Et ebulliérunt villæ & agri in médio regiónis illíus, & nati sunt mures, & facta est confúsio mortis magnæ in civitáte. Videntes autem viri Azótii hujuscémodi plagam, dixérunt: Non máneat Arca Dei Israel apud nos. Et circumduxérunt Arcam Dei Israel. Illis autem circumducéntibus eam, fiébat manus Dómini per síngulas civitátes interfectiónis magnæ nimis.

LECTIO II. *Cap. 6.*

TOllentes Philísthiim duas vaccas, quæ lactábant vítulos, junxérunt ad plaustrum, vitulosque cárum conclusérunt domi. Et posuérunt Arcam Dei super plaustrum, & capsellam, quæ habébat mures áureos & similitúdines anórum. Ibant autem in directum vaccæ, per viam quæ ducit Béthsames, & itínere uno gradiebantur, pergentes & mugientes: & non declinábant neque ad déxteram, neque ad sinistram: sed & sátrapæ Philísthiim sequebantur usque ad términos Béthsames. ¶ Porrò Bethsamítæ metébant tríticum in valle: & elevantes óculos suos, vidérunt Arcam, & gavísi sunt cùm vidissent. Et plaustrum venit in agrum Jósue Bethsamítæ, & stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus: & concidérunt ligna plaustri, vaccasque imposuérunt super ea holocaustum Dómino.

℞. I. Dóminus Deus verus est: ipse Deus vivens & rex sempiternus; * Dii, qui cœlos & terram non fecérunt, péreant de terrâ. ℣. Cui assimilastis me, & adæquastis, dicit Sanctus? * Dii. *Jerem.* 10. *Isai.* 40.

℞. II. Exacerbavérunt Deum excelsum; & répulit tabernáculum Silo, tabernáculum suum ubi habitávit in homínibus; * Et trádidit in captivitátem, virtútem eórum, & pulchritúdinem eórum in manus inimíci. ℣. Transláta est glória de Israel, quia capta est arca Dei, * Et trádidit. *Ps.* 77. *I. Reg.* 4.

℟. III. Immitte timórem tuum, Dómine, super gentes quæ non exquisiérunt te : * Ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnália tua. ℣. Confundantur confusióne qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflátili : Vos dii nostri : * Ut Eccli. 36. Isai. 42.

℟. IV. Non est sanctus, ut est Dóminus ; * Neque enim est álius extra te, & non est fortis sicut Deus noster. ℣. Quis non timébit te, Dómine, & magnificábit nomen tuum ? * Neque. ℣. Glória. * Neque. I. Reg. 2. Apoc. 15.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Ambrósii Epíscopi de Mystériis. Ed. Bened. Cap. 9.

FOrtè dicas : Aliud vídeo, quómodo tu mihi ádseris quòd Christi corpus accípiam ? Probémus non hoc esse quod natúra formávit, sed quod benedíctio consecrávit : majorémque vim esse benedictiónis quàm natúræ : quia benedictióne étiam natúra ipsa mutátur. Virgam tenébat Móyses, projécit eam, & facta est serpens. Rursus prehendit caudam serpentis, & in virgæ natúram revertit. Quòd si tantùm váluit humána benedíctio, ut natúram convérteret : quid dícimus de ipsâ consecratióne divínâ, ubi verba ipsa Dómini Salvatóris operantur ? Nam sacramentum istud quod ácci-pis, Christi sermóne confícitur. Quòd si tantùm váluit sermo Elíæ, ut ignem de cœlo depóneret : non valébit Christi sermo, ut spécies mutet elementórum ? Sermo Christi qui pótuit ex níhilo fácere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutáre, quod non erant ? Non enim minus est novas rebus dare quàm mutáre natúras. Sed quid argumentis útimur ? Suis utámur exemplis, Incarnationísque exemplo adstruámus mystérii veritátem. Numquid natúræ usus præcessit, cùm Jesus Dóminus ex Maríâ nascerétur ? Liquet quòd præter natúræ órdinem Virgo generávit. Et hoc quod confícimus corpus, ex Vírgine est : quid hic quæris natúræ órdinem in Christi córpore, cùm præter natúram sit ipse Dóminus Jesus partus ex Vírgine ? Vera útique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est : verè ergo carnis illíus sacramentum est. Ipse clamat Dóminus Jesus : Hoc est corpus meum. Ante benedictiónem verbórum cœléstium ália spécies nominátur, post consecratiónem corpus significátur.

Ipse dicit sánguinem suum. Ante consecratiónem áliud dícitur, post consecratiónem sanguis nuncupátur. Et tu dicis: Amen, hoc est, Verum est. Quod os lóquitur, mens interna fateátur.

℟. Cœnántibus eis, accépit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discípulis suis, & ait: * Accípite & comédite, Hoc est corpus meum. ℣. Si quis manducáverit ex hoc pane vivet in ætérnum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. * Accípite. ℣. Glória. * Accípite. *Matth.* 26. *Joan.* 6.

*Ad* Benedíctus. *Ant.* Pinguis panis ejus, & præbébit delícias régibus. *Genes.* 49.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

MUnus pópuli tui, Dómine, placátus intende, † quo non altáribus tuis ignis aliénus, nec irrationabílium cruor effúnditur animantûm, * sed sancti Spíritûs operante virtúte, sacrifícium jam nostrum Corpus & Sanguis ipsíus est Sacerdótis; Qui tecum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno, *Sess.* 13. *Cap.* 5.

NUllus dubitandi locus relínquitur, quin omnes Christi fidéles, pro more in Cathólicâ Ecclésiâ semper recepto, latríæ cultum, qui vero Deo debétur, sanctíssimo Eucharístiæ sacramento in veneratióne exhíbeant. Neque enim ídeò minus est adorandum, quod fúerit à Christo Dómino ut sumátur institútum: nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse crédimus, quem Pater ætérnus introdúcens in orbem terrárum, dicit: Et adórent eum omnes Angeli Dei; quem Magi procidentes adoravérunt; quẽ deníque in Galilæâ ab Apóstolis adorátum fuisse Scriptúra testátur.

---

FERIA QUINTA, OCTAVA S. S. EUCHARISTIÆ, ET FESTUM SACERDOTII DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

*Solemnitas III. Classis.*

---

AD I. VESPERAS.

*ANTIPHONÆ.*

I. NOn est mihi volúntas in vobis, dicit Dóminus exercítuum: & munus non suscípiam de manu vestrâ. *Malach.* 1.

II. Ecce vir Oriens nomen ejus: & subter eum oriétur, & ædificábit templum Dómino. *Zach.* 6.

III. Ipse portábit glóriam, & sedébit, & dominábitur super sólio suo; & erit sacerdos. *Zach.* 6.

IV. Ab Ortu solis usque ad Occásum, magnum est nomen meum in Géntibus; & in omni loco sacrificátur, & offertur nómini meo oblátio munda. *Malach.* 1.

LECTIO. *Hebr.* 7.

REprobátio fit præcedentis mandáti, propter infirmitátem ejus & inutilitátem: † nihil enim ad perfectũ addúxit lex; * introdúctio veró melióris spei, per quam proximámus ad Deum.

℟. *br.* Jurávit Dóminus, * Et non pœnitébit eum. ℟. Jurávit. ℣. Tu es sacerdos in ætérnum, secundùm órdinẽ Melchísedech. * Et non. ℣. Glória. ℟. Jurávit. *Ps.* 109.

HYMNUS. *S. V.*

NAte, qui Deo Parenti
Par Deus nunc ádsides;
Christe, suprémus Sacerdos,
Atque factus hóstia,
Ipse judex & patrónus;
Et Deus, nobis homo.

Te tuis offers sub aris
Incruento fúnere;
Nostra vel te gloriósum
Heu! cruentant crímina.
Júdicem te, te patrónum
In dies lacéssimus.

Sacra sicne tam nocentes
Ambiunt altária?
Quam tremiscunt intuendo
Purióres Spíritus,
Sustinébunt inquináti
Núminis præséntiam!

Tolle vela, rumpe nubem,
Ore nudo pródeas;
Temperáto tu benignus
Vis látere Númine:
Nî premas, nos fulguranti
Enecáres lúmine.

Nube densâ delitentem
Da fide te cérnere,
Sole puro puriórem
Ore puro pángere:
Da simul nos immolári
Immolátæ víctimæ.

Summa laus Deo Parenti,
Qui creávit ómnia;
Summa sit Nato, redémit
Qui suo nos sánguine;
Flámini par, cujus almo
Confovémur hálitu.
Amen.

℣. Si voluisses, sacrifícium dedissem útique: ℟. Holocaustis non delectáberis. *Ps.* 50.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Christus, cùm esset Fílius Dei, dídicit ex iis, quæ passus est, obediéntiam: & consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi, causa salútis ætérnæ, appellátus à Deo Póntifex juxta órdinem Melchísedech. *Hebr.* 5.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 230.

¶ *Doxologia sequens ad Horas dicitur.*

¶ Jesu sacerdótum caput;
O Pontifex & víctima;
Cum Patre & almo Spíritu,
Jugis tibi sit glória.
Amen.

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Pontíficem magnum Jésum Fílium Dei; * Veníte, adorémus. *Hebr.* 4.

HYMNUS.
*Ex Brev. Cluniac.*

MUndus effúsis redemptus
Júbilet jam gáudiis;
Intrat ecce Sancta Christus,
Póntifex & hóstia;
Ut suo quem sponte fudit,
Cuncta mundet sánguine.

Désinat Legis sacerdos,
Pro reis orans reus;
Víctimæ cessent inánes,
Túrtures, hirci, boves;
Non placátur Deus istis,
Non piantur crímina.

Ecce quem vetus figúris
Lex adumbrávit suis;
Labis expers en Sacerdos,
Quem Deus non réspuat;
Quæ Deum placáre possit,
En Deo par hóstia.

Spíritu sancto perunctus,
Christus unde dícitur,
Quam sibi finxit parentis
Vírginis carnem sinu,
Hanc, crucis labens sub arâ,
Immolat Deo Deus.

Nésciens illi ministrat
Ipse tortórum furor;
Sánguinem fundunt, lavátur
Omne quo mundi scelus,
Hóstiam flagrans adúrit
Offerentis cáritas.

Summa laus Deo Parenti,
Qui creávit ómnia;
Summa sit Nato, redémit
Qui suo nos sánguine;
Flámini par, cujus almo
Confovémur hálitu.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Dicendo novum Testamentum, veterávit prius. Quod autem antiquátur & senescit, propè intéritum est. *Hebr.* 8.

II. Hábuit quidem & prius, justificatiónes cultúræ, & Sanctuárium seculáre. *Hebr.* 9.

III. Tabernáculum factū est primum, in quo erant candelábra, & mensa, & propósitio panum, quæ dícitur Sancta. *Hebr.* 9.

IV. Post velamentum secundum, tabernáculum, quod dícitur Sancta sanctórum, áureum habens thuríbulum, & arcam testamenti. *Hebr.* 9.

V. In prióri tabernáculo semper introíbant Sacerdótes sacrificiórum officia consummantes. *Hebr.* 9.

VI. In secundo, semel in anno solus Póntifex, non sine sánguine quem offert pro suâ & pópuli ignorántiâ; hoc significante Spíritu sancto, nondùm propalátam

esse sanctórum viam. *Hebr.* 9.

℣. Holocaustum pro peccáto non postulasti: ℟. Tunc dixi: Ecce vénio. *Ps.* 39.

LECTIO I.

Ex Libro Génesis. *Cap.* 14.

EGressus est Rex Sodomórum in occursum Abram, postquam reversus est à cæde Chodorláhomor, & regum qui cum eo erant in valle Save, quæ est vallis regis. Ac verò Melchísedech rex Salem, próferens panem & vinum, erat enim sacerdos Dei Altíssimi, benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creávit cœlum & terram, & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in mánibus tuis sunt. Et dedit ei décimas ex ómnibus.

℟. Melchísedech qui interpretátur Rex justítiæ: Rex Salem, quod est, Rex pacis, sine patre, sine matre, neque inítium diérum, neque finem vitæ habens, * Assimilátus Fílio Dei, manet sacerdos in perpétuum. ℣. Intuémini quantus sit hic, qui décimas sumpsit ab Abraham, & hunc qui habébat repromissiónes, benedixit. * Assimilátus. *Hebr.* 7.

LECTIO II.

Ex Libro Levítici. *Cap.* 24.

LOcútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Accípies símilam, & coques ex eâ duódecim panes, qui sínguli habébunt duas décimas: quorum senos altrínsecus super mensam puríssimam coram Dómino státues: & pones super eos thus lucidíssimum, ut sit panis in monimentũ oblatiónis Dómini. Per síngula sábbata mutabuntur coram Dómino suscepti à filiis Israel fœdere sempitérno: eruntque Aaron & filiórum ejus, ut cómedant eos in loco sancto: quia Sanctum sanctórum est de sacrifíciis Dómini jure perpétuo.

℟. Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Pones super mensam panes propositiónis in conspectu meo semper. * Alienígena non vescétur ex eis, quia sancti sunt. ℣. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ: caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. * Alienígena. *Exod.* 25 & 29. *Joan.* 6.

LECTIO III.

Ex Malachíâ Prophétâ. *Cap.* 1.

FIlius honórat patrem, & servus Dóminum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dóminus ego sum, ubi est timor meus? dicit Dóminus exercítuum. Ad vos, ô sacerdótes, qui despícitis nomen meum, &

dixistis : In quo despéximus nomen tuum ? Offertis super altáre meum panem pollútum, & dícitis ; In quo pollúimus te ? in eo, quòd dícitis : Mensa Dómini despecta est. Si offerátis cæcum ad immolandum, nonne malum est ? & si offerátis claudum, & lánguidum, nonne malum est ? Offer illud duci tuo, si placúerit ei, aut si suscéperit fáciem tuam, dicit Dóminus exercítuum.

℟. Non accípiam de domo tuâ vítulos, neque de grégibus tuis hircos. * Sacrifícium laudis honorificábit me. ℣. Quò mihi multitúdinem victimárum vestrárum ? * Sacrifícium. *Ps.* 49. *Isai.* 1.

LECTIO IV.

ET nunc deprecámini vultum Dei ut misereátur vestrî ( de manu enim vestrâ factum est hoc) si quómodo suscípiat fácies vestras, dicit Dóminus exercítuum. Quis est in vobis, qui claudat óstia, & incendat altáre meum gratúitò ? Non est mihi volúntas in vobis, dicit Dóminus exercítuum : & munus non suscípiam de manu vestrâ. Ab Ortu enim solis usque ad Occásum, magnũ est nomen meum in Géntibus, & in omni loco sacrificátur, & offertur nómini meo oblátio munda : quia magnum est nomen meum in Géntibus, dicit Dóminus exercítuum.

℟. Angelus testamenti, ecce venit ; ipse quasi ignis conflans, & purgávit fílios Levi, * Et erunt Dómino offerentes sacrifícia in justítiâ. † Et placébit Dómino sacrifícium. ℣. Ecce dies vénient, dicit Dóminus : & consummábo super domum Israël, & super domum Juda testamentum novum. * Et erunt. ℣. Glória. † Et placébit. *Malach.* 3. *Hebr.* 8.

## IN II. NOCTURNO.

*Ant.* I. Manifestum est quòd ex Judâ ortus sit Dóminus noster : in quâ tribu nihil de Sacerdótibus Móyses locútus est. *Hebr.* 7.

II. Amplius adhuc manifestum est ; si secundùm similitúdinem Melchísedech exsurgat álius Sacerdos, qui non secundùm legem mandáti carnális factus est, sed secundùm virtútem vitæ insolúbilis. *Hebr.* 7.

III. Si prius ministérium culpâ vacasset : non útique secundi locus inquireréturr. *Hebr.* 8.

IV. Lex hómines constítuit sacerdótes infirmitátem habentes : sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Fílium in ætemum perfectum. *Hebr.* 7.

V. Talem habémus Pontíficem qui consédit in dex-

terâ sedis magnitúdinis in cœlis, sanctórum minister & tabernáculi veri, quod fixit Dóminus & non homo. *Hebr.* 8.

VI. Si esset super terram, nec esset Sacerdos: nunc autem mélius sortítus est ministérium, quantò & melióris Testamenti Mediátor est, quod in melióribus repromissiónibus sancítum est. *Hebr.* 8.

℣. Unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ, ℟. Præ consórtibus tuis. *Ps.* 44.

LECTIO V.

Ex Epístolâ sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris ad Cæcílium. *Epist. 63. Edit. Baluz. III. Sec. med.*

IN sacerdóte Melchísedech sacrifícii Domínici sacramentum præfigurátū vidémus, secundùm quod Scriptúra divína testátur, & dicit: Et Melchísedech Rex Salem prótulit panem & vinum. Fuit autem sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham. Quòd autem Melchísedech typum Christi portáret: declárat in Psalmis Spíritus sanctus ex persónâ Patris ad Fílium dícens: Ante lucíferum génui te: Tu es sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech. Qui ordo útique hic est de sacrifício illo véniens, & inde descendens; quòd Melchísedech sacerdos Dei summi fuit, quòd panem & vinum óbtulit quòd Abraham benedixit. Nam quis magìs Sacerdos Dei summi, quàm Dóminus noster Jesus Christus, qui sacrifícium Deo Patri óbtulit, & óbtulit hoc idem quod Melchísedech obtúlerat, id est panem & vinum, suum scílicet corpus & sánguinem?

℟. Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: * Tu es sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech. ℣. Christus non semetipsum clarificávit ut Póntifex fieret, sed qui locútus est ad eum: * Tu. *Ps.* 109. *Hébr.* 5.

LECTIO VI.

SEd & per Salomónem Spíritus sanctus typum Domínici sacrifícii ante præmonstrans immolátæ hóstiæ & panis & vini, sed & altáris, & Apostolórum fáciens mentiónem: Sapiéntia, inquit, ædificávit sibi domum, & súbdidit colúmnas septem. Mactávit suas hóstias, míscuit in cratére vinum suū, & parávit mensam suam. Et misit servos suos, cónvocans cum excelsâ prædicatióne ad cratérem, dicens: Qui est insípiens, declínet ad me. Et egéntibus sensu dixit: Veníte, édite de meis pánibus, & bíbite vinum quod míscui

vobis. Vinum mixtum declárat, id est, cálicem Dómini aquâ & vino mixtum Prophéticâ voce prænúntiat; ut appáreat in passióne Domínicâ id esse gestum quod fúerat ante prædictum.

℟. Homo quidam fecit cœnam magnam, & misit servum suum horâ cœnæ dícere invitátis ut venírent; * Quia paráta sunt ómnia. ℣. Veníte, comédite panem meum, & bíbite vinum quod míscui vobis; * Quia. *Luc.* 14. *Prov.* 9.

LECTIO VII.

NAm quia nos omnes portábat Christus, qui & peccáta nostra portábat; vidémus in aquâ pópulum intélligi; in vino verò ostendi sánguinem Christi. Quando autem in cálice vino aqua miscétur, Christo pópulus adunátur, & credéntium plebs ei in quem crédidit, copulátur, & conjúngitur. Sic autem in sanctificando cálice Dómini offerri aqua sola non potest; quómodò nec vinum solum potest; nam si vinum tantùm quis ófferat, sanguis Christi íncipit esse sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs íncipit esse sine Christo: quando autem utrumque miscétur, & adunatióne confúsâ sibi invicem copulátur, tunc sacramentum spirituále & cœleste perfícitur.

℟. Unus panis, unum corpus multi sumus; * Omnes qui de uno pane participámus. ℣. Membra sumus córporis ejus, de carne ejus & de óssibus ejus. * Omnes. *I. Cor.* 10. *Ephes.* 5.

LECTIO VIII.

Ex Libro décimo sancti Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei. *Edit. Bened. Cap.* 20.

HOmo Christus Jesus, cùm in formâ Dei sacrifícium cum Patre sumat, cum quo & unus Deus est, tamen in formâ servi sacrifícium máluit esse quàm súmere, ne vel hâc occasióne quisquam existimáret cuílibet sacrificandum esse creatúræ. Per hoc & sacerdos est, ipse ófferens, ipse & oblátio. Cujus rei sacramentum quotidiánum esse vóluit Ecclésiæ sacrifícium: quæ cùm ipsius cápitis corpus sit, seipsam per ipsum discit offerre. Hujus veri sacrifícii multiplícia variáque signa erant sacrifícia prisca sanctórum, cùm hoc unum per multa figurarétur tamquàm verbis multis res una dicerétur, ut sine fastídio multùm commendarétur. Huic summo veróque sacrifício cuncta sacrifícia falsa cessérunt.

℟. Beneficéntiæ & communiónis nolíte oblivísci: * Tálibus enim hóstiis promerétur Deus. ℣. Habentes fidúciam in intróitu sanctórum in sánguine Christi, & Sacerdótem magnum super domum Dei, accedámus cum vero corde in plenitúdine fidei; teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem, & considerémus ínvicem in provocatiónem caritátis & bonórum óperum. * Tálibus. *Hebr.* 13 & 10.

## *IN III. NOCTURNO.*

*Cantica*, *Ant.* & ℣. *ut die*, *pag.* 193.

### Lectio IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. *Cap.* 6 & 7.

USque ad interióra veláminis præcursor pro nobis introívit Jesus, secundùm órdinem Melchísedech póntifex factus in ætern um. Hic enim Melchísedech, Rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviávit Abrahæ regresso à cædé regum, & benedixit ei: cui & décimas ómnium divísit Abraham: primùm quidem qui interpretátur Rex justítiæ: deinde autem & rex Salem: quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealógiâ, neque inítium diérum, neque finem vitæ habens, assimilátus autem Fílio Dei, manet sacerdos in perpétuum.

℟. Melchísedech Rex Salem, próferens panem & vinum, benedixit Abram. * Erat enim sacerdos Dei Altíssimi. ℣. Accépit Jesus panem, & benedícens fregit, & accepto cálice grátias agens, dedit discípulis; * Erat. *Gen.* 14. *Marc.* 14.

### Lectio X. *Cap.* 7.

INtuémini autem quantus sit hic, cui & décimas dedit de præcípuis Abraham Patriarcha. Et quidem de fíliis Levi sacerdótium accipientes, mandátum habent décimas súmere à pópulo secundùm legem, id est à frátribus suis: quamquam & ipsi exíerint de lumbis Abrahæ. Cujus autem generátio non adnumerátur in eis, décimas sumpsit ab Abraham, & hunc, qui habébat repromissiónes, benedixit. Siné ullâ autem contradictióne, quod minus est, à melióre benedícitur. Et hic quidem, décimas morientes hómines accípiunt: ibi autem contestátur, quia vivit. Et (ut ita dictum sit) per Abraham, & Levi, qui décimas accépit, decimátus est: adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviávit ei Melchísedech.

℟. Talem habémus Pontíficem qui consédit in dex-

Jurejurando vocávit;
Jugis ut sis víctima,
Surge, jugem, quid moráris
Promptus ad vitam redi.
Morte devictâ, triumphans
Christus ascendit polum;
Cessat illic à labóre,
Non precári desinit:
Júgiter vivens, ut oret
Pro suis & júgiter.
In throno sedet quiétus;
Stat suos ut ádjuvet:
Ipse nostra sanctus offert
Vota Patri Póntifex;
Unus ipse cum Parente
Vota súscipit Deus.
Summa laus Deo Parenti
Qui creávit ómnia;
Filioque qui redémit
Morte nos volens suâ:
Par & illi, cujus almo
Recreámur hálitu.
Amen.

℣. Salvum fecit Dóminus Christū suum; ℟. Exáudiet illum de cœlo sancto suo. *Ps.* 19.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Débuit Christus per ómnia frátribus similári, ut miséricors fieret, & fidélis Póntifex ad Deum, ut repropitiáret delicta pópuli. *Hebr.* 2.

COLLECTA. *Brev. Clun.*

OMnípotens sempiterne Deus, qui autórem salútis Pontíficem nostrum, per passiónem consummári voluisti; † consciéntiam nostram, quæsumus, per ejus sánguinem, ab opéribus mórtuis emunda, * ut tibi Deo viventi dignè servíre, ac nosmetipsos hóstiam vivam ac sanctam offerre mereámur; Per eumdem.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *An.* 1562. *Sess.* 22. *Cap.* 2.

DEus & Dóminus noster Jesus Christus, etsi semel seipsum in arâ crucis, morte intercedente, Deo Patri oblatúrus erat, ut æternam illic redemptiónem operarétur: quia tamen per mortem sacerdótium ejus exstinguendum non erat: in cœnâ novissimâ quâ nocte tradebátur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclésiæ visíbile, sicut hóminum natúra éxigit, relínqueret sacrifícium, quo cruentum illud, semel in cruce peragendum repræsentarétur: ejusque memória in finem usque séculi permanéret, atque illíus salutáris virtus in remissiónem eórum, quæ à nobis quotídie committuntur, peccatórum applicarétur; Sacerdótem secundùm órdinem Melchísedech se in æternum constitútum declárans, corpus & sánguinem suum sub speciébus panis & vini Deo Patri óbtulit; ac sub earumdem re-

rum symbolis, Apóstolis, quos tunc novi testamenti sacerdótes constituébat, ut súmerent, trádidit; & eísdem, eorumque in sacerdótio succesśóribus, ut offerrent præcépit per hæc verba: Hoc fácite in meã commemoratiónem; uti semper Cathólica Ecclésia intellexit, & dócuit.

## AD TERTIAM.

LECTIO. *Hebr.* 9.

NOvi Testamenti mediátor est Christus; † ut morte intercedente, in redemptiónem eárum prævaricatiórum quæ erant sub prióri testamento, * repromissiónem accípiant qui vocáti sunt ætérnæ hæreditátis.

℣. Acceptábis, Dómine, sacrificium justítiæ, ℟. Oblatiónes & holocausta. *Ps.* 50.

## AD SEXTAM.

LECTIO. *Hebr.* 6.

FOrtíssimum solátium habeámus, qui confúgimus ad tenendam propósitam spem: † quam sicut ánchoram habémus ánimæ tutam ac firmam, & incedentem usque ad interióra velámínis: * ubi præcursor introívit Jesus, secundùm ordinem Melchísedech Póntifex factus in ætérnum.

℣. Memor sit Dóminus omnis sacrifícii tui; ℟. Et holocaustum tuum pingue fiat. *Ps.* 19.

## AD NONAM.

LECTIO. *Hebr.* 13.

HAbémus altáre, de quo édere non habent potestátem qui tabernáculo desérviunt. † Quorum enim animálium infertur sanguis pro peccáto in Sancta per pontíficem, horum córpora cremantur extra castra. * Propter quod & Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est.

℣. Lavábo inter innocentes manus meas. ℟. Et circúmdabo altáre tuum, Dómine. *Ps.* 25.

## AD II. VESPERAS.

*PSALMI ET ANT.*

I. *Ps.* 109. Dixit Dóminus. *pag.* 28.

*Ant.* Melióris testamenti sponsor factus est Jesus. Hic eo quòd máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. *Hebr.* 7.

II. *Ps.* 110. Confitébor. *pag.* 29.

*Ant.* Salváre in perpétuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. *Hebr.* 7.

III. *Ps.* 115. Crédidi. *pag.* 118.

*Ant.* Sanctificáti sumus per oblatiónem córporis

Jesu Christi semel. *Hebr.* 10.

IV. *Ps.* 147. Lauda, Jerúsalem. *pag.* 120.

*Ant.* Per ipsum offerámus hóstiam laudis semper Deo, fructum labiórum confiténtium nómini ejus. *Hebr.* 13.

LECTIO. *Hebr.* 10.

HAbentes, fratres, fidúciam in introitu sanctórum in sánguine Christi, quam initiávit nobis viam novam, & viventem per velámen, id est, carnem suam, † & sacerdótem magnum super domum Dei, * accedámus cum vero corde in plenitúdine fidei.

℟. *br.* Lætábimur * In salutári tuo, Dómine. ℟. Lætábimur. ℣. Et in nómine Dei nostri magnificábimur; * In. ℣. Glória. ℟. Lætábimur. *Ps.* 19.

*Hymnus*, Nate qui Deo Parenti. *ut ad I. Vesperas*, *pag.* 221.

℣. Mirificávit Dóminus Sanctum suum: ℟. Dóminus exáudiet me, cùm clamávero ad eum. *Ps.* 4.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Talis decébat ut nobis esset Póntifex, sanctus, innocens, impollútus, segregátus à peccatóribus, & excélsior cœlis factus. *Hebr.* 7.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Libro primo Regum. *Cap.* 7.

DIxit Sámuel: Congregáte universum Israel in Masphath, ut orem pro vobis Dóminum. Et convenérunt in Masphath: hauseruntque aquam, & effudérunt in conspectu Dómini, & jejunavérunt in die illâ, atque dixérunt ibi: Peccávimus Dómino. Judicavitque Sámuel filios Israel in Masphath. Et audiérunt Philisthiim quòd congregáti essent filii Israel in Masphath, & ascendérunt sátrapæ Philisthinórum ad Israel. Quod cùm audissent filii Israel, timuérunt à fácie Philisthinórum. ¶ Dixeruntque ad Samuélem: Ne cesses pro nobis clamáre ad Dóminum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinórum. Tulit autem Sámuel agnum lactentem unum, & óbtulit illum holocaustum íntegrum Dómino. Factum est autem cùm Sámuel offerret holocaustum, Philisthiim iniére prælium contra Israel: intónuit autem Dóminus fragóre magno in die illâ super Philisthiim, & extérruit eos, & cæsi sunt à fácie Israel.

LECTIO II. *Cap.* 8.

FActum est autem cùm senuisset Sámuel, pósuit filios suos júdices Israel. Dixeruntque ei majóres natu Israel: Ecce tu senuisti, & filii tui non ámbulant in viis tuis: constítue nobis regem, ut júdicet nos, sicut & universæ habent natiónes. Displícuit sermo in óculis Samuélis. Et orávit Sámuel ad Dóminum. Dixit autem Dóminus ad Samuélem: Audi vocem pópuli in ómnibus quæ loquuntur tibi. Non enim te abjecérunt, sed me, ne regnem super eos. Nunc ergo vocem eórum audi: verúmtamen contestáre eos, & prædic eis jus regis, qui regnatúrus est super eos. ¶ Dixit ítaque Sámuel ómnia verba Dómini ad pópulum, qui petíerat à se regem. Nóluit autem pópulus audire vocem Samuélis, sed dixérunt: Nequáquam: rex enim erit super nos, & érimus nos quoque sicut omnes gentes: & judicábit nos rex noster, & egrediétur ante nos, & pugnábit bella nostra pro nobis. Et audívit Sámuel ómnia verba pópuli, & locútus est ea in áuribus Dómini. Dixit autem Dóminus ad Samuélem: Audi vocem eórum, & constítue super eos regem.

℟. I. Ait Sámuel ad universam domum Israel: Si in toto corde vestro revertímini ad Dóminum, * Auferte deos aliénos de médio vestrî, & præparáte corda vestra Dómino, & servíte ei soli. ℣. Scriptum est: Dóminum Deum tuum adorábis, & illi soli sérvies. * Auferte. *I. Reg.* 7. *Matth.* 4.

℟. II. Invocávit Sámuel Dóminum omnipotentem, in oppugnando hostes circumstantes úndique, in oblatióne agni inviolâti. * Et intónuit de cœlo Dóminus, & in sónitu magno audítam fecit vocem suam. ℣. Clamávit ad Dóminum pro Israel, & exaudívit eum Dóminus. * Et. *Eccli.* 46. *I. Reg.* 7.

℟. III. Ante tempus finis vitæ suæ, testimóniũ præbuit Sámuel in conspectu Dómini, * Et non accusávit illum homo. ℣. Pecúnias & usque ad calceamenta ab omni carne non accépit; * Et non. *Eccli.* 46.

℟. IV. Perdítio tua, Israel; tantúmmodo in me auxílium tuum. Dixisti: Da mihi regem & príncipes. * Dabo tibi regem in furóre meo, & áuferam in indignatióne meâ. ℣. Projecistis Deum vestrum qui solus salvávit vos, & dixistis: Nequáquam: sed regem constítue super nos: * Dabo. ℣. Glória. * Dabo. *Osee*, 13. *I. Reg.* 10.

LECTIO III.

Ex Libro tértio sancti Joannis Chrysóstomi Epíscopi de Sacerdótio. *Edit. Bened. n.* 4.

SAcerdótium in terrâ perágitur, sed cœléstium órdinum classem óbtinet: & jure quidem mérito. Non enim homo, non Angelus, non Archángelus, non ália quæpiam creáta potestas; sed ipse Paraclétus hoc officium ordinávit, qui manéntibus in carne autor fuit ut Angelórum ministérium ánimo concíperent. Idcirco sacerdótium obeuntem, ita purum esse decet, ac si in cœlis inter potestátes illas collocátus esset. Cùm enim víderis Dóminum immolátum, & jacentem, & sacerdótem sacrificio incumbentem, ac precantem, omnesque pretióso illo sánguine rubentes; an putas te adhuc cum homínibus & in terrâ esse? an non pótiùs in cœlos translátus, omníque carnáli cogitatióne eliminátâ, nudo ánimo ménteque purâ, quæ in cœlis sunt circúmspicis? O miráculum! ô Dei benignitátem! qui cum Patre sursùm sedet, illâ horâ ómnium mánibus tenétur, seséque voléntibus dat complectendum & accipiendum. Illud autem omnes fáciunt óculis fidei.

℟. Sacerdótes sancti erunt Deo suo, & non pólluent nomen ejus: * Incensum enim Dómini, & panes Dei sui ófferunt & ideo sancti erunt. ℣. Sacerdótes, qui accédunt ad Dóminum, sanctificentur, ne percútiat eos; * Incensum. ℣. Glória. * Incensum. *Levit.* 21. *Exod.* 19.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi tértio. *An.* 1573. *Can.* 10.

QUi in Sacerdótio sancto constitúti sunt, ad offerendum illud Deo acceptábile córporis Dómini sacrificium, sicut eam functiónem gerunt, quâ nulla major excogitári potest, ita in omni sacerdotális vitæ officio sic se gerant, ut morum étiam præstántiâ & splendóre álios allíciant, atque éxcitent ad débitum sacerdório honórem illis præstandum.

---

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Libro primo Regum. *Cap.* 9.

ERat vir de Bénjamin nómine Cis: & erat ei filius vocábulo Saül, electus & bonus: & non erat vir de filiis Israel mélior illo. Perierant autem ásinæ Cis patris Saül: &

dixit Cis ad Saül filium suum: Tolle tecum unum de púeris, & consurgens vade, & quære ásinas. Cùm venissent in terram Suph, dixit Saül ad púerum qui erat cum eo: Veni & revertámur, ne fortè dimíserit pater meus ásinas, & sollícitus sit pro nobis. Qui ait ei: Ecce vir Dei est in civitáte hac, vir nóbilis: omne quod lóquitur, sine ambiguitáte venit. Nunc ergo eámus illuc, si fortè índicet nobis de viâ nostrâ, propter quam vénimus. ¶ Et ascendérunt in civitátem. Cùmque illi ambulárent in médio urbis, appáruit Sámuel egrédiens óbviàm eis, ut ascénderet in excelsum. Dóminus autem reveláverat aurículam Samuélis ante unam diem quàm veníret Saül, dicens: Hâc ipsâ horâ, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terrâ Bénjamin, & unges eum ducem super pópulum meum Israel. Cùmque adspexisset Sámuel Sáülem, Dóminus dixit ei: Ecce vir, quem díxeram tibi, iste dominábitur pópulo meo.

LECTIO II. *Cap.* 9 & 10.

ACcessit autem Saül ad Samuélem in médio portæ, & ait: Indica, oro, mihi, ubi est domus Videntis. Et respondit Sámuel Sáüli, dicens: Ego sum Videns. Ascende ante me in excelsum, ut comedátis mecum hódie, & dimittam te mane: & ómnia quæ sunt in corde tuo, indicábo tibi: & de ásinis: quas nudiustértius perdidisti, ne sollícitus sis, quia inventæ sunt. Assúmens ítaque Sámuel Sáülem, & púerum ejus, introduxit eos in triclínium. Et dedit eis locum in cápite eórum qui fúerant invitáti. Et descendérunt de excelso in óppidum, & locútus est cum Sáüle in solário: stravítque Saül in solário, & dormívit. ¶ Cùmque manè surrexissent, & jam elucésceret, vocávit Sámuel Sáülem. Et surrexit Saül: egressíque sunt ambo, ipse vidélicet & Sámuel. Cùmque descénderent in extrémâ parte civitátis, Sámuel dixit ad Saül: Dic púero ut antecédat nos, & tránseat: tu autem subsiste paulísper, ut índicem tibi verbum Dómini. Tulit autem Sámuel lentículam ólei, & effúdit super caput ejus, & deosculátus est eum, & ait: Ecce unxit te Dóminus super hæreditátem suam in príncipem.

℟. I. Deus dedit júdices, usque ad Sámuel Prophétam. Et exinde postulavérunt regem: * Et dedit illis Deus Saül filium Cis, virum de tribu Bénjamin, annis quadraginta. ℣. Di-

xérunt Samuéli : Constítue nobis regem, ut júdicet nos, sicut & universæ habent natiónes : * Et dedit. *Act.* 13. *I. Reg.* 8.

℟. II. Dóminus páuperem facit, & ditat; humíliat & súblevat : súscitat de púlvere egénum, & de stércore élevat páuperem; * Ut sédeat cum princípibus, & sólium glóriæ téneat. ℣. In manu Dei potestas terræ : & útilem rectórem suscitábit in tempus super illam. * Ut sédeat. *I. Reg.* 2. *Eccli.* 10.

℟. III. Dilectus à Dómino suo Sámuel Prophéta Dómini, renovávit impérium, & unxit príncipes in gente suâ; in lege Dómini congregatiónem judicávit; * Et cógnitus est in verbis suis fidélis, quia vidit Deum lucis. ℣. In fide suâ probátus est prophéta; * Et. *Eccli.* 46.

℟. IV. Perdítio tua, Israel; tantúmmodo in me auxílium tuum : dixisti : Da mihi regem & príncipes. * Dabo tibi regem in furóre meo, & áuferam in indignatióne meâ. ℣. Projecistis Deum vestrum qui solus salvávit vos, & dixistis : Nequáquam : sed regem constítue super nos : * Dabo. ℣. Glória. * Dabo. *Osee*, 13. *I. Reg.* 10.

LECTIO III.

Ex Libro tértio sancti Joannis Chrysóstomi Epíscopi de Sacerdótio. *Edit. Bened. n.* 4.

VIsne tremendi sacrifícii excelléntiam ex álio miráculo perspícere? Halíam mihi ob óculos depinge : immensamque circumfúsam turbam, & hóstiam lapídibus impósitam : atque omnes álios, in quiéte & magno siléntio stantes, solum verò Prophétam precantem : tùm repentè flammam ex cœlis in sacrifícium injectam. Admiranda sunt hæc, omníque stupóre plena. Illinc te transfer ad ea quæ nunc peraguntur, ac non mira tantùm vidébis, sed omnem stupórem superántia. Stat enim Sacerdos, non ignem gestans, sed Spíritum sanctum; preces multo témpore fundit, non ut fax demissa cœlitus appósita consúmat : sed ut grátia in sacrifícium delapsa, per illud ómnium ánimos inflammet; & argento igne purgáto splendidióres exhíbeat. Si quis secum réputet quantum illud sit, nempe hóminem carne & sánguine involútum, prope beátam illam & immortálem natúram constítui, tunc probè intélliget quanto honóre Spíritûs grátia sacerdótes ornáverit.

℟. Non est ália nátio

tam grandis, quæ hábeat deos appropinquantes sibi, * Sicut Deus noster adest cunctis obsecratiónibus nostris. ℣. Ergone credíbile est ut hábitet Deus cum homínibus super terram? * Sicut. ℣. Glória. * Sicut. *Deut.* 4. *II. Paral.* 6.

CANON.

Ex Concílio Vaurensi.

*An.* 1368. *Cap.* 1.

PRohibémus districtè, ut nullus, cum remorsu peccáti mortális, sacramentum quodcumque præsúmat suscípere, aut étiam, ministráre. Verémur enim ne propter hunc abúsum, quo pollúti & indigni ad sacra passim istis tempóribus novíssimis plures accédunt, clades multas Deus Judex justus in natiónes Christianórum immittat.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Multò mélior est obediéntia quàm stultórum víctimæ, qui nésciunt quid fáciunt mali. *Eccles.* 4.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 243.

---

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

---

*IN I. NOCTURNO.*

LECTIO I.

Ex Libro primo Regum.

*Cap.* 10.

COnvocávit Sámuel pópulum ad Dóminum in Maspha: & ait ad fílios Israel: Hæc dicit Dóminus Deus Israel: Ego eduxi Israel de Ægypto, & érui vos de manu Ægyptiórum, & de manu ómnium regum, qui affligébant vos. Vos autem hódie projecistis Deum vestrum, qui solus salvávit vos de univérsis malis & tribulatiónibus vestris; & dixistis: Nequáquam, sed regem constítue super nos. Nunc ergo state coram Dómino per tribus vestras, & per famílias.

*Responsoria ut heri.*

LECTIO II.

ET applícuit Sámuel omnes tribus Israel, & cécidit sors tribûs Bénjamin. Et applícuit tribû Bénjamin & cognatiónes ejus, & cécidit cognátio Metri, & pervénit usque ad Saül filium Cis. Quæsiérunt ergo eum, & non est inventus. Et consuluérunt post hæc Dóminum, utrumnam ventúrus esset illuc. Respondítque Dóminus: Ecce abscónditus est domi. Cucurrérunt ítaque, & tulérunt eum inde: stetítque in médio pópuli, & áltior fuit univérso pópulo ab húmero & sursum. Et ait Sámuel ad omnem pópulum: Certè vidéris quem elégit Dóminus, quóniam non sit símilis illi in omni pópulo. Et clamávit omnis pópulus, & ait: Vivat Rex.

dis, quæ hábeat
opinquantes sibi,
Deus noster adest
secratiónibus no-
Ergone credibile
ter Deus cum ho-
super terram?
. Glória. * Sic-
. II. Paral. 6.
NON.
ilio Vaurensi.
68. Cap. 1.
nus districtè, ut
cum remorsu
ális, sacramen-
mque præsú-
e, aut étiam,
Verémur enim
unc abúsum,
& indigni ad
stis tempóri-
plures accé-
multas Deus
in natiónes
immittat
ficat
est

Israel: Hæc dicit Dóminus Deus Israel: Ego eduxi Israel de Ægypto, & érui vos de manu Ægyptiórum, & de manu ómnium regum, qui affligébant vos. Vos autem hódie projecistis Deum vestrum, qui solus salvávit vos de univérsis malis & tribulatiónibus vestris; & dixistis: Nequáquam, sed regem constítue super nos. Nunc ergo state coram Dómino per tribus vestras, & per famílias.

*Responsoria ut heri.*

LECTIO II.

ET applícuit Sámuel omnes tribus Israel, & cécidit sors tribûs Bénjamin. Et applícuit tribû Bénjamin & cognatiónes ejus, & cécidit ... etri, & per- ... l filium ... eum, ... Et con- ... Dómi- ... ibus

LECTIO III. *Cap.* 12.

ET ait Sámuel ad pópulum : Ecce dedit vobis Dóminus regem. Si timuéritis Dóminum, & serviéritis ei, & audiéritis vocem ejus, & non exasperavéritis os Dómini : éritis & vos, & rex qui ímperat vobis, sequentes Dóminum Déum vestrum. Si autem non audiéritis vocem Dómini, sed exasperavéritis sermónes ejus, erit manus Dómini super vos, & super patres vestros. Sed & nunc state, & vidéte rem istam grandem, quam factúrus est Dóminus in conspectu vestro. Et clamávit Sámuel ad Dóminum, & dedit Dóminus voces & plúvias in illâ die. Et tímuit omnis pópulus nimis Dóminum & Samuélem, & dixit univérsus pópulus ad Samuélem : Ora pro servis tuis ad Dóminum Deum tuum, ut non moriámur. Addídimus enim univérsis peccátis nostris malum, ut peterémus nobis regem.

LECTIO IV.

DIxit autem Sámuel ad pópulum : Nolíte timére, vos fecistis univérsum malum hoc : verúmtamen nolíte recédere à tergo Dómini, sed servíte Dómino in omni corde vestro. Et nólite declináre post vana, quæ non prodérunt vobis, neque éruent vos, quia vana sunt. Et non derelinquet Dóminus pópulum suum, propter nomen suum magnum ; quia jurávit Dóminus fácere vos sibi pópulum. Absit autem à me hoc peccátum in Dóminum, ut cessem oráre pro vobis, & docébo vos viam bonam & rectam. Quòd si perseveravéritis in malítiâ, & vos, & rex vester páriter períbitis.

## IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Apológiâ primâ sancti Justíni Mártyris. *Edit. Bened. II. Sec. Med. n.* 65.

NOs postquam eum, qui fidem suam & assensum doctrínæ nostræ testátus est, ablúimus, ad eos, qui dicuntur fratres, dedúcimus, ubi illi congregáti sunt, commúnes preces & pro nobismetipsis, & pro eo qui illuminátus est, & pro áliis ubíque ómnibus, intento ánimo factúri, ut veritátis cognitiónem adepti, hâc étiam grátiâ dignémur, ut rectam opéribus vitam agentes & præceptórum custódes inveniámur, quo salútem ætérnam adsequámur. Invicem ósculo salutámus, ubi desíimus precári. Deinde ei, qui frátribus præest, panis offertur, & póculum aquæ & vini : quibus ille

acceptis, laudem & glóriam universórum Parenti per nomen Filii & Spíritûs sancti emittit, & Eucharístiam, sive gratiárum actiónem, pro his ab illo accéptis donis prolixè exséquitur. Postquam preces & Eucharístiam absolvit; & pópulus omnis acclamávit, Amen, qui apud nos dicuntur Diáconi panem & vinum & aquam, in quibus grátiæ actæ sunt, unicuíque præséntium participanda distríbuunt, & ad absentes pérferunt.

℟. Obsecro primum ómnium fieri obsecratiónes, oratiónes, gratiárum actiónes, pro ómnibus homínibus, pro régibus, & ómnibus qui in sublimitáte sunt, ut quiétam, & tranquillam vitam agámus in omni pietáte: * Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatóre nostro Deo. ℣. Quærite pacem civitátis, & oráte pro eâ ad Dóminum: quia in pace illíus erit pax vobis: * Hoc. *I. Tim. 2. Jerem. 29.*

LECTIO VI. *n. 66.*

ATque hoc alimentum apud nos vocátur Eucharístia, cujus némini álii licet esse partícipi, nisi qui credat vera esse quæ docémus, atque illo ad remissiónem peccatórum & regeneratiónem lavácro ablútus fuerit, & ita vivat ut Christus trádidit. Neque enim ut commúnem panem, neque ut commúnem potum ista súmimus; sed quemádmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvátor noster, & carnem & sánguinem hábuit nostræ salútis causâ; sic étiam illam, in quâ per precem ipsíus verba continentem grátiæ actæ sunt, alimóniam, ex quâ sanguis & carnes nostræ per mutatiónem aluntur, incarnáti illíus Jesu & carnem & sánguinem esse edocti sumus. Nam Apóstoli in Commentáriis suis, quæ vocantur Evangélia, ita sibi mandasse Jesum tradidérunt, eum scílicet accepto pane, cùm grátias egisset, dixisse: Hoc fácite in meam commemoratiónem, Hoc est corpus meum; & póculo simíliter accepto, actisque grátiis dixisse: Hic est sanguis meus, ipsisque solis tradidisse.

℟. Dixit Jesus: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. * Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducáverit, non moriátur. ℣. Panis quem frángimus, nonne participátio córporis Dómini est. * Hic. *Joan. 6. I. Cor.* 10.

LECTIO VII. *n.* 67.

EX illo témpore, hæc semper nobis ínvicem in memóriam revocámus;

& qui habémus, indigéntibus ómnibus subvenímus, & semper unà sumus. Atque in ómnibus oblatiónibus laudámus Creatórem ómnium per Filium ejus Jesum Christum & per Spíritum sanctum. Ac Solis, ut dícitur, die, ómnium sive urbes sive agros incoléntium in eumdem locum fit conventus, & commentária Apostolórum, aut scripta Prophetárum leguntur, quoad licet per tempus. Deinde ubi lector désiit, is qui præest admonitiónem verbis & adhortatiónem ad res tam præcláras imitandas súscipit. Póstea omnes simul consúrgimus, & preces emíttimus: atque, ut jam díximus, ubi desíimus precári, panis affertur, & vinum & aqua.

℟. Per Christum offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est, fructum labiórum confiténtium nómini ejus; * Tálibus enim hóstiis promerétur Deus. ℣. Beneficéntiæ autem & communiónis nolíte oblivísci; * Tálibus. *Hebr.* 13.

LECTIO VIII.

QUi abundant & volunt, suo arbítrio, quod quisque vult, largiuntur, & quod collígitur apud eum, qui præest, depónitur, ac ipse súbvenit pupillis, & víduis, & iis qui vel ob morbum, vel áliam ob causam egent, tum étiam iis qui in vínculis sunt, & adveniéntibus péregrè hospítibus; uno verbo ómnium indigéntium curam súscipit. Die autem Solis omnes simul convenímus, tum quia prima hæc dies est, quâ Deus, cùm ténebras & matériam vertisset, mundum creávit; tum quia Jesus Christus Salvátor noster eâdem die ex mórtuis resurrexit.

℟. De collectis quæ fiunt in sanctos, ita fácite; per unum Sábbati unusquisque vestrûm apud se sepónat, recondens quod ei bene placúerit: * Non ex tristítiâ, aut ex necessitáte; † Hílarem enim datórem díligit Deus. ℣. Unusquisque prout destinávit in corde suo, * Non. ℣. Glória. † Hílarem. *I. Cor.* 16. *II. Cor.* 9.

## *IN III. NOCTURNO.*

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses. *Cap.* 2.

ITaque caríssimi mei (sicut semper obedistis) non ut in præséntiâ meî tantùm, sed multò magìs nunc in abséntiâ meâ, cum metu & tremóre vestram salútem operámini. Deus est enim, qui operátur

rátur in vobis & velle, & perficere, pro bonâ voluntáte. Omnia autem fácite sine murmuratiónibus, & hæsitatiónibus: ut sitis sine querélâ, & símplices filii Dei, sine reprehensióne, in médio natiónis pravæ & perversæ: inter quos lucétis sicut luminária in mundo, verbum vitæ continentes ad glóriam meam in die Christi, quia non in vácuum cucurri, neque in vácuum laborávi. Sed & si ímmolor supra sacrificium, & obséquium fidei vestræ, gáudeo, & congrátulor ómnibus vobis. Idipsum autem & vos gaudéte, & congratulámini mihi.

℟. Scio, Dómine, quia non est hóminis via ejus; * Nec viri est ut ámbulet, & dírigat gressus suos. ℣. Non volentis, neque curréntis, sed miseréntis est Dei; * Nec. *Jerem.* 10. *Rom.* 9.

LECTIO X.

SPero autem in Dómino Jesu, Timótheum me citò míttere ad vos: ut & ego bono ánimo sim, cógnitis quæ circa vos sunt. Néminem enim hábeo tam unánimem, qui sincérâ affectióne pro vobis sollícitus sit. Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Jesu Christi. Experiméntum autem ejus cognóscite, quia sicut patri filius, mecum servívit in Evangélio. Hunc ígitur spero me míttere ad vos, mox ut vídero quæ circa me sunt. Confido autem in Dómino, quóniam & ipse véniam ad vos citò.

℟. Ego per ómnia ómnibus pláceo, * Non quærens quod mihi útile est, sed quod multis ut salvi fiant. ℣. Omnia fácio propter Evangélium, ut párticeps ejus efficiar, * Non. *I. Cor.* 10. & 9.

LECTIO XI.

NEcessárium autem existimávi Epaphróditũ fratrem, & cooperatórem, & commilitónem meum, vestrum autem Apóstolũ, & minístrum necessitátis meæ, míttere ad vos: quóniam quidem omnes vos desiderábat: & mœstus erat, proptérea quod audierátis illum infirmátum. Nam & infirmátus est usque ad mortem: sed Deus misertus est ejus; non solùm autem ejus, verùm étiam & meî, ne tristítiam super tristítiam habérem. Festinántiùs ergo misi illum, ut viso eo íterum gaudeátis, & ego sine tristitiâ sim. Excípite ítaque illum cum omni gáudio in Dómino, & ejúsmodi cum honóre habetóte: quóniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tra-

dens ánimam suam ut impléret id, quod ex vobis déerat erga meum obséquium.

℟. Fidúciam habémus per Christum ad Deum, * Qui & idóneos nos fecit minístros novi testamenti, non litterâ sed spíritu. ℣. Non quòd sufficientes simus cogitáre áliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficiéntia nostra ex Deo est; * Qui. *II. Cor.* 3.

LECTIO XII. *Cap.* 3.

DE cætero, fratres mei, gaudéte in Dómino. Eadem vobis scríbere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessárium. Vidéte canes, vidéte malos operários, vidéte concisiónem. Nos enim sumus circumcísio, qui spíritu servímus Deo, & gloriámur in Christo Jesu, & non in carne fidúciam habentes: quamquam ego hábeam confidéntiam & in carne. Si quis álius vidétur confídere in carne, ego magìs:, circumcísus octávo die, ex génere Israel, de tribu Bénjamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm legem Pharisæus, secundùm æmulatiónem pérsequens Ecclésiam Dei, secundùm justítiam, quæ in lege est, conversátus sine querélâ: sed quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta.

℟. Exístimo ómnia detrimentum esse propter eminentem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei, * Propter quem ómnia detrimentum feci, & árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam. ℣. Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi, * Propter. ℣. Glória. * Propter. *Philip.* 3. *Galat.* 6.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Cap.* 15.

ERant appropinquantes ad Jesum publicáni & peccatóres, ut audírent illum. Et murmurábant Pharisæi & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatóres récipit, & mandúcat cum illis. Et ait ad illos parábolam istam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oves; & si perdíderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ períerat, donec invéniat eam? Et cùm invénerit eam, impónit in húmeros suos gaudens: & véniens domum cónvocat amícos & vicínos, dicens illis: Congratulámini mihi, quia invéni ovem meã, quæ períerat. Dico vobis quòd ita gáudium erit in

cœlo super uno peccatóre pœniténtiam agente, quàm super nonaginta novem justis, qui non índigent pœniténtiâ. Aut quæ múlier habens drachmas decem; si perdíderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec invéniat? Et cùm invénerit, cónvocat amícas & vicínas, dicens: Congratulámini mihi, quia invéni drachmam quam perdíderam. Ita dico vobis, gáudium erit coram Angelis Dei super uno peccatóre pœniténtiam agente.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Quæ múlier habens drachmas decem; si perdíderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec invéniat. *Luc.* 15.

Collecta. *Sacr. Greg.*

PRotector in te sperántium Deus, sine quo nihil est válidum, nihil sanctum; † multíplica super nos misericórdiam tuam; * ut te rectóre, te duce, sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna; Per Dóminum.

C a n o n.

Ex Concílio Tridentíno.

*Sess.* 22. *Cap.* 2.

QUóniam in divíno hoc sacrifício, quod in Missâ perágitur, idem ille Christus continétur, & incruentè immolátur qui in arâ crucis semel seipsum cruentè óbtulit: docet sancta Synodus, sacrifícium illud verè propitiatórium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde, & rectâ fide, cum metu & reveréntiâ, contríti ac pœnitentes ad Deum accedámus, misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Dico vobis, gáudium erit coram Angelis Dei super uno peccatóre pœniténtiam agente. *Luc.* 15.

---

FERIA SECUNDA.

Lectio I.

Ex Libro primo Regum.

*Cap.* 13.

PHilisthiim congregáti sunt ad præliandum contra Israel. Cùmque adhuc esset Saül in Gálgala, universus pópulus perterritus est, qui sequebátur eum. Et exspectávit septem diébus juxta plácitum Samuélis, & non venit Sámuel in Gálgala, dilapsusque est pópulus ab eo. Ait ergo Saül: Afferte mihi holocaustum, & pacífica. Et óbtulit holocaustum. ¶ Cùmque complesset ófferens holocaustum, ecce Sámuel veniébat: & egressus est Saül óbviàm

ei ut salutáret eum. Locutusque est ad eum Sámuel: Quid fecisti? Respondit Saül: Quia vidi quòd pópulus dilaberétur à me, & tu non véneras juxta plácitos dies, dixi: Nunc descendent Philísthiim ad me in Gálgala, & fáciem Dómini non placávi. Necessitáte compulsus, óbtuli holocaustum. Dixitque Sámuel ad Saül: Stultè egisti, nec custodísti mandáta Dómini Dei tui, quæ præcépit tibi. Quòd si non fecisses, jam nunc præparasset Dóminus regnum tuum super Israel in sempiternum, sed nequáquam regnum tuum ultrà consurget. Quæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum: & præcépit ei Dóminus ut esset dux super pópulum suum, eo quòd non serváveris quæ præcépit Dóminus.

LECTIO II. *Cap.* 14.

ET áccidit quâdam die ut díceret Jónathas ad adolescentem armígerum suum: Veni, transeámus ad statiónem incircumcisórum horum, si fortè fáciat Dóminus pro nobis: quia non est Dómino diffícile salváre vel in multis, vel in paucis. Ascendit autem Jónathas mánibus & pédibus reptans, & ármiger ejus post eum. Itaque álii cadébant ante Jónathã, álios ármiger ejus interficiébat sequens eum. Et factum est miráculum in castris, per agros. Sed & omnis pópulus statiónis eórum, qui íerant ad prædandum, obstúpuit, & conturbáta est terra, & áccidit quasi miráculum à Deo. ¶ Et respexérunt speculatóres Saül, qui erant in Gábaa Bénjamin, & ecce multitúdo prostráta, & huc illucque diffúgiens. Et ait Saül pópulo, qui erat cum eo: Requírite, & vidéte quis abíerit ex nobis. Cùmque requisissent, repertum est non adesse Jónatham, & armígerum ejus. Conclamávit ergo Saül, & omnis pópulus qui erat cum eo, & venérunt usque ad locum certáminis: & ecce versus fúerat gládius uniuscujusque ad próximum suum, & cædes magna nimis. Et salvávit Dóminus in die illâ Israel.

℟. I. Numquid vult Dóminus holocausta & víctimas, & non pótiùs ut obediátur voci Dómini? * Mélior est enim obediéntia quàm víctimæ. ℣. Vir obédiens loquétur victóriam; * Mélior. *I. Reg.* 15. *Prov.* 21.

℟. II. Manus Dei nostri est super omnes qui quærunt eum in bonitáte; * Et impérium ejus, & fortitúdo ejus, & furor super

omnes qui derelinquunt eum. ℣. Oculi Dómini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericórdiâ ejus; * Et I. Esdr. 8. Ps. 32.

℟. III. Unus è vobis persequétur hóstium mille viros: quia Dóminus Deus vester pro vobis ipse pugnábit, sicut pollicitus est. * Hoc tantùm diligentíssimè præcavéte, ut diligátis Dóminum Deum vestrum. ℣. Ipse dixit: Non te déseram, neque derelínquam: * Hoc. Josue. 23. Hebr. 13.

℟. IV. Ubicumque ingressi sunt sine arcu & sagittâ, & absque scuto & gládio, Deus eórum pugnávit pro eis, & vicit. * Et † Non fuit qui insultáret pópulo isti, nisi quando recessit à cultu Dómini Dei sui. ℣. Dóminus Deus ejus cum eo est, & clangor victóriæ regis cum eo: * Et. ℣. Glória. † Non. Judith. 5. Num. 23.

LECTIO III.

Ex Catechési Mystagógicâ quintâ sancti Cyrilli Jerosolymitáni Epíscopi. Edit. Bened. Sec. IV. med. n. 2 & 3.

VIdistis Diáconum, Sacerdóti & Presbyteris altáre Dei circumstántibus aquam abluendis mánibus porrigentem. Nullátenus verò propter corpóreas sordes extergendas dabat. At ea mánuum ablútio symbolum est, mundos vos ab ómnibus peccátis & prævaricatiónibus esse debére. Non audisti beátum David hoc nobis mystérii aperientem, aientemque: Lavábo inter innocentes manus meas, & circúmdabo altáre tuum, Dómine? Itaque quòd manus abluuntur, signum est immunitátis à peccátis. Deinde clamat Diáconus: Vos ínvicem suscípite, osculemurque mútuò. Ne ósculum illud arbitrére ejusdem órdinis ac moris esse, quália illa sunt quæ inter commúnes amícos in foro frequentantur. Non est hujúsmodi ósculum istud. Animas enim mútuò cónciliat & miscet, atque omnem illis injuriárum obliviónem spondet. Signum ígitur est ósculum hoc, ánimas sibi ínvicem admiscéri, & omnem injuriárum memóriam ablegáre.

℟. Si offers munus tuum ad altáre, & ibi recordátus fúeris quia frater tuus habet áliquid adversùm te: relinque ibi munus tuum ante altáre, & * Vade priùs reconciliári fratri tuo, & tunc véniens ófferes munus tuum. ℣. Misericórdiam vólui, & non sacrifícium, & sciéntiam Dei plusquã holocausta. * Vade. ℣. Glória. * Vade. Matth. 5. Osée 6.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 22. *Cap.* 1.

HUjus quippe quod in Missâ perágitur oblatióne placátus Dóminus, grátiam & donum pœniténtiæ concédens, crímina & peccáta, étiam ingéntia dimittit: una enim eádemque est hóstia, idem nunc ófferens sacerdótum ministério, qui se ipsum tunc in cruce óbtulit, solâ offerendi ratióne diversâ. Quare non solùm pro fidélium vivórum peccátis, pœnis, satisfactiónibus, & áliis necessitátibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgátis, ritè juxtà Apostolórum traditiónem offertur.

---

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Libro primo Regum. *Cap.* 15.

DIxit Sámuel ad Saül: Me misit Dóminus, ut úngerem te in regem super pópulum ejus Israel: nunc ergo audi vocem Dómini: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Recénsui quæcumque fecit Amalec Israéli, quómodo réstitit ei in viâ cùm ascénderet de Ægypto. Nunc ergo vade, *& pércute* Amalec, & demolíre universa ejus: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsíus áliquid: sed intérfice à viro usque ad mulíerem, & párvulum, atque lactentem, bovem & ovem: camélum & ásinum. ¶ Percussitque Saül Amalec. Et apprehendit Agag regem Amalec vivum: omne autem vulgus interfécit in ore gládii. Et pepercit Saül, & pópulus, Agag, & óptimis grégibus óvium & armentórum, & véstibus & ariétibus, & universis, quæ pulchra erant, nec voluérunt dispérdere ea: quidquid verò vile fuit & réprobum, hoc demolíti sunt. Factum est autem verbum Dómini ad Sámuel, dicens: Pœnitet me quòd constitúerim Saül regem: quia derelíquit me, & verba mea ópere non implévit. Contristatusque est Sámuel, & clamávit ad Dóminum totâ nocte.

LECTIO II.

VEnit ergo Sámuel ad Saül, & Saül offerébat holocaustum Dómino de inítiis prædárum, quæ adtúlerat ex Amalec. Et ait Sámuel: Nonne cùm párvulus esses in óculis tuis, caput in tríbubus Israel factus es? Unxitque te Dóminus in regem super Israel. Quare ergo non audísti vocem Dómini? Et ait Saül

ad Samuélem: Immo audívi vocem Dómini, & ambulávi in viâ per quam misit me Dóminus, & adduxi Agag regem Amalec, & Amalec interféci. Tulit autem de prædâ pópulus oves & boves, primítias eórum quæ cæsa sunt, ut immolet Dómino Deo suo in Gálgalis. Et ait Sámuel: Numquid vult Dóminus holocausta & víctimas, & non pótiùs ut obediátur voci Dómini? Mélior est enim obediéntia quàm víctimæ, & auscultáre magìs quàm offerre ádipem aríetum. ¶ Pro eo ergo quòd abjecisti sermónem Dómini, abjécit te Dóminus ne sis rex. Dixitque Saül ad Samuélem: Peccávi, quia prævaricátus sum sermónem Dómini, & verba tuá, timens pópulum, & obédiens voci eórum: sed nunc porta, quæso, peccátum meum, & revértere mecum, ut adórem Dóminum. Et ait Sámuel ad Saül: Non revertar tecum, quia projecisti sermónem Dómini & projécit te Dóminus ne sis rex super Israel. Et conversus est Sámuel ut abíret: ille autem apprehendit summitátem pállii ejus, quæ & scissa est. Et ait ad eum Sámuel: Scidit Dóminus regnum Israel à te hódie, & trádidit illud próximo tuo melióri te.

℟. I. Dixit Sámuel ad Saül: Pércute Amalec, non parcas ei: & pepercit Saül Agag. Et ait Sámuel ad Saül: * Pro eo quod abjecisti sermónem Dómini, abjécit te Dóminus. ℣. Quicumque totam legem serváverit, offendat autem in uno, factus est ómnium reus. * Pro. *I. Reg.* 15. *Jac.* 2.

℟. II. Nunc, reges, intellígite: erudímini qui judicátis terram: * Apprehéndite disciplínam, nequando irascátur Dóminus, & pereátis de viâ justâ. ℣. Data est à Dómino potestas vobis, & virtus ab Altíssimo qui interrogábit ópera vestra: * Apprehéndite. *Ps.* 2. *I. Sap.* 6.

℟. III. Custódi pedem tuum ingrédiens domum Dei, & appropinqua ut áudias; * Multò enim mélior est obediéntia, quàm stultórum víctimæ, qui nésciunt quid fáciunt mali. ℣. Qui permánserit in lege, non audítor oblivi ósus factus, sed factor óperis, hic beátus in facto suo erit; * Multò. *Eccle.* 4. *Jac.* 1.

℟. IV. Triumphátor in Israel non parcet, & pœnitúdine non flectétur; * Neque enim homo est ut agat pœniténtiam. ℣. Si non crédimus, ille fidélis pérmanet, negáre seipsum non potest: * Neque.

℣. Glória. * Neque. *I. Reg.* 15. *II. Tim.* 2.

LECTIO III.

Ex Catechési Mystagógicâ quintâ sancti Cyrilli Jerosolymitáni Epíscopi. *Edit. Bened. n.* 4 & 5.

POstea clamat Sacerdos: Sursum corda. Verè enim in hâc perquàm máximè tremendâ horâ, cor sursum habére oportet ad Deum, & non deorsum circa terram & terréna negótia, Idem ígitur est ac si præcípiat Sacerdos, ut omnes circa illam horam depónant curas vitæ hujus & doméſticas sollicitúdines, habeantque sursum in cœlo cor ad clementem Deum. Deinde respondétis: Habémus ad Dóminum; ei præcepto per eam quam pronuntiátis confessiónem adsentientes. Nemo ígitur ita comparátus adsit, ut quum ore dicat: Habémus ad Dóminum, cogitatióne mentem hábeat hujus vitæ curis occupátam. Post hæc Sacerdos ait: Grátias agámus Dómino. Verè enim grates ágere debémus, quòd cùm indigni essémus, ad tantam nos vocávit grátiam; quòd inimíci cùm essémus, nos reconciliávit; quòd spíritu adoptiónis est dignátus. Ad hæc vos subjícitis: Dignum & justum. Dum enim grátias ágimus, dignam rem ágimus & justam: ipse autem non justè, sed præter justum agens, nobis benefécit, & tantis bonis nos dignos effécit.

℟. Per Christum offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est, fructum labiórum confiténtium nómini ejus: * Tálibus enim hóstiis promerétur Deus. ℣. Beneficéntiæ & communiónis nolíte oblivísci: * Tálibus enim. ℣. Glória. * Tálibus. *Hebr.* 13.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 22. *Cap.* 3.

QUamvis in honórem & memóriam Sanctórum non nullas interdum Missas Ecclésia celebráre consuéverit, non tamen illis sacrifícium offerri docet, sed Deo soli qui illos coronávit. Unde nec Sacerdos dícere solet: Offero tibi sacrifícium, Petre vel Paule; sed Deo de illórum victóriis grátias agens, eórum patrocínia implórat, ut ipsi pro nobis intercédere dignentur in cœlis, quorum memóriam fácimus in terris.

---

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Libro primo Regum. *Cap.* 16.

DIxit Dóminus ad Samuélem: Usquequo tu luges Saül, cùm ego

projécerim eum ne regnet super Israel? Imple cornu tuum óleo, & veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemítem: provídi enim in fíliis ejus mihi regem. Fecit ergo Sámuel, sicut locútus est ei Dóminus. Venítque in Béthlehem, & admiráti sunt senióres civitátis, occurrentes ei, dixerúntque: Pacificúsne est ingressus tuus? Et ait: Pacíficus: ad immolandum Dómino veni, sanctificámini, & veníte mecum ut ímmolem. ¶ Sanctificávit ergo Isai & filios ejus, & vocávit eos ad sacrifícium. Cùmque ingressi essent, vidit Eliab, & ait: Num coram Dómino est Christus ejus? Et dixit Dóminus ad Samuélem: Ne respícias vultum ejus, neque altitúdinem statúræ ejus: quóniam abjéci eum, nec juxta intúitum hóminis ego júdico: homo enim videt ea quæ parent, Dóminus autem intuétur cor. Adduxit ítaque Isai septem filios suos coram Samuéle: & ait Samuel ad Isai: Non elégit Dóminus ex istis.

LECTIO II.

DIxitque Sámuel ad Isai: Numquid jam compléti sunt filii? Qui respondit: Adhuc réliquus est párvulus, & pascit oves. Et ait Sámuel ad Isai, Mitte: & adduc eum: nec enim discumbémus priusquam huc ille véniat. Misit ergo, & adduxit eum. Erat autem rufus, & pulcher adspectu, decoráque fácie. Et ait Dóminus: Surge, unge eum, ipse est enim. ¶ Tulit ergo Sámuel cornu ólei, & unxit eum in médio fratrum ejus: & diréctus est Spíritus Dómini à die illâ in David, & deinceps: surgensque Sámuel ábiit in Rámatha. Spíritus autem Dómini recessit à Saül, & exagitábat eum spíritus nequam, à Dómino.

℟. I. Amóto Saül, suscitávit Deus David regem, cui testimónium pérhibens, dixit: * Invéni David fílium Jesse, virum secúndùm cor meum, qui fáciet omnes voluntátes meas. ℣. Factum est verbum Dómini ad Sámuel, dicens: Pœnitet me quòd constitúerim Saül regem, quia derelíquit me. * Invéni. *Act.* 13. *Reg.* 15.

℟. II. De Juda elégit Dóminus príncipes: porrò de domo Juda domum patris mei; * Et de filiis patris mei plácuit ei ut me elígeret. ℣. Præcépit mihi ut essem dux super pópulum Dómini in Israel. * Et. *I. Paral.* 28. *II. Reg.* 6.

℟. III. Elégit Dóminus David servum suum, * Páscere Jacob servum suum, & Israel hæreditátem suam,

℣. Sústulit eum de grégibus óvium, de post fœtantes accépit eum, * Páscere. *Ps.* 77.

℟. IV. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum; * Manus enim mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortábit eum. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, & filius iniquitátis non appónet nocére ei. * Manus. ℣. Glória. * Manus. *Ps.* 88.

LECTIO III.

Ex Catechési Mystagógicâ quintâ sancti Cyrilli Jerosolymitáni Epíscopi. *Edit. Bened. n. 6 & 7.*

FAcimus deinde mentiónem cœli & terræ, & maris, solis & lunæ, astrórum, & totíus creatúræ tam ratióne prædítæ quàm caréntis, visíbilis & invisíbilis: Angelórum, Archangelórum, virtútum, dominatiónum, principátuum, potestátum, thronórum; Chérubim multis faciébus præditórum: quasi dicentes Davídicum illud, Mágnificáte Dóminū mecum. Mentiónem étiam fácimus Séraphim quæ in Spíritu sancto vidit Esáias thronum Dei circumstántia; & duábus alis fáciem tegéntia duabúsque pedes, ac duábus volántia, & dicéntia: Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus Sábaoth. Proptérea enim tráditam nobis ab Seraphínis hanc Theológiam, seu Dei celebratiónem recitámus, ut commúni laudum modulatióne cum superióribus mundo exercítibus conjungámur. Deinde, postquam nosmetipsos per has spirituáles laudes sanctificávimus, Deum benignum exorámus ut emittat sanctum Spíritum super dona propósita; ut fáciat panem quidē Corpus Christi, vinum verò Sánguinem Christi. Omníno enim quodcumque adtígerit Spíritus sanctus, id sanctificátum & transmutátum est.

℟. Séraphim clamábant alter ad álterum, & dicébant: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dóminus Deus exercítuum: † plena est omnis terra glóriâ ejus. ℣. Réquiem non habébant die ac nocte, dicéntia: * Sanctus. ℣. Glória. † Plena. *Isai.* 6. *Apoc.* 4.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 22. *Can.* 3.

SI quis díxerit Missæ sacrificium tantùm esse laudis & gratiárum actiónis, aut nudam commemoratiónem sacrifícii in cruce peracti; non autem propitiatórium: vel soli prodésse suménti, neque pro vivis & defunctis, pro peccátis, pœnis, satisfa-

ctiónibus, & áliis necessitátibus offerri debére; anáthema sit.

---

# FERIA QUINTA.

## LECTIO I.

Ex Libro primo Regum. Cap. 17.

Congregantes autẽ Philísthiim ágmina sua in prælium, convenérunt in Socho Judæ. Porrò Saül & filii Israel congregáti venérunt in Vallem terebinthi, & direxérunt áciem ad pugnandum contra Philísthiim. Et Philísthiim stabant super montem ex parte hâc; & Israel stabat supra montem ex álterâ parte: vallisque erat inter eos. ¶ Et egressus est vir spúrius de castris Philisthinórum nómine Góliath, de Geth, altitúdinis sex cubitórum & palmi. Stansque clamábat adversùm phalangas Israel, & dicébat eis: Quare venistis paráti ad prælium? Numquid ego non sum Philisthæus, & vos servi Saül? Elígite ex vobis virum; & descendat ad singuláre certámen. Si quíverit pugnáre mecum, & percússerit me, érimus vobis servi: si autem ego prævalúero, & percússero eum, vos servi éritis, & serviétis nobis. Audiens autem Saül, & omnes Israelítæ, sermónes Philisthæi hujuscémodi, stupébant & metuébant nimis.

## LECTIO II.

Locútus est David Sáuli: Non cóncidat cor cujusquam in eo: ego servus tuus vadam, & pugnábo adversùs Philisthæum. Et tulit báculum suum, quem semper habébat in mánibus, & elégit sibi quinque limpidíssimos lápides de torrente, & misit eos in peram pastorálem, quam habébat secum, & fundam manu tulit: & procéssit adversùm Philisthæũ. Dixit autem David ad Philisthæum: Tu venis ad me cum gládio, & hastâ, & clypeo: ego autem vénio ad te in nómine Dómini exercítuum, Dei ágminum Israel, quibus exprobrasti hódie, & dabit te Dóminus in manu meâ, & percútiam te, & áuferam caput tuum à te: & dabo cadávera castrórum Philísthiim hódie volatílibus cœli, & béstiis terræ; ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel. Et nóverit univérsa ecclésia hæc, quia non in gládio, nec in hastâ salvat Dóminus: ipsius enim est bellum, & tradet vos in manus nostras. ¶ Cùm ergo surrexisset Philisthæus, & veníret & appropinquáret contra David, festinávit David & cucurrit ad pugnam ex

adverso Philisthæi. Et misit manum suam in peram, tulitque unum lápidem, & fundâ jecit, & circumdúcens percússit Philisthæum in fronte: & infixus est lapis in fronte ejus, & cécidit in fáciem suam super terram. Prævaluitque David adversùm Philisthæum in fundâ & lápide, percussumque Philisthæum interfécit.

℟. I. Quasi adeps separátus à carne, sic David à filiis Israël; * Cum leónibus lusit, quasi cum agnis; & in ursis simíliter fecit in juventúte suâ. ℣. Veniébat leo, vel ursus, & tollébat aríetem, & persequébar eos, eruebamque de ore eórum, & suffocábam eos: * Cum. *Eccli.* 47. *I. Reg.* 17.

℟. II. Nunc vadam, & áuferam oppróbrium pópuli: * Quóniam quis est iste Philisthæus incircumcísus, qui ausus est maledícere exercítui Dei viventis? ℣. Gigas non salvábitur in multitúdine fortitúdinis suæ. * Quóniam. *I. Reg.* 17. *Ps.* 32.

℟. III. Benedictus Dóminus Deus meus, * Qui docet manus meas ad prælium, & dígitos meos ad bellum. ℣. Misericórdia mea & refúgium meum, protector meus, & in ipso sperávi, * Qui. *Ps.* 143.

℟. IV. Dóminus * Qui erípuit me de manu leónis & de manu ursi, & † Ipse liberábit me de manu Philisthæi hujus. ℣. Vivit Dóminus, & benedictus Deus meus: & exaltétur Deus salútis meæ. * Qui. ℣. Glória. † Ipse. *I. Reg.* 17. *Ps.* 17.

LECTIO III.

Ex Catechési Mystagógicâ quintâ sancti Cyrilli Jerosolymitáni Epíscopi. *Edit. Bened. n.* 8, 9, & 10.

Postquam perfectum est spirituále sacrificium, incruentus cultus, super illam propitiatiónis hóstiam obsecrámus Deum pro commúni Ecclesiárum pace: pro rectâ mundi compositióne; pro milítibus, & sóciis: pro iis qui infirmitátibus labórant; pro his qui afflictiónibus premuntur: & universim pro ómnibus qui opis indigent: precámur nos omnes, & hanc víctimam offérimus. Póstea recordámur eórum quoque qui obdormiérunt: primùm Patriarchárum, Prophetárum, Apostolórum, Mártyrum; ut Deus eórum précibus & legatiónibus oratiónem nostram suscípiat. Deinde & pro defunctis sanctis Pátribus & Epíscopis, & ómnibus generátim qui inter nos vitâ functi sunt, orámus; máximum hoc credentes adjumentum illis animábus

fore, pro quibus orátio defertur, dum sancta & perquàm tremenda coràm jacet víctima. Tum verò post hæc illam recitámus oratiónem, quam Salvátor própriis suis discípulis trádidit.

℟. Obsecro primùm ómnium fieri obsecratiónes, oratiónes, pro ómnibus homínibus: pro régibus, & ómnibus qui in sublimitáte sunt; ut quiétam, & tranquillam vitam agámus in omni pietáte. * Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatóre nostro Deo. ℣. Quærite pacem civitátis, & oráte pro eâ ad Dóminum: quia in pace illíus erit pax vobis: * Hoc. ℣. Glória. *Hoc. *I. Tim.* 2. *Jerem.* 29.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 22. *Can.* 2.

SI quis dixerit, illis verbis: Hoc fácite in meã commemoratiónem, Christum non instituisse Apóstolos sacerdótes, aut non ordinasse ut ipsi aliíque sacerdótes offerrent corpus & sánguinem suum; anáthema sit.

---

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Libro primo Regum. *Cap.* 18 & 19.

POrrò cùm reverterétur percusso Philisthæo David, egressæ sunt mulíeres de univérsis úrbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes, in occursum Saül regis. Et præcinébant mulíeres ludentes, atque dicentes: Percussit Saül mille, & David decem míllia. Irátus est autem Saül nimis, & displícuit in óculis ejus sermo iste: dixitque: Dedérunt David decem míllia, & mihi mille dedérunt: quid ei súperest nisi solum regnum? Non rectis ergo óculis Saül adspiciébat David à die illâ, & deinceps. ¶ Locútus est autem Saül ad Jónatham filium suum, & ad omnes servos suos ut occíderent David. Porro Jónathas fílius Saül diligébat David valde. Locútus est ergo Jónathas de David bona ad Saül patrem suum: dixitque ad eum: Ne pecces, rex, in servum tuum David, quia non peccávit tibi, & ópera ejus bona sunt tibi valde. Et pósuit ánimam suam in manu suâ, & percussit Philisthæum; & fecit Dóminus salútem magnam universo Israéli: vidisti, & lætátus es. Quare ergo peccas in sánguine innóxio, interfíciens David, qui est absque culpâ?

LECTIO II. *Cap.* 22 & 23.

AIt autem Doeg Idumæus ad Saül: Vidi filium Isai in Nobe, apud Achímelech filium Achi-

nob sacerdótem. Qui consúluit pro eo Dóminum, & cibária dedit ei: sed & gládium Góliath Philistæi dedit illi. Misit ergo rex ad accersendum Achímelech, & omnem domum patris ejus, sacerdótum, qui erant in Nobe; qui universi venérunt ad regem. Et ait Saül ad Achímelech: Quare conjurastis adversùm me, tu, & filius Isai? morte moriéris tu, & omnis domus patris tui. Et ait rex ad Doeg: Convértere tu, & írrue in sacerdótes. Conversúsque Doeg Idumæus írruit in sacerdótes, & trucidávit in die illâ octoginta quinque viros vestitos ephod líneo. ¶ Evádens autem unus fílius Achímelech, cujus nomen erat Abíathar, fugit ad David. Morabátur autem David in desérto in locis firmíssimis; quærébat eum tamen Saül cunctis diébus: & non trádidit eum Deus in manus ejus. Et surréxit Jónathas fílius Saül, & ábiit ad David in silvam, & confortávit manus ejus in Deo: dixítque ei: Ne tímeas: neque enim invéniet te manus Saül patris mei, & tu regnábis super Israel, & ego ero tibi secundus, sed & Saül pater meus scit hoc. Percussit ergo uterque fœdus coram Dómino: mansítque David in silvâ: Jónathas autem reversus est in domum suam.

℟. I. Désine ab irâ, & derelínque furórem: noli æmulári ut malignéris; * Quóniam qui malignantur exterminabuntur, mansuéti autem hæreditábunt terram. ℣. Ait ad Saül Sámuel; Scidit Dóminus regnum Israel à te, & trádidit illud próximo tuo melióri te, * Quóniam. *Ps. 36. I. Reg. 15.*

℟. II. Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * Comprehendat inimícus & conculcet in terrâ vitam meam, & glóriam meam in pûlverem dedúcat. ℣. Dómine Deus: si feci istud, si est iníquitas in mánibus meis; * Comprehendat. *Ps. 7.*

℟. III. Quid gloriáris in malítiâ, qui potens es in iniquitáte? totâ die injustítiam cogitávit lingua tua. * Proptérea Deus déstruet te in finem. ℣. Dilexísti malítiam super benignitátem, iniquitátem magis quàm loqui æquitátem: * Proptérea. *Ps. 51.*

℟. IV. Liberávit me Dóminus ab inimíco meo potentíssimo, & ab his qui óderant me; quóniam robustióres me erant: * Prævénit me in die afflictiónis meæ, & liberávit me, quia complácuit ei. ℣. Novit Dóminus pios de tentatióne erípere. * Prævénit.

℣. Glória. * Prævénit. *II. Reg.* 22. *II. Petr.* 2.

LECTIO III.

Ex Homíliâ décimâ séptimâ sancti Joannis Chrysóstomi Epíscopi in Epístolam ad Hebræos. *Ed. Bened. Cap.* 10. *n.* 5.

TErríbili clamóre, tamquàm præco, manum tollens in altum, stans excelsus, & ómnibus manifestus, & in tremendo illo siléntio vehementer vociferans, álios quidem vocat, álios verò arcet Sacerdos: non hoc manu fáciens, sed linguâ cláriùs & apértiùs quàm manu. Nam vox illa in nostras aures incurrens, tamquàm manus, álios quidem expellit & éjicit, álios autem introdúcit & sistit. Nam quando dicit: Sancta sanctis, hoc dicit: Si quis non est sanctus, non accédat. Non solùm, inquit; à peccátis purus, sed étiam sanctus. Sanctum enim non facit solùm liberátio à peccátis, sed étiam præséntia Spíritûs, & bonórum óperum cópiæ. Non solùm, inquit, volo vos à cœno esse liberátos, sed albos esse, & speciósos.

℟. Probet seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de cálice bibat. * Qui enim mandúcat, & bibit indignè, judícium sibi mandúcat & bibit, non dijúdicans corpus Dómini. ℣. Qui justus est, justificétur adhuc. * Qui. ℣. Glória. * Qui. *I. Cor.* 11. *Apoc.* 22.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *An.* 1562. *Sess.* 22.

QUanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ sacrificium omni religiónis cultu ac veneratióne celebrétur, quivis fácile existimáre póterit, qui cogitârit, maledictum in sacris lítteris eum vocári qui opus Dei facit negligenter. Quòd si necessáriò fatémur nullum áliud opus ádeò sanctum ac divínum à Christi fidélibus tractári posse, quàm hoc ipsum tremendum mystériũ, quo vivífica illa hóstia, quâ Deo Patri reconciliáti sumus, in altári per Sacerdótes quotídie immolátur: satis étiam appáret omnem óperam & diligéntiam in eo ponendam esse, ut quanta máxima fieri potest interióri cordis mundítiâ & puritáte, atque exterióri devotiónis ac pietátis spécie, peragátur.

---

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Libro primo Regum. *Cap.* 26.

VIdens David quòd venisset Saül post se in desertum, misit explorató-

res & dídicit quòd illuc venit certíssimè. Venérunt David & Abísai ad pópulum nocte, & invenérunt Saül jacentem & dormientem in tentório. Dixitque Abísai ad David: Conclúsit Deus inimícum tuum hódie in manus tuas. Nunc ergo perfódiam eum lánceâ in terrâ, semel, & secundò opus non erit. Et dixit David ad Abísai: Ne interfícias eum: quis enim extendet manum suam in Christum Dómini, & ínnocens erit? Tulit ígitur David hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saül: & abiérunt: & non erat quisquam, qui vidéret, & intellígeret, & evigiláret, sed omnes dormiébant quia sopor Dómini irrúerat super eos. ¶ Cùmque transisset David ex adverso, clamávit ad pópulum, & ad Abner filium Ner, dicens: Nonne respondébis Abner? Et respondens Abner, ait: Quis es tu qui clamas, & inquiétas regem? Et ait David ad Abner: Quare non custodísti Dóminum tuum regem? ingressus est enim unus de turbâ ut interfíceret regem Dóminum tuum. Non est bonum hoc, quod fecisti: vivit Dóminus, quóniam filii mortis estis vos, qui non custodístis dóminum vestrum, Christum Dómini. Nunc ergo vide ubi sit hasta regis, & ubi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput ejus.

*Responsoria ut heri.*

LECTIO II.

Cognóvit autem Saül vocem David, & dixit: Numquid vox hæc tua, fili mi David? Et ait David: Vox mea, dómine mi rex. Et ait: Quam ob causam dóminus meus persequitur servum suum? quid feci? aut quod est malum in manu meâ? Nunc ergo audi, oro, dómine mi rex, verba servi tui: si Dóminus íncitat te adversùm me, odorétur sacrifícium: si autem filii hóminum, maledicti sunt in conspectu Dómini. ¶ Et ait Saül: Peccávi; revértere, fili mi, David: nequáquam enim ultrà tibi malefáciam: eo quòd pretiósa fúerit ánima mea in óculis tuis hódie: appáret enim quòd stultè égerim, & ignoráverim multa nimis. Et respondens David, ait: Ecce hasta regis: tránseat unus de púeris regis, & tollat eam. Dóminus autem retríbuet unicuíque secundùm justítiam suam, & fidem: trádidit enim te Dóminus hódie in manum meam, & nólui exténdere manum meam, in Christum Dómini.

LECTIO III.

Ex Catechési Mystagógicâ quintâ sancti Cyrilli Jerosolymitáni Epíscopi. *Edit. Bened. n.* 20. *&c.*

AUdivisti vocem psallentis, divínâ quâdam melódiâ ad sanctórum mysteriórum communiónem invitantis ac dicentis: Gustáte & vidéte, quòd bonus est Dóminus. Adiens ígitur, ne expansis mánuũ volis, neque disjunctis dígitis accéde; sed sinistram velut thronum subjíciens dextræ, útpote Regem susceptúræ: & concávâ manu súscipe corpus Christi, respondens: Amen. Postquam autem cautè óculos tuos sancti córporis contactu sanctificáveris, illud pércipe: advígilans ne quid ex eo tibi depéreat: quod enim intercídere patiéris, id tibi tamquàm ex própriis membris deminútum puta. Tum verò post communiónem córporis Christi, accéde & ad sánguinis póculum: non extendens manus; sed pronus, & adoratiónis ac veneratiónis in modum, dicens: Amen, sanctificéris ex sánguine Christi quoque sumens. Et cùm adhuc lábiis tuis adhæret ex eo mador, mánibus adtingens, & óculos & frontem & réliquos sensus sanctífica. Postrémò exspectans oratiónem, grátias age Deo, qui te tantis mystériis impertíre dignátus est. Eas traditiónes inviolátas retinéte; & inoffensos vosmet serváte. A communióne ne vos abscíndite: neque propter peccatórum inquinamentum sacris istis & spirituálibus defraudáte mystériis.

℟. Immolábit agnum multitúdo filiórum Israel ad vésperam; & edent carnes & ázymos panes: * Quicumque coméderit fermentátum, períbit. ℣. Pascha nostrum immolátus est Christus: ítaque epulémur non in fermento malitiæ & nequítiæ, sed in ázymis sinceritátis & veritátis. * Quicumque. ℣. Glória. * Quicumque. *Exod.* 12. *I. Cor.* 5.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi tértio. *An.* 1573. *Can.* 12.

SAcerdótes, quo die eórum unusquisque sacerdótio initiátus est, illum étiam quotannis récolant Missæ sacrificio & précibus.

*Ad* Magníficat. *Ant.* David in suâ misericórdiâ consecútus est sedem regni in sécula. *I. Mach.* 2.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 264.

## DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

## *IN I. NOCTURNO.*

### Lectio I.

Incipit Liber secundus Regum. *Cap.* 1.

FActum est autem, postquam mórtuus est Saül, appáruit homo véniens de castris Saül veste conscissâ, & púlvere conspersus caput: & ut venit ad David, cécidit super fáciem suam, & adorávit. Dixitque ad eum David: Unde venis? Qui ait ad eum: De castris Israel fugi. Fugit pópulus ex prælio, & multi corruentes è pópulo mórtui sunt: sed & Saül & Jónathas fílius ejus interiérunt. Et ait adolescens qui nuntiábat ei: Casu veni in montem Gélboe, & Saül incumbébat super hastam suam: porrò currus & équites appropinquábant ei, & conversus post tergum suum, vidensque me vocávit: cui cùm respondissem, Adsum, dixit mihi: Quisnam es tu? Et aio ad eum: Amalecítes ego sum. Et locútus est mihi: Sta super me, & intérfice me: quóniam tenent me angústiæ, & adhuc tota ánima mea in me est. Stansque super eum, occídi illum: sciébam enim quòd vívere non póterat post ruínam: & tuli diadéma quod erat in cápite ejus, & armillam de bráchio illíus, & ádtuli ad te dóminum meum huc.

℞. Non extendam manum meam in Dóminum meum, quia Christus Dómini est. * Quis enim extendet manum suam in Christum Dómini, & innocens erit? ℣. Propítius sit mihi Dóminus, ne extendam manum meã in Christum Dómini. * Quis. *I. Reg.* 24 & 26.

### Lectio II.

APprehendens autẽ David vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo, & planxérunt, & flevérunt, & jejunavérunt usque ad vésperam super Saül, & super Jónathan fílium ejus, & super pópulum Dómini, & super domum Israel, eo quòd corruissent gládio. Dixitque David ad júvenem qui nuntiáverat ei: Quare non timuisti míttere manum tuam ut occíderes Christum Dómini? Vocansque David unum de púeris suis, ait: Accédens írrue in eum. Qui percussit illum, & mórtuus est. Et ait ad eum David: Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locútum est adversùm te, dicens: ego interféci Christum Dómini.

℟. Qui credit in Dómino, misericórdiam díligit. * Errant qui operantur malum. Misericórdia & véritas præparant bona. ℣. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. * Errant. *Prov.* 14. *Rom.* 12.

LECTIO III.

PLanxit autem David planctum hujuscémodi super Saül, & super Jónathan filium ejus, & præcépit ut docérent filios Juda. Et ait: Consídera, Israel, pro his qui mórtui sunt super excelsa tua vulneráti. Inclyti, Israel, super montes tuos interfecti sunt: quómodo cecidérunt fortes? Montes Gélboe, nec ros, nec plúvia véniant super vos, neque sint agri primitiárum; quia ibi abjectus est clypeus fórtium, clypeus Saül, quasi non esset unctus óleo.

℟. Noli de mórtuo inimíco gaudére, & * In ruínâ ejus ne exultet cor tuū. ℣. Memento quóniam omnes mórimur, & in gáudium nólumus veníre. * In. *Eccli.* 8. *Prov.* 24.

LECTIO IV.

Ex Libro primo Paralipómenon. *Cap.* 10 & 11.

MOrtuus est ergo Saül propter iniquitátes suas, eo quòd prævaricátus sit mandátum Dómini quod præcéperat, & non custodíerit illud: sed ínsuper étiam pythonissam consulúerit, nec speráverit in Dómino: propter quod interfécit eum, & tránstulit regnum ejus ad David filium Isai. Congregátus est ígitur omnis Israel ad David in Hebron, dicens: Os tuum sumus, & caro tua. Heri quoque & nudiustértius, cùm adhuc regnáret Saül, tu eras qui educébas, & introducébas Israel: tibi enim dixit Dóminus Deus tuus: Tu pasces pópulum meum Israel, & tu eris princeps super eum. Venérunt ergo omnes majóres natu Israel ad regem in Hebron, & íniit David cum eis fœdus coram Dómino: unxeruntque eum regem super Israel, juxta sermónem Dómini, quem locútus est in manu Sámuel.

℟. Elégit Dóminus David servum suum, & * Sústulit eum de grégibus óvium: de post fœtantes accépit eum páscere Jacob servum suum, & Israel hæreditátem suam. ℣. Amóto Saül suscitávit David regem, cui testimónium pérhibens dixit: Invéni David filium Jesse, virum secundùm cor meum, qui fáciet omnes voluntátes meas. * Sústulit. ℣. Glória. * Sústulit. *Ps.* 77. *Act.* 13.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Procemio sancti Joannis Chrysóstomi Epíscopi in Matthæum. *Edit. Bened. n.* 1.

PAr esset quidem nos nullâ egére litterárum ope; sed ita puram exhibére vitam, ut Spíritûs grátia librórum instar nobis esset: ac sicut libri atramento, sic corda nostra Spíritu ipso essent inscripta. Quia verò hujúsmodi grátiam depúlimus, age, secundum navigatiónis cursum suscipiámus. Certè primum illum cursum præstantiórem fuisse, & verbis & opéribus ipsis ostendit Deus. Síquidem Noë & Abrahámo nepotibusque ejus, necnon Jobo, ipsíque Móysi, non per lítteras loquebátur, sed per se ipse, quòd purum in ipsis ánimum reperíret. Postquam autem universus Hebræórum pópulus in profundum nequítiæ delapsus est, necesse demùm fuit ut litteris & tábulis ad eórum commonitiónem uterétur; idque non in véteris solùm, sed in novi étiam Testamenti sanctis factum compérimus. Neque enim Apóstolis scripto quídpiam trádidit Deus; sed pro lítteris Spíritûs grátiam se datúrum illis pollícitus est: nam ille, ait, súggeret vobis ómnia.

℟. Vos unctiónem habétis à Sancto, & nostis ómnia. Et vos unctiónem quam accepistis ab eo, máneat in vobis. * Et non necesse habétis ut áliquis dóceat vos: sed sicut únctio ejus docet vos de ómnibus, & verum est, & non est mendácium. ℣. Vos epístola estis Christi scripta non atramento, sed Spíritu Dei vivi; * Et non. *I. Joan.* 2. *II. Cor.* 3.

LECTIO VI.

QUia verò post multum témporis álii circa dógmata, álii circa vitam & mores impegérunt, necessária dénuò fuit illa per lítteras institútio. Animadvertas velim, quantum illud malum sit; quòd etsi cum tantâ puritáte vitam ágere debeámus, ut ne libris quidem sit opus, sed librórum vice corda offerenda sint Spirítui sancto instituenda; postquam tantum honórem amísimus, atque eò redacti sumus, ut libris opus habeámus; ne hoc secundo quidem remédio, ut par esset, utámur. Nam si non culpâ vacat lítteris egére, nec per se Spíritûs grátiam adtráhere; cógita quantum crimen sit ne hoc quidem auxílio uti velle; sed litteras illas quasi frustra & témerè pósitas despícere, & majórem in se adtráhere pœnam.

℟. Omnis scriptúra divínitus inspiráta, útilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justítiâ: * Ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. ℣. Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrínam scripta sunt; * Ut. *II. Tim.* 3. *Rom.* 15.

LECTIO VII.

Ex Cohortatióne sancti Justíni Mártyris ad Græcos. *Edit. Bened. Sec. II. med. n.* 13.

SI quis ex iis, qui libenter contradícere solent, non nostros hos libros, sed Judæórum, eo quòd étiamnum in eórum synagógis adserventur, próprios esse dicat, ac frustra religiónem his libris acceptam à nobis referri; nóverit ille ex iis ipsis, quæ his in libris scripta sunt, non Judæórum, sed nostram esse horum librórum doctrínæ possessiónem. Quòd autem hi libri, qui religiónis nostræ próprii sunt, etiamnum apud Judæos adservantur, id providéntiæ divínæ nobis consulentis opus éxstitit. Nam ne ex Ecclésiâ proferentes locum suspicandæ fraudis præbeámus homínibus nobis obtrectandi cúpidis; ex Judæórum synagógis eos proferri postulámus, ut ex ipsis illis libris, qui adhuc apud eos adservantur, clarè & apertè nostras esse páteat leges, quæ à sanctis viris ad doctrínam scriptæ sunt.

℟. Omnia in figúris contingébant illis: * Scripta sunt autem ad correptiónem nostram. ℣. Crédita sunt illis elóquia Dei. * Scripta. *I. Cor.* 10. *Rom.* 3.

LECTIO VIII.

Ex Demonstratióne sancti Hippólyti Epíscopi & Mártyris de Christo & Antichristo. *Edit. Fabr. n.* 2.

QUia beáti Prophétæ óculi nobis fuérunt, ipsi per fidem, verbi mystéria prævidérunt, quæ & áliis póstmodum ætátibus ministrârunt, nedum quæ prætérita essent loquentes, sed & præséntia atque futúra nuntiantes, ne solùm prophéta temporáneus esse monstrarétur, sed & cunctis ætátibus futúra prædíceret, ut Prophéta esse existimarétur. Hi namque Patres Spíritu prophetíæ aptáti, dignéque ab ipso Verbo honoráti, quo nimírum velut órgana in se ipsis semper unítum Verbum tamquàm plectrum habérent; cujus nutu atque afflátu, quæ Deus vellet hæc Prophétæ annuntiábant. Non enim ex suâ facultáte loquebantur (verùm dico) nec quæ ex ánimo essent, hæc prædicábant: sed primum quidem Verbi númine ritè sapiéntiâ imbúti,

exinde per visa, quæ essent futúra probè prodocebantur; ac demum certâ jam rerum fide, ea dicébant ac prædicábant, quæ illis divíno númine duntaxat, manifesta forent, réliquis verò abscóndita. Nam quâ ratióne Prophéta, prophéta vocarétur, nisi quæ sunt futúra spíritu prævidéret? Nam si prophéta de casu áliquo loquerétur, ea loquendo non esset prophéta, quæ ob óculos cunctis pósita essent: sed qui futúra narret, is méritò prophéta existimátus est. Unde convenienter Prophétæ à princípio Videntes vocabantur. Unde & nos eórum probè docti vaticínia, non ex nostro sensu lóquimur.

℟. Habémus firmiórem prophéticum sermónem: cui benefácitis attendentes. * Non enim voluntáte humánâ alláta est aliquando Prophetía: Sed Spíritu sancto, locúti sunt sancti Dei hómines. ℣. Non facit Dóminus Deus verbum, nisi reveláverit secrétum ad servos suos Prophétas. ℣. Glória. * Non. *II. Petr.* 1. *Amos.* 3.

## *IN III. NOCTURNO.*

### Lectio IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses.

*Cap.* 4.

ITaque, fratres mei, caríssimi & desideratíssimi, gáudium meum, & coróna mea: sic state in Dómino, caríssimi. Evódiam rogo & Syntychen déprecor idipsum sápere in Dómino. Etiam rogo & te, germáne compar, ádjuva illas, quæ mecum laboravérunt in Evangélio cum Clemente, & cæteris adjutóribus meis, quorum nómina sunt in libro vitæ.

℟. Manda, Deus, virtúti tuæ. * Confirma hoc, Deus, quod operátus es in nobis. ℣. Neque qui plantat, est áliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus; *Confirma. *Ps.* 67. *I. Cor.* 3.

### Lectio X.

GAudéte in Dómino semper: íterum dico gaudéte. Modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus: Dóminus propè est. Nihil sollíciti sitis, sed in omni oratióne, & obsecratióne, cum gratiárum actióne petitiónes vestræ innotescant apud Deum. Et pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda vestra, & intelligéntias vestras in Christo Jesu. De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudíca, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabília, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc

cogitáte. Quæ & didicistis; & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc ágite; & Deus pacis erit vobiscum.

℟. Perfecti estóte, exhortámini, idem sápite, pacem habéte: * Et Deus pacis & dilectiónis erit vobiscum. ℣. Semper gaudéte. Sine intermissióne oráte. In ómnibus grátias ágite: * Et Deus. *II. Cor.* 13. *I. Thess.* 5.

LECTIO XI.

GAvísus sum autem in Dómino vehementer, quóniam tandem aliquando refloruistis pro me sentíre, sicut & sentiebátis: occupáti autem erátis. Non quasi propter penúriam dico: ego enim dídici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio & humiliári, scio & abundáre; (ubíque & in ómnibus institútus sum) & satiári, & esuríre, & abundáre, & penúriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat. Verúmtamen bene fecistis communicantes tribulatióni meæ.

℟. Ego per ómnia ómnibus pláceo, * Non quærens quod mihi útile est, sed quod multis ut salvi fiant. ℣. Omnia fácio propter Evangélium ut párticeps ejus efficiar, * Non. *I. Cor.* 10. & 9.

LECTIO XII.

SCitis autem & vos, Philippenses, quòd in princípio Evangélii, quando profectus sum à Macedóniâ, nulla mihi Ecclésia communicávit in ratióne dati & accepti, nisi vos soli. Quia & Thessalónicam semel & bis in usum mihi misistis. Non quia quæro datum, sed requíro fructum abundantem in ratióne vestrâ. Hábeo autem ómnia, & abundo: replétus sum, acceptis ab Epaphródito quæ misistis, odórem suavitátis, hóstiam acceptam, placentem Deo. Deus autem meus ímpleat omne desidérium vestrum, secundùm divítias suas, in glóriâ in Christo Jesu. Deo autem & Patri nostro glória in sécula seculórum: Amen. Salutáte omnem sanctum in Christo Jesu. Salútant vos qui mecum sunt, fratres. Salútant vos omnes sancti, máximè autem qui de Cæsaris domo sunt. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro. Amen.

℟. Aptet vos Deus in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem: * Fáciens in vobis quod pláceat coram se † Per Jesum Christum. ℣. Det vobis cor ómnibus, ut colátis eum & faciátis ejus voluntátem, * Fáciens. ℣. Glória. † Per. *Hebr.* 13. *II. Mach.* 1.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.
*Cap. 5.*

CUm turbæ irrúerent in Jesum, ut audírent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genésareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatóres autem descénderant, & lavábant rétia. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simónis, rogávit eum à terrâ redúcere pusillùm. Et sedens docébat de navículâ turbas. Ut cessávit autem loqui, dixit ad Simónem: Duc in altum, & laxáte rétia vestra in captúram. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cépimus: in verbo autem tuo laxábo rete. Et cùm hoc fecissent, conclusérunt píscium multitúdinem copiósam; rumpebátur autem rete eórum. Et annuérunt sóciis, qui erant in áliâ navi, ut venírent, & adjuvárent eos. Et venérunt, & implevérunt ambas navículas, ita ut penè mergerentur. Quod cùm vidéret Simon Petrus, prócidit ad génua Jesu, dicens: Exi à me, quia homo peccátor sum, Dómine. Stupor enim circumdéderat eum, & omnes qui cum illo erant, in captúrâ píscium, quam céperant. Similiter autem & Jacóbum & Joannem, filios Zebedæi, qui erant sócii Simónis. Et ait ad Simónem Jesus: Noli timére, ex hoc jam hómines eris cápiens. Et subductis ad terram návibus, relictis ómnibus, secúti sunt eum.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Rumpebátur rete eórum. Et annuérunt sóciis, qui erant in áliâ navi, ut venírent: & venérunt, & implevérunt ambas navículas, ita ut penè mergerentur. *Luc. 5.*

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

DA nobis, quæsumus, Dómine, † ut & mundi cursus pacíficè nobis tuo órdine dirigátur, * & Ecclésia tua tranquillâ devotióne lætétur; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Carthaginensi tértio. *an. 397. Cod. Canon. Eccles. Afric. Cap. 24.*

PLácuit ut præter Scriptúras Canónicas nihil in Ecclésiâ legátur sub nómine divinárum Scripturárum. Sunt autem Canónicæ Scriptúræ, id est, Génesis, Exodus, Levíticus, Números, Deuteronómium, Jesus Nave, Júdices, Ruth, Regum libri quátuor, Paralipómenon libri

libri duo, Job, Psaltérium, Salomónis libri quinque, Libri duódecim Prophetárum, Isaías, Jeremías, Ezéchiel, Dániel, Tobías, Judith, Esther, Esdræ libri duo, Machabæórum libri duo. Novi Testamenti, Evangeliórum libri quátuor, Actuum Apostolórum liber unus, Epístolæ Pauli quatuórdecim, Petri Apóstoli Epístolæ duæ, Joannis Apóstoli tres, Jacóbi Apóstoli una, Judæ Apóstoli una, Apocalypsis Joannis Apóstoli liber unus. Hoc étiam fratri & consacerdóti nostro Bonifácio, vel áliis eárum pártium Epíscopis, pro confirmando isto Cánone innotescat, quia à Pátribus ista accépimus in Ecclésiâ legenda.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Simon Petrus prócidit ad génua Jesu, dicens: Exi à me, quia homo peccátor sum, Dómine. Stupor enim circumdéderat eum, & omnes, qui cum illo erant, in captúrâ píscium, quam céperant. *Luc.* 5.

---

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Libro secundo Regum. *Cap.* 6.

Congregávit autem rursùm David omnes eléctos ex Israel triginta míllia: surrexitque David, & ábiit, & universus pópulus, qui erat cum eo de viris Juda, ut addúcerent Arcam Dei, super quam invocátum est nomen Dómini exercítuum, sedentis in Chérubim super eam. Et imposuérunt Arcam Dei super plaustrum novum: tuleruntque eam de domo Abínadab, qui erat in Gábaa: Oza autem & Ahio filii Abínadab, minábant plaustrum novum. ¶ Postquam autem venérunt ad áream Nachon, extendit Oza manum ad Arcam Dei, & ténuit eam: quóniam calcitrábant boves, & declinavérunt eam. Iratusque est indignatióne Dóminus contra Ozam, & percussit eum super temeritáte: qui mórtuus est ibi juxta Arcam Dei. Et extímuit David Dóminum in die illâ, dicens. Quómodo ingrediétur ad me Arca Dómini? Et nóluit divértere ad se Arcam Dómini in civitátem David: sed divertit eam in domum Obédedom Gethæi.

LECTIO II.

Nuntiatumque est regi David quod benedixisset Dóminus Obédedom & ómnia ejus, propter Arcam Dei. Abiit ergo David, & adduxit Arcam Dei de domo Obédedom in civitátem David cum gáudio: &

David saltábat totis víribus ante Dóminum. Porrò David erat accinctus ephod líneo. Et David & omnis Israel ducébant Arcam testamenti Dómini, in júbilo, & in clangóre búccinæ. Et introduxérunt Arcam Dómini, & imposuérunt eam in loco suo, in médio tabernáculi, quod teténderat ei David; & óbtulit David holocausta, & pacífica coram Dómino, & benedixit pópulo in nómine Dómini exercítuum. ¶ Reversúsque est David ut benedíceret dómui suæ: & egressa Michol filia Saül in occursum David, ait: Quàm gloriósus fuit hódie rex Israel, discoopériens se ante ancillas servórum suórum! Dixitque David ad Michol: Ante Dóminum, qui elégit me pótiùs quàm patrem tuum, & quàm omnem domum ejus, & præcépit mihi ut essem dux super pópulum Dómini in Israel, & ludam, & vílior fiam plusquam factus sum: & ero húmilis in óculis meis: & cum ancillis, de quibus locúta es, gloriósior apparébo. Igitur Michol fíliæ Saül non est natus filius usque in diem mortis suæ.

℟. I. Tabernáculum testimónii fuit cum pátribus nostris, usque in diébus David, qui invénit grátiam ante Deum, * Et pétiit ut inveníret tabernáculum Deo Jacob. ℣. Congregávit ergo David cunctum Israel, ut addúceret Arcam Dómini de Cariathíarim. * Et. *Act.* 7. *I. Paral.* 13.

℟. II. Irritam quis fáciens legem Móysi sine ullâ miseratióne móritur; * Quantò magìs putátis deterióra meréri supplícia, qui Fílium Dei conculcáverit, & sánguinem testamenti pollútum dúxerit in quo sanctificátus est? ℣. Irátus est Dóminus contra Ozam, & percussit eum, eo quòd tetigisset Arcam, & mórtuus est. * Quantò. *Hebr.* 10. *I. Paral.* 13.

℟. III. Stare fecit cantóres contra altáre, & in sono eórum dulces fecit modos: * Ut laudárent nomen sanctum Dómini, & amplificárent manè Dei sanctitátem. ℣. Constítuit coram arcâ Dómini de Levítis, qui ministrárent in conspectu Arcæ júgiter per vices suas; * Ut. *Eccli.* 47. *I. Paral.* 16.

℟. IV. Elégi abjectus esse in domo Dei mei, * Magìs quàm habitáre in tabernáculis peccatórum. ℣. Ante Dóminum vílior fiam plusquam factus sum, & ero húmilis in óculis meis, * Magìs. ℣. Glória. * Magìs. *Ps.* 83. *II. Reg.* 6.

LECTIO III.

Ex Concióne tértiâ sancti Joannis Chrysóstomi Epíscopi de Lázaro. *Edit. Bened. n. 2.*

SI accésserit díligens léctio Scripturárum, non áliter quàm in sacris ádytis, rebus divínis initiáta ánima, sic repurgátur, meliorque rédditur, Deo cum ipsâ per illas Scriptúras colloquente. Quid ígitur, ínquiunt, si non intelligámus ea quæ continentur libris? Máximè quidem etiamsi non intélligas illic recóndita, tamen ex ipsâ lectióne multa náscitur sanctimónia. Quamquam fieri non potest ut ómnia ex æquo ignóres: proptérea síquidem Spíritûs grátia dispensávit, ac provídit, ut publicáni, piscatóres, tabernaculórum opífices, pastóres & caprárii, idiótæ, illitteráti, hos libros compónerent, & ne quis idiotárum ad hanc difficultátis confúgere posset excusatiónem, ut ómnibus facília conspectu essent ea quæ dicuntur, ut & ópifex, & fámulus, & vídua múlier, & ómnium hóminum indoctíssimus ex audítâ lectióne áliquid lucri utilitatísque reportáret. Non enim ad inánem glóriam, quemádmodum éthnici, sed ad audiéntium salútem hæc ómnia composuérunt, ii, quos ab inítio Deus dignátus est grátiâ Spíritûs.

℟. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dóminus, * Et quasi málleus cónterens petram? ℣. Vivus est sermo Dei, & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancípiti. * Et. ℣. Glória. * Et. *Jerem.* 23. *Hebr.* 4.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *An.* 1546. *Sess.* 4.

HOc sibi perpétuò ante óculos propónens sacro-sancta Synodus, ut sublátis erróribus, púritas ipsa Evangélii in Ecclésiâ conservétur; quod promissum ante per Prophétas in Scriptúris sanctis Dóminus noster Christus Dei Fílius próprio ore primùm promulgávit, deinde per suos Apóstolos, tamquàm fontem omnis salutáris veritátis, & morum disciplínæ, omni creatúræ prædicári jussit; perspiciensque hanc veritátem & disciplínam continéri in libris scriptis, & sine scripto traditiónibus, quæ ex ipsíus Christi ore ab Apóstolis acceptæ, aut ab ipsis Apóstolis Spíritu sancto dictante quasi per manus tráditæ, ad nos usque pervenérunt: orthodoxórum Patrum exemplo secúta, omnes libros tam véteris quàm novi Testa-

menti, cùm utriusque Deus sit autor, nec non traditiónes ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquàm vel ore tenus à Christo, vel à Spíritu sancto dictátas, & continuâ successióne in Ecclésiâ Cathólicâ conservátas, pari pietátis affectu ac reveréntiâ súscipit ac venerátur.

---

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Libro secundo Regum. *Cap.* 7.

FActum est autem cùm sedisset rex in domo suâ, & Dóminus dedisset ei réquiem úndique ab univérsis inimícis suis, dixit ad Nathan Prophétam: Videsne quod ego hábitem in domo cédrinâ, & arca Dei pósita sit in médio péllium? Dixitque Nathan ad Regem: Omne quod est in corde tuo, vade, fac: quia Dóminus tecum est. ¶ Factum est autem in illâ nocte: & ecce sermo Dómini ad Nathan, dicens: Vade, & lóquere ad servũ meum David: Hæc dicit Dóminus: Numquid tu ædificábis mihi domum ad habitandum? Cùm compléti fúerint dies tui, & dormíeris cum pátribus tuis, suscitábo semen tuum post te, quod egrediétur de útero tuo, & firmábo regnum ejus. Ipse ædificábit domum nómini meo, & stabíliam thronum regni ejus usque in sempitérnum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si iníquè áliud gésserit, árguam eum in virgâ virórum, & in plagis filiórum hóminum. Misericórdiam autem meam non áuferam ab eo, sicut ábstuli à Saül, quem amóvi à fácie meâ. Et fidélis erit domus tua, & regnum tuum usque in ætérnum ante fáciem tuam, & thronus tuus erit firmus júgiter.

LECTIO II. *Cap.* 7, 8 & 9.

INgressus est autem rex David, & sedit coram Dómino, & dixit: Quis ego sum, Dómine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? Sed & hoc parùm visum est in conspectu tuo, Dómine Deus, nisi loqueréris étiam de domo servi tui in longínquum. Nunc ergo, Dómine Deus, tu es Deus, & verba tua erunt vera; locútus es enim ad servum tuum bona hæc. Incipe ergo, & bénedic dómui servi tui, ut sit in sempitérnum coram te. ¶ Et regnávit David super omnem Israel: faciébat quoque David judícium & justítiam omni pópulo suo. Et dixit David: Putasne est áliquis qui remánserit de domo Saül, ut fáciam cum eo

misericórdiam propter Jónathan? Cùm autem venisset Miphíboseth filius Jónathæ filii Saül ad David, córruit in fáciem suam, & adorávit. Et ait ei David: Ne tímeas, quia fáciens fáciam in te misericórdiam propter Jónathan patrem tuum, & restítuam tibi omnes agros Saül patris tui, & tu cómedes panem in mensâ meâ semper.

℟. I. Non habitávi in domo, ex die quâ eduxi filios Israel de terrâ Ægypti usque in diem hanc, sed ambulábam in tabernáculo & in tentório. * Quam domum ædificábitis mihi? aut quis locus requietiónis meæ est? ℣. Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meórum. * Quam. *II. Reg.* 7. *Act.* 7.

℟. II. Hæc dicit Dóminus: * Si írritum potest fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte; & pactum meum írritum esse póterit cum David servo meo, ut non sit ex eo filius qui regnet in throno ejus. ℣. Semel jurávi in sancto meo, si David méntiar; * Si. *Jerem.* 33. *Ps.* 88.

℟. III. Germináre fáciam David germen justítiæ, & fáciet judícium & justítiam in terrâ: * Et hoc est nomen quod vocábunt eum, Dóminus justus noster. ℣. Dabit illi Dóminus sedem David patris ejus, & regni ejus non erit finis. * Et hoc. *Jerem.* 33. *Luc.* 1.

℟. IV. Régnávit David super universum Israel; * Et † Faciébat judicium atque justítiam cuncto pópulo suo. ℣. Pavit eos in innocéntiâ cordis sui, & in intelléctibus mánuum suárum deduxit eos; * Et. ℣. Glória. † Faciébat. *I. Paral.* 18. *Ps.* 77.

LECTIO III.

Ex Concióne tértiâ sancti Joannis Chrysóstomi Epíscopi de Lázaro. *Edit. Bened. n.* 3.

NOn intélligis quæ insunt in Scriptúris: quómodo possis aliquando intellígere, qui ne léviter quidem inspicere velis? Sume librum in manus, lege históriam omnem, & quæ nota sunt memóriâ tenens, ea quæ obscúra sunt, parumque manifesta, frequenter percurre. Quòd si non póteris assiduitáte lectiónis invenire quod dícitur; accéde ad sapientiórem, vade ad doctórem, commúnica de iis quæ scripta sunt, declára vehemens stúdium. Et si víderit te Deus tantam ánimi alacritátem adhibére, non despíciet tuam vigilántiam ac sollicitúdinem. Verùm etiamsi nullus homo te docúerit quod quæris, ipse

sine dúbio reserábit. Ne neglexérimus nostram salútem, dilectíssimi, hæc ómnia scripta sunt propter nos ad correctiónem nostrî, in quos fines seculórum devenérunt. Magna adversùs peccátum munítio est, Scripturárum léctio: magnum præcipítium, profundum báratrum, Scripturárum ignorátio; magna salútis perdítio, nihil scire ex divínis légibus: ea res & hæreses péperit, ea vitam corruptam invexit, hoc sursum deorsùm míscuit ómnia.

℟. Cogitátum tuum habe in præceptis Dei, & in mandátis illíus máximè assíduus esto: * Et ipse dabit tibi cor, & concupiscéntia sapiéntiæ dábitur tibi. ℣. Si sapiéntiam invocáveris, tunc intélliges timórem Dómini, & sciéntiam Dei invénies. * Et. ℣. Glória. * Et. *Eccli. 6. Prov. 2.*

CANON.

Ex Epístolâ Gregórii Papæ noni ad Germánum Constantinopolitánum Patriarcham. *An.* 1234.

CUm, juxtà testimónium veritátis, occíanus sit errórum ignoránti Scripturárum, cunctis éxpedit eas légere vel audíre; quia quæ in eis inspirátio divína repósuit pro doctrínâ sequéntium, ad cautélam tráhere vóluit modernórum.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Libro secundo Regum.

*Cap.* 12.

MIsit Dóminus Nathan ad David: qui cùm venísset ad eum, dixit ei: Duo viri erant in civitáte unâ, unus dives, & alter pauper: dives habébat oves, & boves plúrimos valde: pauper autem nihil habébat omníno, præter ovem unam párvulam, quam émerat, & nutríerat & quæ crevérat apud eum cum fíliis ejus simul, de pane illíus cómedens, & de cálice ejus bibens, & in sinu illíus dórmiens: eratque illi sicut fília. Cùm autem peregrínus quidam venísset ad dívitem, parcens ille súmere de óvibus & de bobus suis, ut exhibéret convívium peregríno illi, qui vénerat ad se, tulit ovem viri páuperis, & præparávit cibos hómini qui vénerat ad se. ¶ Irátus autem indignatióne David adversùs hóminem illum nimis, dixit ad Nathan: Vivit Dóminus, quóniam fílius mortis est vir qui fecit hoc. Ovem reddet in quádruplum, eo quòd fécerit verbum istud, & non pepércerit. Dixit autem Nathan ad David: Tu es ille vir: Hæc dicit Dóminus Deus Israel: Ego unxi te in

regem super Israel; & ego érui te de manu Saül, & dedi tibi domum dómini tui. Et si parva sunt ista, adjíciam tibi multò majóra. Quare ergo contempsísti verbum Dómini, ut fáceres malum in conspectu meo? Uríam Hethæum percussísti gládio, & uxórem illíus accepísti in uxórem tibi, & interfecísti eum gládio filiórum Ammon. Quamobrem non recédet gládius de domo tuâ usque in sempiternum.

LECTIO II.

ET dixit David ad Nathan: Peccávi Dómino. Dixitque Nathan ad David: Dóminus quoque tránstulit peccátum tuum: non moriéris. Verúmtamen, quóniam blasphemáre fecísti inimícos Dómini, propter verbum hoc, fílius, qui natus est tibi, morte moriétur. ¶ Et reversus est Nathan in domum suam. Percussit quoque Dóminus párvulum, quem pepérerat uxor Uríæ David, & desperátus est. Deprecatusque est David Dóminum pro párvulo: & jejunávit David jejúnio, & ingressus seorsùm, jácuit super terram. Accidit autem die séptimâ ut morerétur infans. Surrexit ergo David de terrâ, & lotus unctusque est: cùmque mutasset vestem, ingressus est domum Dómini: & adorávit, & venit in domum suam. Et consolátus est David Bethsábee uxórem suam, quæ génuit fílium: & vocávit nomen ejus Sálomon. Et Dóminus diléxit eum.

℟. I. Revértere ad Dóminum, & avértere ab injustítiâ tuâ. * Non demoréris in erróre impiórum, ante mortem confitére. ℣. Ignóras quóniam benígnitas Dei ad pœniténtiam te addúcit? * Non. *Eccli.* 17. *Rom.* 2.

℟. II. Miserére meî, Deus, secundùm magnam misericórdiam tuam; * Ne projícias me à fácie tuâ, & Spíritum sanctum tuum ne áuferas à me. ℣. Pater, peccávi in cœlum & coram te. * Ne. *Ps.* 50. *Luc.* 15.

℟. III. Delictum meum cógnitum tibi feci, & injustítiam meam non abscondi. * Dixi: Confitébor adversùm me injustítiam meam Dómino: & tu remisísti impietátem peccáti mei. ℣. Iniquitátem meam ego cognosco, & peccátum meum contra me est semper. * Dixi. *Ps.* 31 & 50.

℟. IV. Dóminus purgávit peccáta ipsíus, * Et † Exaltávit in æternum cornu ejus. ℣. Dedit illi testamentum regni, & sedem glóriæ in Israel; * Et. ℣. Glória. † Exaltávit. *Eccli.* 47.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Basílii Epíscopi ad Gregórium. *Edit. Bened. Epist. 2. n. 3.*

MAxima via ad officii investigatiónem est Scripturárum divínitus inspiratárum meditátio. In his enim & rerum agendárum præcepta reperiuntur, & beatórum hóminum res gestæ lítteris tráditæ, véluti animáta quædam vitæ secundùm Deum institútæ simulácra, ad bonórum óperum imitatiónem proponuntur. Ac proinde quâcumque in re quisque mendósè sese ipse habére sénserit; in illam imitatiónem assíduè incumbens, tamquàm ex commúni quadā medicinæ officínâ, appósitum suæ infirmitáti medicamentum ínvenit. Ac omníno, ut pictóres, cùm imágines ex imagínibus pingunt, crebrò ad exemplar respicientes, inde formam in suum opus transferre conantur: sic étiam qui sese ómnibus virtútis pártibus absolútum perfícere studet, ad sanctórum vitas, velut ad simulácra quædam viva & actuósa, respícere debet, & quod illis inest boni suum imitando fácere.

℟. Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrínam scripta sunt: * Ut per patiéntiam, & consolatiónem Scripturárum, spem habeámus. ℣. Multórum nobis & magnórum, per legem & Prophétas, sapiéntia demonstráta est; * Ut per. ℣. Glória. * Ut per. *Rom.* 15. *Eccli. Prolog.*

CANON.

Ex Concílio Toletáno quarto. *An.* 633. *Can.* 25.

IGnorántia, mater cunctórum errórum, máximè in Sacerdótibus Dei vitanda est, qui docendi officium in pópulis suscepérunt. Sacerdótes enim légere sanctas Scriptúras admonentur, Paulo Apóstolo dicente ad Timótheum: Intende lectióni, exhortatióni, doctrínæ; semper pérmane in his.

---

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Libro secundo Regum. *Cap.* 15.

VEnit núntius ad David, dicens: Toto corde universus Israel séquitur Absalom. Et ait David servis suis, qui erant cum eo in Jerúsalem: Súrgite, fugiámus: neque enim erit nobis effúgium à fácie Absalom: festináte égredi, ne fortè véniens óccupet nos & impellat super nos ruínam, & percútiat civitátem in ore gládii. Egressus est ergo rex, & uni-

versâ domus ejus pédibus suis, & univérsi servi ejus ambulábant juxta eum. Omnesque flebant voce magnâ, & univérsus pópulus transíbat: rex quoque transgrediebátur torréntem Cedron. ¶ Venit autem & Sadoc sacérdos, & univérsi Levítæ cum eo, portántes Arcam fœderis Dei. Et dixit rex ad Sadoc: Repórta Arcam Dei in urbem: si invénero grátiam in óculis Dómini, redúcet me, & osténdet mihi eam, & tabernáculum suum. Si autem díxerit mihi: Non places: præstò sum, fáciat quod bonum est coram se.

LECTIO II. *Cap.* 15 & 16.

PORrò David ascendébat clivum Olivárum, scandens & flens, nudis pédibus incédens, & operto cápite, sed & omnis pópulus, qui erat cum eo, operto cápite ascendébat plorans. Nuntiátum est autem David quòd & Achítophel esset in conjuratióne cum Absalom, dixitque David: Infátua, quæso, Dómine, consílium Achítophel. Venit ergo rex David usque Báhurim: & ecce egrediebátur inde vir de cognatióne domûs Saül, nómine Sémei, procedebatque egrédiens, & maledicébat, mittebatque lápides contra David, & contra univérsos servos regis David. ¶ Dixit autem Abísai filius Sárviæ regi: Quare maledícit canis hic mórtuus dómino meo regi? Vadam, & amputábo caput ejus. Et ait rex: Dimíttite eum, ut maledícat: Dóminus enim præcépit ei ut maledíceret David: & quis est qui áudeat dícere, quare sic fécerit? Et ait rex Abísai, & univérsis servis suis: Ecce filius meus, qui egréssus est de útero meo, quærit ánimam meam: quantò magìs nunc filius Jémini? Dimíttite eum, ut maledícat juxta præceptum Dómini: si fortè respíciat Dóminus afflictiónem meam: & reddat mihi Dóminus bonum pro maledictióne hâc hodiernâ.

℟. I. Anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum; * Notam fac mihi viam in quâ ámbulem, quia ad te levávi ánimam meam. ℣. Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi. * Notam. *Ps.* 142.

℟. II. Non timébo míllia pópuli circumdantis me: * Exsúrge, Dómine; salvû me fac, Deus meus. ℣. Si Deus pro nobis, quis contra nos? * Exsurge. *Ps.* 3. *Rom.* 8.

℟. III. Ecce elongávi fúgiens, & mansi in solitúdine: * Præcípita, Dómine, dívide linguas eórum, quóniam vidi ini-

quitátem & contradictiónem in civitáte. ℣. Si inimícus meus maledixisset mihi; sustinuissem útique. Tu verò, homo unánimis, dux meus & notus meus. * Præcípita. *Ps.* 54.

℟. IV. Dómine Deus meus, si est iníquitas in mánibus meis; * Si réddidi retribuéntibus mihi mala, décidam méritò ab inimícis meis inánis. ℣. Pater dimitte illis: non enim sciunt quid fáciunt, * Si. ℣. Glória. * Si. *Ps.* 7. *Luc.* 23.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Gregórii Papæ ad Theodórum médicum. *Edit. Bened. VI. Sec. Lib.* 4. *Epist.* 31.

ERga dulcíssimam mentem gloriosíssimi filii mei domni Theodóri hábeo áliquam querélam: quia donum ingénii, donum rerum, donum misericórdiæ atque caritátis à sanctâ Trinitáte percépit: sed tamen seculáribus indesinenter causis adstríngitur, & quotídie légere négligit verba Redemptóris sui. Quid est autem Scriptúra sacra, nisi quædam epístola omnipotentis Dei ad creatúram suam? Et certè sícubi esset glória vestra álibi constitúta, & scripta terréni imperatóris accíperet, non cessáret, somnum óculis non daret, nisi priùs quid sibi imperátor terrénus scripsisset, agnovisset. Imperátor cœli, Dóminus hóminum & Angelórum, pro vitâ tuâ tibi suas Epístolas transmísit: & tamen, glorióse fili, easdem Epístolas ardenter légere négligis. Stude ergo, quæso, & quotídie Creatóris tui verba meditáre. Disce cor Dei in verbis Dei, ut ardéntiùs ad æterna suspíres, ut mens vestra ad cœléstia gáudia majóribus desidériis accendátur. Tantò enim tunc major ei erit réquies, quantò modò amóre Conditóris sui réquies nulla fúerit.

℟. Erunt verba mea in corde tuo, & narrábis ea filiis tuis, & * Meditáberis in eis sedens in domo tuâ, & ámbulans in itínere, dórmiens, atque consurgens. ℣. Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrínam scripta sunt, ut per patiéntiam, & consolatiónem Scripturárum, spem habeámus; * Meditáberis. ℣. Glória. * Meditáberis. *Deut.* 6. *Rom.* 15.

CANON.

Ex Concílio Toletáno quarto. *An.* 633. *Can.* 25.

SCiant Sacerdótes Scriptúras, & Cánones meditentur, ut omne opus eórum in prædicatióne divínâ consistat, atque ædí-

fecit cunctos tam fidei sciéntiâ, quàm óperum disciplínâ.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Libro secundo Regum.

*Cap.* 18.

IGitur consideráto David pópulo suo, constituit super eos tribúnos & centuriónes; & præcépit rex Joab, & Abísai, & Ethai, dicens: Serváte mihi púerum Absalom. Et omnis pópulus audiébat præcipientem regem cunctis princípibus pro Absalom. Itaque egressus est pópulus in campum contra Israel, & factum est prælium in saltu Ephraim. Et cæsus est ibi pópulus Israel ab exércitu David, factaque est plaga magna in die illâ, viginti millium. ¶ Accidit autem ut occúrreret Absalom servis David, sedens mulo: cùmque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput ejus quércui: & illo suspenso inter cœlum & terram, mulus, cui inséderat, pertransívit. Vidit autem hoc quíspiã, & nuntiávit Joab, dicens: Vidi Absalom pendére de quercu. Tulit ergo Joab tres lánceas in manu suâ, & infixit eas in corde Absalom. Cécinit autem Joab búccinâ, & retínuit pópulum, ne persequerétur fugientem Israel, volens párcere multitúdini.

*Responsoria ut heri.*

LECTIO II.

DAvid autem sedébat inter duas portas: speculátor verò, qui erat in fastígio portæ super murum, élevans óculos, vidit hóminem currentem solũ. Appáruit Chusi: & véniens ait: Bonum apporto núntium, dómine mi rex: judicávit enim pro te Dóminus hódie de manu ómnium qui surrexérunt contra te. ¶ Dixit autem rex ad Chusi: Estne pax púero Absalom? Cui respondens Chusi: Fiant, inquit, sicut puer, inimíci dómini mei regis, & universi qui consurgunt adversùs eum in malum. Contristátus itaque rex, ascendit cœnáculum portæ, & flevit. Et sic loquebátur vadens: Fili mi Absalom, Absalom fili mi: Quis mihi tríbuat ut ego móriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom?

LECTIO III.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi de Utilitáte credendi, ad Honorátum. *Edit. Bened. Cap.* 6. *n.* 13.

TEstor, Honoráte, consciéntiam meam, & puris ánimis inhabitantem Deum, nihil me existimáre

prudéntius, cástius, religiósius, quàm sunt illæ Scriptúræ omnes, quas Testamenti véteris nómine Cathólica Ecclésia rétinet. Quidquid est, mihi crede, in Scriptúris illis, altum & divínum est: inest omníno véritas, & reficiendis instaurandísque ánimis accommodatíssima disciplína; & planè ita modificáta, ut nemo inde hauríre non possit quod sibi satis est, si modò ad hauriendum devótè ac piè, ut vera relígio poscit, accédat.

℟. Lex Dómini immaculáta, convertens ánimas: testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis. * Præceptum Dómini lúcidum, illúminans óculos. ℣. Elóquia Dómini, elóquia casta, argentum igne examinátum. * Præceptum. ℣. Glória. * Præceptum. *Ps.* 18 & 11.

CANON.

Ex Concílio Toletáno tértio. *An.* 589. *Can.* 7.

PRo reveréntiâ Dei Sacerdótum, id universa sancta constítuit Synodus; ut, quia solent crebrò mensis otiósæ fábulæ interpóni, in omni sacerdotáli convívio léctio Scripturárum divinárum misceátur: per hoc enim & ánimæ ædificantur ad bonum, & fábulæ non necessáriæ prohibentur.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Libro primo Paralipómenon. *Cap.* 21.

COnsurrexit autem satan contra Israel: & concitávit David ut numeráret Israel. Dixitque David ad Joab, & ad príncipes pópuli: Ite, & numeráte Israel à Bersábee usque Dan: & afferte mihi númerum ut sciam. Respondítque Joab: Augeat Dóminus pópulum suum céntuplum, quàm sunt: nonne, Dómine mi rex, omnes servi tui sunt? quare hoc quærit Dóminus meus, quod in peccátum reputétur Israéli? Sed sermo regis magìs præváluit: egressúsque est Joab, & circuívit universum Israel; & reversus est Jerúsalem. ¶ Displícuit autem Deo quod jussum erat, & percussit Israel. Cùmque venisset Gad ad David, dixit ei: Hæc dicit Dóminus: Elige quod volúeris: aut tribus annis famem; aut tribus ménsibus te fúgere hostes tuos, & gládium eórum non posse evádere; aut tribus diébus gládium Dómini, & pestiléntiam versári in terrâ, & Angelum Dómini interfícere in universis fínibus Israel. Et dixit David ad Gad: Ex omni parte me angústiæ premunt; sed mélius mihi

est, ut incidam in manus Dómini, quia multæ sunt miseratiónes ejus, quàm in manus hóminum.

LECTIO II.

MIsit ergo Dóminus pestiléntiam in Israel: & cecidérunt de Israel septuaginta míllia virórum. Misit quoque Angelum in Jerúsalem, ut percúteret eam: cùmque percuterétur, vidit Dóminus, & misertus est super magnitúdine mali; & imperávit Angelo, qui percutiébat: Súfficit, jam cesset manus tua. Porrò Angelus Dómini stabat juxtà áream Jebusæi. Levansque David óculos suos, vidit Angelum Dómini stantem inter cœlum & terram, & evaginátum gládium in manu ejus, & versum contra Jerúsalem: & cecidérunt tam ipse, quàm majóres natu vestíti cilíciis, proni in terram. ¶ Dixitque David ad Deũ: Nonne ego sum, qui jussi ut numerarétur pópulus? Ego, qui peccávi: ego, qui malum feci: iste grex quid comméruit? Dómine Deus meus, vertátur, óbsecro, manus tua in me, & in domum patris mei: pópulus autem tuus non percutiátur. Angelus autem Dómini præcépit Gad ut díceret Davídi, ut ascénderet, exstrueretque altáre Dómino Deo in áreâ Ornan Jebusæi. Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri justíssimi pónderis sexcentos, & ædificávit ibi altáre Dómino: obtulitque holocausta & pacífica, & invocávit Dóminum, & exaudívit eum in igne de cœlo super altáre holocausti. Præcepitque Dóminus Angelo: & convertit gládium suum in vagínam.

℟. I. Si delectámini sédibus & sceptris, ô reges pópuli, dilígite sapiéntiã, * Ut in perpétuum regnétis. ℣. Humiliámini sub potenti manu Dei; * Ut. *Sap. 6. I. Petr. 5.*

℟. II. Ego in flagella parátus sum: & dolor meus in conspectu meo semper. * Quóniam iniquitátem meam annuntiábo, & cogitábo pro peccáto meo. ℣. Bonum mihi quia humiliasti me, Dómine: * Quóniam. *Ps. 37. & 118.*

℟. III. Ego sum qui peccávi, ego iníquè egi: isti qui oves sunt, quid fecérunt? * Vertátur, óbsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. ℣. Precor, Dómine, ut tránsferas iniquitátem servi tui, quia stultè egi nimis: * Vertátur. *II. Reg. 24.*

℟. IV. Si voluisses sacrifícium, dedissem útique; holocaustis non delectáberis: * Sacrifícium Deo spíritus contribulátus, † Cor

contrítum & humiliátum, Deus, non despícies. ℣. Impossíbile est sánguine taurórum & hircórum auferri peccáta. * Sacrifícium. ℣. Glória. † Cor. *Ps.* 50. *Hebr.* 10.

LECTIO III.

Ex Epístolâ centésimâ vigésimâ séptimâ sancti Augustíni Epíscopi ad Volusiánum. *Edit. Bened. Cap.* 5. *n.* 18.

Modus ipse dicendi, quo sancta Scriptúra contéxitur, quàm ómnibus accessíbilis, quamvis paucíssimis penetrábilis! Ea quæ aperta cóntinet, quasi amícus familiáris, sine fuco ad cor lóquitur indoctórum atque doctórum. Ea verò quæ in mystériis occultat, nec ipsa elóquio supérbo érigit quò non áudeat accédere mens tardiúscula & inerudíta, quasi pauper ad dívitem; sed invítat omnes húmili sermóne, quos non solùm manifestâ pascat, sed étiam secrétâ exérceat veritáte, hoc in promptis quod in recónditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, éadem rursus operta desiderantur, desideráta quodam modo renovantur, renováta suáviter intimantur. His salúbriter & prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingénia. Ille huic doctrínæ inimícus est ánimus, qui vel errando eam nescit esse salubérrimam, vel odit ægrotando medicínam.

℟. Hic liber mandatórum Dei, & lex quæ est in æternum: * Omnes qui tenent eam, pervénient ad vitam; qui autem dereliquérunt eam, in mortem. ℣. Omnis Scriptúra divínitus inspiráta, útilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justítiâ. * Omnes. ℣. Glória. * Omnes. *Baruch.* 4. *II. Tim.* 3.

CANON.

Ex Concílio Mediolanensi tértio. *An.* 1576. *Part.* 1. *Can.* 1.

Sacram Scriptúram, juxta eum sensum quem ténuit & tenet sancta mater Ecclésia, cujus est judicáre de vero sensu & interpretatióne sacrárũ Scripturárum, admitto; nec eam unquàm nisi juxta unánimem consensum Patrum accípiam & interpretábor.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Sedit Sálomon super sólium Dómini in regem pro David patre suo, & cunctis plácuit; & páruit illi omnis Israel. *I. Paral.* 29.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 284.

# DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

## IN I. NOCTURNO.

### LECTIO I.

Incipit Liber tértius Regum. Cap. 1.

ET rex David senúerat, habebatque ætátis plúrimos dies. Adónias autem elevabátur, dicens: Ego regnábo. Fecitque sibi currus & équites, & quinquaginta viros, qui cúrrerent ante eum. Nec corrípuit eum pater suus aliquando, dicens: Quare hoc fecisti? Erat autem & ipse pulcher valde, secundus natu post Absalom, & sermo ei cum Joab filio Sárviæ, & cum Abíathar sacerdóte, qui adjuvábant partes Adóniæ. Sadoc verò sacerdos, & Banáias fílius Joíadæ, & Nathan prophéta, & Sémei, & Rei, & robur exércitûs David, non erat cum Adónia.

℟. Apud Dóminum est fortitúdo & sapiéntia. * Ipse novit & decipientem, & eum qui decípitur; addúcit consiliários in stultum finem, & júdices in stupórem. Bálteum regum dissolvit. ℣. Dóminus dominórum est & Rex regum: * Ipse novit. *Job*, 12. *Apoc.* 17.

### LECTIO II.

DIxit rex David: Vocáte mihi Sadoc sacerdótem, & Nathan prophétam, & Banáiam fílium Joíadæ. Qui cùm ingressi fuissent coram rege, dixit ad eos: Tóllite vobíscum servos Dómini vestri, & impónite Salomónem fílium meum super mulam meam, & dúcite eum in Gihon; & ungat eum ibi Sadoc sacerdos, & Nathan prophéta, in regem super Israel: & canétis búccinâ, atque dicétis: Vivat rex Sálomon. Descendit ergo Sadoc sacerdos, & Nathan prophéta, & Banáias fílius Joíadæ; & imposuérunt Salomónem super mulam regis David, & adduxérunt eum in Gihon. Sumpsitque Sadoc sacerdos cornu ólei de tabernáculo, & unxit Salomónem: & cecinérunt búccinâ, & dixit omnis pópulus: Vivat rex Sálomon.

℟. Unxérunt Salomónem fílium David; * Et dedit illi Dóminus glóriam regni, qualem nullus hábuit ante eum rex Israel. ℣. Sedit Sálomon super sólium Dómini in regem, & cunctis plácuit. * Et. *I. Paral.* 29.

### LECTIO III.

Ex Libro primo Paralipómenon. Cap. 22.

DIxitque David ad Salomónem: Fili mi,

voluntátis meæ fuit ut ædificárem domum nómini Dómini Dei mei, sed factus est sermo Dómini ad me dicens: Multum sánguinem effudísti, & plúrima bella bellasti: non póteris ædificáre domum nómini meo; filius qui nascétur tibi, erit vir quietíssimus: fáciam enim eum requiéscere ab ómnibus inimícis suis per circúitum: & ob hanc causam Pacíficus vocábitur. Ipse ædificábit domum nómini meo; & ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem: firmabóque sólium regni ejus super Israel in æternum. Nunc ergo, fili mi, sit Dóminus tecum, & prosperáre, & ædífica domum Dómino Deo tuo, sicut locútus est de te.

℟. Post David surrexit filius sensátus; & propter illum, dejécit Dóminus omnem poténtiam inimicórum, * Ut cónderet domum in nómine suo, & paráret sanctitátem in sempitérnum. ℣. Salomon imperávit in diébus pacis, cui subjécit Dóminus omnes hostes; * Ut. *Eccli.* 47.

LECTIO IV.

PRæcépit quoque David cunctis princípibus Israel, ut adjuvárent Salomónem fílium suum. Cérnitis, ínquiens, quòd Dóminus Deus vester vobíscum sit, & déderit vobis réquiem per circúitum, & tradíderit omnes inimícos vestros in manus vestras. Præbéte ígitur corda vestra & ánimas vestras, ut quærátis Dóminum Deum vestrum; & consúrgite, & ædificáte sanctuárium Dómino Deo, ut introducátur Arca fœderis Dómini, & vasa Dómino consecráta, in domum, quæ ædificátur nómini Dómini.

℟. David in suâ generatióne, cùm administrasset voluntáti Dei, dormívit, * Et appósitus est ad patres suos. ℣. Mórtuus est in senectúte bonâ, plenus diérum, & divítiis & glóriâ, * Et. ℣. Glória. * Et. *Act.* 13. *I. Paral.* 29.

*IN II. NOCTURNO.*

LECTIO V.

Ex Libro quarto sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris contra Hæreses. *Edit. Bened. Cap. 26. n. 1.*

SI quis intentus legat Scriptúras, invéniet in iísdem de Christo sermónem & novæ vocatiónis præfiguratiónem. Hic est enim thesaurus abscónditus in agro; id est, in isto mundo. Ager enim mundus est; absconsus verò in Scriptúris thesaurus Christus, quóniam per typos & parábolas significabátur. Unde non póterat hoc quod secundùm hóminem est, in-

telligi, priusquàm consummátio eórum quæ consummáta sunt, veníret; quæ est adventus Christi. Omnis enim Prophetía, priusquàm hábeat effectum, ænígmata & ambiguitátes sunt homínibus. Cùm autem vénerit tempus, & evénerit quod prophetátum est; tunc prophetíæ habent líquidam & certam expositiónem.

℟. Clausi sunt, signatíque sermónes usque ad præfinítum tempus; * Neque intélligent omnes ímpii, porrò docti intélligent. ℣. Necesse est impléri ómnia, quæ scripta sunt in lege Móysi, & Prophétis, & Psalmis de me; * Neque. *Dan.* 12. *Luc.* 24.

LECTIO VI.

ET propter hoc quidem Judæis cùm légitur lex in hoc nunc témpore, fábulæ símilis est: non enim habent expositiónem ómnium rerum pertinentem ad adventum Filii Dei, qui est secundùm hóminem: à Christiánis verò cùm légitur, thesaurus est, abscon-sus in agro, cruce verò Christi revelátus est, & explanátus, & ditans sensus hóminum, & ostendens sapiéntiam Dei, & eas, quæ sunt erga hóminem dispositiónes ejus, manifestans, & regnum Christi præformans, & hæreditátem sanctæ Jerúsalem prævangelízans. Quemádmodum ígitur osténdimus, si quis legat Scriptúras, & erit consummátus discípulus, & símilis patri-famílias, qui de thesauro suo profert nova & vétera.

℟. Incípiens Jesus à Móyse: & ómnibus Prophétis, interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris, * Quæ de ipso erant. ℣. Tunc apéruit illis sensum ut intellígerent Scriptúras, * Quæ. *Luc.* 24.

LECTIO VII. *n.* 2 & 4.

QUapropter eis qui in Ecclésiâ sunt, Presbyteris obaudíre oportet, his qui successiónem habent ab Apóstolis; qui, cum Episcopátûs successióne, charisma veritátis certum, secundùm plácitum Patris accepérunt: réliquos verò qui absistunt à principáli successióne, & quocumque loco cólligunt, suspectos habére, vel quasi hæréticos, & malæ senténtiæ, vel quasi scindentes & elátos, & sibi placentes; aut rursus ut hypócritas, quæstûs grátiâ & vanæ glóriæ hoc operantes. Omnes autem hi decidérunt à veritáte. Ab ómnibus ígitur tálibus abstinére oportet; adhærére verò his qui & Apostolórum, sicut prædíximus, doctrínam custódiunt, & cùm presbytérii

órdine sermónem sanum, & conversatiónem sine offensâ præstant, ad confirmatiónem & correptiónem reliquórum.

℞. Omnis Prophetía Scriptúræ própriâ interpretatióne non fit. * Non enim voluntáte humánâ alláta est aliquando Prophetía: sed Spíritu sancto inspiráti locúti sunt sancti Dei hómines. ℣. Et quómodo possum intellígere, si non áliquis osténderit mihi? * Non. *II. Petr.* 1. *Act.* 8.

LECTIO VIII. *n.* 5.

TAles Presbyteros nutrit Ecclésia, de quibus & Prophéta ait: Et dabo príncipes tuos in pace, & Epíscopos tuos in justítiâ. Ubi ígitur tales invéniat áliquis, Paulus docens ait: Pósuit Deus in Ecclésiâ primò Apóstolos, secundò Prophétas, tértiò Doctóres. Ubi ígitur charísmata Dómini pósita sunt, ibi díscere oportet veritátem apud quos est ea quæ est ab Apóstolis Ecclésiæ succéssio, & id quod sanum est & irreprobábile conversatiónis, & inadulterátum & incorruptíbile sermónis constat. Hi enim & eam quæ est in unum Deum qui ómnia fecit, fidem nostram custódiunt: & eam quæ est in Fílium Dei, dilectiónem adaugent, qui tantas dispositiónes propter nos fecit, & Scriptúras sine perículo nobis expónunt, neque Deum blasphemantes, neque Patriarchas exhonorantes: neque Prophétas contemnentes.

℞. Christus dedit quosdam quidem Apóstolos, Prophétas, Pastóres & Doctóres, in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi: * Ut jam non simus párvuli fluctuantes, & circumferámur omni vento doctrínæ. ℣. Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei; * Ut. ℣. Glória. * Ut. *Ephes.* 4. *Act.* 20.

*IN III. NOCTURNO.*

LECTIO IX.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Titum.

*Cap.* 1.

PAulus servus Dei, Apóstolus autem Jesu Christi, secundùm fidem electórum Dei, & agnitiónem veritátis, quæ secundùm pietátem est in spem vitæ ætérnæ, quam promísit qui non mentítur, Deus, ante témpora seculária: manifestávit autem tempóribus suis verbum suum in prædicatióne quæ crédita est mihi secundùm præceptum Salvatóris nostri Dei: Tito dilecto fílio secundùm commúnem fidem, grátia & pax à Deo Patre, & Christo Jesu Salvatóre nostro.

℣. Confortáre in grátiâ, quæ est in Christo Jesu: * Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidélibus homínibus, qui idónei erunt & álios docére. ℣. Bonum depósitum custódi per Spíritum sanctum, qui hábitat in nobis: * Et. *II. Tim.* 2 & 1.

LECTIO X.

HUjus rei grátiâ relíqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, córrigas, & constítuas per civitátes Presbyteros; sicut & ego dispósui tibi. Si quis sine crímine est, unius uxóris vir, filios habens fidéles, non in accusatióne luxúriæ, aut non súbditos. Oportet enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem: non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum: sed hospitálem, benignum, sóbrium, justum, sanctum, continentem, amplecténtem eum, qui secundùm doctrínam est, fidélem sermónem: ut potens sit exhortári in doctrínâ sanâ, & eos qui contradícunt argúere.

℟. Sic nos exístimet homo ut minístros Christi, & dispensatóres mysteriórum Dei. * Hìc jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. ℣. Quis putas est fidélis dispensátor, & prudens, quem constítuit Dóminus supra famíliam suam? * Hìc. *I. Cor.* 4. *Luc.* 12.

LECTIO XI.

SUnt enim multi étiam inobedientes, vanílo-qui, & seductóres: máximè qui de circumcisióne sunt: quos oportet redárgui: qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri grátiâ. Dixit quidam ex illis, próprius ipsórum prophéta: Cretenses semper mendáces, malæ béstiæ, ventres pigri. Testimónium hoc verum est. Quam ob causam íncrepa illos durè, ut sani sint in fide, non intendentes judáicis fábulis, & mandátis hóminum aversántium se à veritáte. Omnia munda mundis; coinquinátis autem, & infidélibus nihil est mundum, sed inquinátæ sunt eórum & mens & consciéntia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cùm sint abomináti, & incredíbiles, & ad omne opus bonum réprobi.

℟. Væ prophétis insipiéntibus, qui sequuntur spíritum suum; vident vana, & divínant mendácium; * In consílio pópuli mei non erunt, & complébo indignatiónem meam in eis. ℣. Hi sunt murmura-

tóres querulósi, secundùm desidéria sua ambulantes, & os eórum lóquitur supérba, mirantes persónas quæstûs causâ. * In. *Ezech.* 13. *Jud.*

LECTIO XII. *Cap.* 2.

TU autem lóquere quæ decent sanam doctrínam: senes ut sóbrii sint, pudíci, prudentes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntiâ: anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino servientes, bene docentes: ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, filios suos díligant, prudentes, castas, sóbrias, domûs curam habentes, benignas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre ut sóbrii sint.

℟. Adtende tibi & doctrínæ; * Hoc enim fáciens & teipsum salvum fácies, & eos qui te áudiunt. ℣. Lóquere quæ decent sanam doctrínam; in ómnibus teipsum præbe exemplum bonórum óperum; * Hoc. ℣. Glória. * Hoc. *I. Tim.* 4. *Tit.* 2.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Cap.* 5.

DIxit Jesus discípulis suis: Nisi abundáverit justítia vestra plusquam Scribárum & Pharisæórum, non intrábitis in regnum cœlórum. Audistis quia dictum est antíquis: Non occídes: qui autem occíderit, reus erit judício. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iráscitur fratri suo, reus erit judício. Qui autem díxerit fratri suo, raca, reus erit concílio: qui autem díxerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altáre, & ibi recordátus fúeris quia frater tuus habet áliquid advérsum te; relinque ibi munus tuum ante altáre, & vade priùs reconciliári fratri tuo: & tunc véniens ófferes munus tuum.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Nisi abundáverit justítia vestra plusquam Scribárum & Pharisæórum, non intrábitis in regnum cœlórum. *Matth.* 5.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui diligéntibus te bona invisibília præparasti: † infunde córdibus nostris tui amóris affectum; * ut te, in ómnibus, & super ómnia, diligentes, promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, consequámur: Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

*Sess.* 4. *An.* 1546.

AD coercenda petulántia ingénia decernit sancta Synodus, ut nemo,

suæ prudéntiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificatiónē doctrínæ Christiánæ pertinéntium, sacram Scriptúram ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem ténuit & tenet sancta mater Ecclésia, cujus est judicáre de vero sensu & interpretatióne Scripturárum sanctárum; aut étiam contra unánimem consensum Patrum ipsam Scriptúram sacram interpretári áudeat, etiamsi hujúsmodi interpretatiónes nullo unquam témpore in lucem edendæ forent.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Si offers munus tuum ad altáre, & ibi recordátus fúeris quia frater tuus habet áliquid adversùm te: relinque ibi munus tuum ante altáre, & vade priùs reconciliári fratri tuo: & tunc véniens ófferes munus tuum. *Matth.* 5.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Libro primo Paralipómenon. *Cap.* 28 & 29.

CONvocávit David omnes príncipes Israel. Cùmque surrexisset rex, & stetisset, ait: Audíte me, fratres mei, & pópulus meus. Dixit mihi Dóminus: Sálomon fílius tuus ædificábit domum meam & átria mea: & firmábo regnum ejus usque in ætérnum, si perseveráverit fácere præcepta mea, & judícia mea, sicut & hódie. Nunc ergo coram universo cœtu Israel; audiente Deo nostro, custodíte, & perquírite cuncta mandáta Dómini Dei nostri. Tu autem Sálomon, fili mi, scito Deum patris tui, & servíto ei corde perfecto, & ánimo voluntário: ómnia enim corda scrutátur Dóminus, & universas méntium cogitatiónes intélligit. Si quæsíeris eum, invénies: si autem derelíqueris eum, projíciet te in ætérnum. Nunc ergo quia elégit te Dóminus ut ædificáres domum Sanctuárii, confortáre, & pérfice. ¶ Locutusque est David rex ad omnem ecclésiam: Salomónem fílium meum unū elégit Deus, adhuc púerum & tenellum: opus namque grande est, neque enim hómini præparátur habitátio, sed Deo. Ego autem totis víribus meis præparávi impensas domûs Dei mei. Et si quis sponte offert, ímpleat manum suam hódie, & ófferat quod volúerit Dómino. Pollíciti sunt ítaque príncipes familiárum, & próceres tríbuum Israel.

℟℣. *ut heri in I. Noct. pag.* 279.

LECTIO II.

DAvid rex lætátus est gáudio magno. Et benedixit Dómino coram universâ multitúdine, & ait: Dómine Deus noster, omnis hæc cópia quam parávimus, ut ædificarétur domus nómini sancto tuo, de manu tuâ est, & tua sunt ómnia. Scio, Deus meus, quòd probes corda, & simplicitátem díligas, unde & ego in simplicitáte cordis mei lætus óbtuli universa hæc: & pópulum tuum, qui hìc repertus est, vidi cum ingenti gáudio tibi offerre donária. Dómine Deus Abraham, & Isaac, & Israel patrum nostrórum, custódi in ætérnum hanc voluntátem cordis eórum, & semper in veneratiónem tuî mens ista permáneat. Salomóni quoque fílio meo da cor perfectum, ut custódiat mandáta tua, & ædíficet ædem cujus impensas parávi. ¶ Præcépit autem David univérsæ ecclésiæ: Benedícite Dómino Deo nostro. Et benedixit omnis ecclésia Dómino Deo patrum suórum: & inclinavérunt se, & adoravérunt Deum, & deinde regem. Et unxérunt secundò Salomónem fílium David. Seditque Sálomon super sólium Dómini in regem pro David patre suo, & cunctis plácuit, & páruit illi omnis Israel.

LECTIO III.

Ex Libro secundo sancti Augustíni Epíscopi de Doctrínâ Christiánâ. *Edit. Bened. Cap. 6.*

MUltis & multiplícibus obscuritátibus & ambiguitátibus decipiuntur, qui témerè legunt Scriptúras, áliud pro álio sentientes; quibusdam autem locis, quid vel falsò suspicentur non invéniunt, ita obscúrè quædam dicta densíssimam calíginem obdúcunt. Quod totum provísum divínitus esse non dúbito, ad edomandam labóre supérbiam, & intellectum à fastídio revocandum, cui fácilè investigáta plerumque vilescunt. Nemo ámbigit, & per similitúdines libéntiùs quæque cognosci, & cum áliquâ difficultáte quæsíta multò grátiùs inveníri. Qui enim prorsus non invéniunt quod quærunt, fame labórant: qui autem non quærunt, quia in promptu habent, fastídio sæpè marcescunt: in utróque autem languor cavendus est. Magnífìcè igitur & salúbriter Spíritus sanctus ita Scriptúras sanctas modificávit, ut locis apertióribus fami occúrreret, obscurióribus autem fastídia detérgeret: nihil enim ferè de illis obscuritátibus erúitur, quod non

planíssimè dictum álibi reperiátur.

. ℟. Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperántibus in se: * Ne addas quidquam verbis illíus, & arguáris, inveniarísque mendax. ℣. Elóquia Dómini, elóquia casta; argentum igne examinátum. * Ne. ℣. Glória. * Ne. *Prov.* 30. *Ps.* 11.

C A N O N.

Ex Concílio Coloniensi. *An.* 1556. *Part.* 6. *Cap.* 5.

BEátus Augustínus in libris de Doctrínâ Christiánâ brevíssimam méthodum ad pervestigandas, intelligendasque Scriptúras commonstráre volens: Quisquis, inquit, Scriptúras divínas, vel quámlibet eárum partem intellexisse sibi videtur, ita ut in illo intellectu non ædíficet géminam caritátem Dei & próximi, is nondùm intellexit, quòd legis ac Scripturárum summa, finis ac plenitúdo sit diléctio quæ duóbus mandátis comprehénditur, nempè: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & díliges próximum tuum sicut te ipsum.

---

F E R I A T E R T I A.

L E C T I O I.

Ex Libro tértio Regum. *Cap.* 3.

APpáruit Dóminus Salomóni per sómnium nocte, dicens: Póstula quod vis ut dem tibi. Et ait Sálomon: Tu fecisti cum servo tuo David patre meo misericórdiam magnam, sicut ambulávit in conspectu tuo in veritáte, & justítiâ, & recto corde tecum: & nunc, Dómine Deus, tu regnáre fecisti servum tuum pro David patre meo: ego autem sum puer párvulus, & ignórans egressum & intróitum meum. Et servus tuus in médio est pópuli, quem elegisti, pópuli infiníti qui numerári & supputári non potest præ multitúdine. Dabis ergo servo tuo cor dócile, ut pópulum tuum judicáre possit, & discérnere inter bonum & malum. ¶ Et dixit Dóminus Salomóni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec divítias, aut ánimas inimicórum tuórum: sed postulasti tibi sapiéntiam ad discernendum judícium; ecce feci tibi secundùm sermónes tuos, & dedi tibi cor sápiens & intélligens, in tantum ut nullus ante símilis tuî fúerit, nec post te surrectúrus sit. Sed & hæc, quæ non postulasti dedi tibi; divítias scílicet, & glóriam, ut nemo fuerit símilis tuî in régibus cunctis retrò diébus.

Lectio II. *Cap. 6 & 8.*

FActum est quadringentésimo & octogésimo anno egressiónis filiórum Israel de terrâ Ægypti, in anno quarto regni Salomónis super Israel, ædificári cœpit domus Dómino. Et in anno undécimo, perfecta est domus in omni ópere suo, & in universis utensílibus suis: ædificavitque eam annis septem. Tunc congregáti sunt omnes majóres natu Israel cum princípibus tríbuum; & duces familiárum filiórum Israel, ad regem Salomónem in Jerúsalem: ut deferrent Arcam fœderis Dómini, de civitáte David, id est, de Sion. ¶ Et tulérunt Arcam sacerdótes, & portavérunt Arcam Dómini & tabernáculum fœderis, & ómnia vasa sanctuárii, quæ erant in tabernáculo: & ferébant ea sacerdótes & levítæ. Rex autem Sálomon, & omnis multitúdo Israel quæ convénerat ad eum, gradiebátur cum illo ante arcam, & immolábant oves & boves absque æstimatióne & número. Et intulérunt sacerdótes Arcam fœderis Dómini in locum suum, in oráculum templi, in Sanctum Sanctórum, subter alas Chérubim.

℟. I. Mecum sit sapiéntia tua, Dómine, ut sciam quid acceptum sit apud te; * Et dispónam pópulum tuum justè, & ero dignus sédium patris mei. ℣. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitúdinis tuæ, ut mecum labóret; * Et dispónam. *Sap.* 9.

℟. II. Præpósui sapiéntiam regnis & sédibus, & divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus; * Infinítus enim thesaurus est homínibus, quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei. ℣. Super salútem & spéciem dilexi illam, & propósui pro luce habére illam; * Infinítus. *Sap.* 7.

℟. III. Sálomon ædificávit Dómino domum; * Sed non Excelsus in manufactis hábitat, sicut Prophéta dicit: Cœlum mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meórum. ℣. Ait Sálomon: Ad hoc tantùm facta est domus ista, ut respícias oratiónem servi tui, & obsecratiónem ejus, Dómine Deus meus: * Sed. *Act.* 7. *II. Par.* 6.

℟. IV. Sicut Móyses orábat ad Dóminum, & descendit ignis de cœlo, & consumpsit holocaustū, sic & Sálomon orávit, * Et descendit ignis de cœlo, & consumpsit holocaustum. ℣. Magníficè sapiéntiam tractábat, & ut sapiéntiam

sapiéntiam habens, óbtulit sacrifícium dedicatiónis & consummatiónis templi. * Et. ℣. Glória. * Et. *II. Mach.* 2.

LECTIO III.

Ex Libro secundo sancti Augustíni Epíscopi de Doctrínâ Christiánâ. *Edit. Bened. Cap.* 7.

ANte ómnia opus est Dei timóre converti ad cognoscendam ejus voluntátem in sacris Scriptúris, quid nobis appetendum fugiendumque præcípiat. Timor autem iste, cogitatiónem de nostrâ mortalitáte, & de futúrâ morte necesse est incútiat, & quasi clavátis cárnibus omnes supérbiæ motus ligno crucis affigat. Deinde mitéscere opus est pietáte, neque contradícere divínæ Scriptúræ sive intellectæ, si áliqua nostra vítia pércutit; sive non intellectæ, quasi nos mélius sápere meliùsque præcípere possímus; sed cogitáre pótiùs & crédere id esse mélius & vérius quod ibi scriptum est, etiamsi láteat, quàm id quod nos per nosmetipsos sápere póssumus. Post istos duos gradus timóris atque pietátis, ad tértium venítur sciéntiæ gradum, de quo nunc ágere instítui. Nam in eo se exercet omnis divinárum Scripturárum studiósus, nihil in eis áliud inventúrus quàm diligendum esse Deum propter Deum, & próximum propter Deum, & illum quidem ex toto corde, ex totâ ánimâ, ex totâ mente dilígere; próximum verò tamquàm seipsum, id est ut tota próximi, sicut étiam nostri, diléctio referátur in Deum.

℟. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo. Hoc est máximum & primum mandátum. Secundum autem símile est huic: Díliges próximum tuum sicut teipsum. * In his duóbus mandátis univérsa lex pendet & Prophétæ. ℣. Hoc mandátum habémus à Deo, ut qui díligit Deum, díligat & fratrem suum. * In his. ℣. Glória. * In his. *Matth.* 22. *I. Joan.* 4.

CANON.

Ex Concílio Senonensi. *An.* 1528. *Decret.* 4.

MAgna profectò fuit, semperque futúra est Scriptúræ sacræ autóritas: in quâ nihil falsum, nihil otiósum esse possit. Cùm enim non humánâ voluntáte alláta sit aliquando prophetía, sed Spíritu sancto inspiráti locúti sint sancti Dei hómines; omnis Scriptúra divínitus inspiráta, útilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & ad erudiendum in justítiâ.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex libro tértio Regum.

*Cap.* 9. & 11.

FActum est autem cùm perfecisset Sálomon ædificium domûs Dómini, & ædificium regis, & omne quod optáverat & volúerat fácere; appáruit ei Dóminus secundò, sicut appárúerat ei in Gábaon. Dixitque Dóminus ad eum: Si ambuláveris coram me sicut ambulávit pater tuus, in simplicitáte cordis, & in æquitáte, & féceris ómnia quæ præcépi tibi, ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum, sicut locútus sum David patri tuo. Si autem aversióne aversi fuéritis vos & filii vestri; áuferam Israel de superfície terræ, quam dedi eis: & templum quod sanctificávi nómini meo, projíciam à conspectu meo, eritque Israel in provérbium, & in fábulam cunctis pópulis. ¶ Rex autem Sálomon adamávit mulíeres alienígenas multas; cùmque jam esset senex, depravátum est cor ejus per mulíeres, ut sequeréntur deos aliénos, nec erat cor ejus perfectum cum Dómino Deo suo, sicut cor David patris ejus. Igitur irátus est Dóminus Salomóni, quòd aversi esset mens ejus à Dómin[o] Deo Israel, qui apparúe rat ei secundò. Dixit ítaque Dóminus Salomóni Quia habuisti hoc apud te & non custodisti pactu[m] meum, & præcepta me[a] quæ mandávi tibi, dis rumpens scindam regnu[m] tuum, & dabo illud serv[o] tuo: verúmtamen in dié bus tuis non fáciam, pro pter David patrem tuum de manu filii tui scinda[m] illud, nec totum regnu[m] áuferam, sed tribum una[m] dabo filio tuo, propte[r] David servum meum [&] Jerúsalem quam elégi.

LECTIO II. *Cap.* 11 & 12.

DIes quos regnávit Sá lomon in Jerúsale[m] super omnem Israel, qua draginta anni sunt. Do[r] mivitque Sálomon cu[m] pátribus suis: regnavitq[ue] Róboam filius ejus pro e[o]. Venit ergo Jeróboam, [&] omnis multitúdo Israel & locúti sunt ad Róboa[m] dicentes: Pater tuus d[u] ríssimum jugum impósu[it] nobis; tu ítaque nunc in mínue páululum de imp[e] rio patris tui duríssimo & de jugo gravíssimo qu[od] impósuit nobis, & servi mus tibi. ¶ Respondítq[ue] rex pópulo dura, dere[li] cto consílio seniórum quod ei déderant, & [l]ocútus est eis secundu[m]

consílium júvenum, dicens: Pater meus aggravávit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro. Et non acquiévit rex pópulo, quóniam aversátus fúerat eum Dóminus, ut suscitáret verbum suum quod locútus fúerat in manu Ahíæ Silonítæ ad Jeróboam fílium Nabat. Videns ítaque pópulus, quòd noluísset eos audíre rex, respóndit ei dicens: Quæ nobis pars in David? vel quæ hæréditas in fílio Isai? Et constituérunt Jeróboam regem super omnem Israel, nec secútus est quisquam domum David præter tribum Juda solam.

℟. I. Implétus es, quasi flumen sapiéntiâ: ad ínsulas longè divulgátum est nomen tuum, & dilectus es in pace tuâ. * Dedísti máculam in glóriâ tuâ. ℣. Profanasti semen tuum indúcere iracúndiam ad líberos tuos, & incitári stultítiam tuam. * Dedísti. *Eccli.* 47.

℟. II. Certè in géntibus multis non erat rex símilis Salomóni: & dilectus Deo suo erat, & ipsum duxérunt ad peccátum mulíeres alienígenæ. * Itaque qui se exístimat stare, vídeat ne cadat. ℣. Hæc in figúrâ facta sunt nostrî; scripta sunt autem ad correptiónem nostram. * Itaque. *II. Esdr.* 13. *I. Cor.* 10.

℟. III. Finem hábuit Sálomon cum pátribus suis; * Et derelíquit post se de sémine suo, gentis stultítiam, Róboam, qui avertit gentem consílio suo. ℣. Cùm jam esset senex depravátum est cor ejus per mulíeres, ut sequeréntur Deos aliénos, * Et. *Eccli.* 47. *III. Reg.* 11.

℟. IV. Deus non derelínquet misericórdiam suam, & non corrumpet nec delébit ópera sua, * Neque perdet à stirpe nepótes electi sui, & semen ejus qui díligit Dóminum non corrumpet. ℣. Ille fidélis pérmanet; negáre seipsum non potest; * Neque. ℣. Glória. * Neque. *Eccli.* 47. *II. Tim.* 2.

LECTIO III.

Ex Libro secundo sancti Augustíni Epíscopi de Doctrínâ Christiánâ. *Edit. Bened. Cap.* 9.

IN ómnibus Libris sacris timentes Deum, & pietáte mansuéti, quærunt voluntátem Dei; cujus óperis & labóris prima observátio est, ut díximus, nosse istos libros, etsi nondum ad intellectū, legendo tamen vel mandáre memóriæ, vel omníno incógnitos non habére: deinde illa quæ in eis apertè pósita sunt, vel præcepta vivendi, vel ré-

ulæ credendi, solértiùs, iligentiùsque investiganda sunt. Quæ tantò quisque plura invenit, quantò est intelligéntiæ capácior. In iis enim quæ apertè in Scriptúris pósita sunt, inveniuntur illa ómnia quæ cóntinent fidem, morésque vivendi, spem scílicet atque caritátem. Tunc verò factâ quâdam familiaritáte cum ipsâ linguâ divinárum Scripturárum, in ea quæ obscúra sunt aperienda & discutienda pergendum est, ut ad obscurióres locutiónes illustrandas de manifestióribus sumantur exempla, & quædam certárum sententiárum testimónia dubitatiónem incertis áuferant, & Latínæ quidem linguæ hómines, quos nunc instruendos suscépimus, duábus áliis ad Scripturárum divinárum cognitiónem opus habent, Hebrææ scílicet & Grææ, ut ad exemplária præcedéntia recurrátur, si quam dubitatiónem adtúlerit Latinórum intérpretum infiníta varíetas.

℟. Cogitátum tuum habe in præceptis Dei, & * In mandátis illíus máximè assíduus esto: & ipse dabit tibi cor, & concupiscéntia sapiéntiæ dábitur tibi. ℣. Dóminus dat sapiéntiam: & ex ore ejus prudéntia & sciéntia. * In. ℣. Glória. * In. *Eccli.* 6. *Prov.* 2.

CANON.

Ex Concílio Senonensi. *An.* 1528. *Decret.* 4.

OBortis de fide dissídiis, frustrà sæpè Scriptúra consúlitur, nisi Ecclésiæ certa & infallíbilis litem dírimat authóritas, quæ Canónicum librum ab apócrypho, Cathólicum sensum ab hærético, germánum ad adulteríno discernat.

---

## FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Libro tértio Regum. *Cap.* 12 & 13.

JEróboam fecit duos vítulos áureos, & dixit: Nolíte ultrà ascéndere in Jerúsalem. Ecce dii tui Israel, qui te eduxérunt de terrâ Ægypti: posuítque unum in Bethel, & álterum in Dan: & factum est verbum hoc in peccátum; ibat enim pópulus ad adorandum vítulum usque in Dan. Et ecce vir Dei venit de Judâ in sermóne Dómini in Bethel, Jeróboam stante super altáre, & thus jaciente. Et exclamávit contra altáre, & ait: Altáre, altáre, hæc dicit Dóminus: Ecce fílius nascétur dómui David, Josías nómine, & immolábit super te sacerdótes

excelsórum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hóminum super te incendet. Deditque in illâ die signum, dicens: Hoc erit signum quod locútus est Dóminus: Ecce altáre scindétur, & effundétur cinis qui in eo est. ¶ Cùmque audisset rex sermónem hóminis Dei, extendit manum suam de altári, dicens: Apprehéndite eum. Et exáruit manus ejus, quam exténderat contra eum: nec váluit retráhere eam ad se. Altáre quoque scissum est, & effúsus est cinis de altári, juxta signum quod prædíxerat vir Dei in sermóne Dómini. Et ait rex ad virum Dei: Deprecáre fáciem Dómini Dei tui, & ora pro me, ut restituátur manus mea mihi. Oravitque vir Dei fáciem Dómini, & réversa est manus regis ad eum, & facta est sicut priùs fúerat.

LECTIO II.

Ex Libro secundo Paralipómenon. *Cap.* 14 & 15.

REgnávit Asa filius Abíæ super Judam; in cujus diébus quiévit terra annis decem. Azárias autem filius Obed, facto in se spíritu Dei, egressus est in occursum Asa, & dixit ei: Audíte me, Asa, & omnis Juda & Bénjamin: Dóminus vobíscum, quia fuistis cum eo. Si quæsiéritis eum, inveniétis; si autem dereliquéritis eum, derelinquet vos. Transíbunt autem multi dies in Israel absque Deo vero, & absque sacerdóte doctore, & absque lege. ¶ Cùmque reversi fúerint in angústiâ suâ ad Dóminum Deum Israel, & quæsíerint eum, repérient eum. In témpore illo non erit pax egredienti, & ingredienti, sed terróres úndique in cunctis habitatóribus terrárum. Pugnábit enim gens contra gentem, cívitas contra civitátem, quia Dóminus conturbábit eos in omni angústiâ. Vos ergo confortámini, & non dissolvantur manus vestræ, erit enim merces óperi vestro.

℟. I. Jeróboam filius Nabat peccáre fecit Israel, & dedit viam peccandi Ephraim, * Et plúrima redundavérunt peccáta ipsórum; ℣. Separávit Israel à Dómino, & peccáre eos fecit peccátum magnum. * Et. *Eccli.* 47. *IV. Reg.* 17.

℟. II. Percútiet Dóminus Deus Israel, sicut movéri solet arundo in aquâ: * Et evellet Israel de terrâ bonâ hâc, quam dedit pátribus eórum. ℣. Tradet Dóminus Israel propter peccáta Jeróboam, qui peccávit, & peccáre fecit

Israel; * Et. *III. Reg.* 14.

℟. III. Dies multos sedébunt filii Israel sine rege, & sine príncipe, & sine sacrificio, & sine altári: * Et post hæc reverterentur filii Israel, & quærent Dóminum Deum suum, & David regem suum. ℣. Captívi ducentur in omnes gentes, & Jerúsalem calcábitur à Géntibus: donec impleantur témpora natiónum; * Et. *Osee.* 3. *Luc.* 21.

℟. IV. Vidéte ne turbémini. Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum. Et tunc scandalizabuntur multi, & ínvicem tradent, & ódio habébunt ínvicem. * Qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit. ℣. Erit tunc tribulátio magna, qualis non fuit ab inítio mundi. * Qui. ℣. Glória. * Qui. *Matth.* 24.

LECTIO III.

Ex Libro tértio sancti Augustíni Epíscopi de Doctrínâ Christiânâ. *Edit. Bened. Cap.* 1. 5. 10. 11 & 12.

HOmo timens Deum voluntátem ejus in Scriptúris sanctis diligenter inquírit. Et ne amet certámina pietáte mansuétus; præmunítus étiam sciéntiâ linguárum, ne in verbis locutionibusque ignótis hæreat; præmunítus étiam cognitióne quarumdam rerum necessariárum, ne vim natúramve eárum quæ per similitúdinem adhibentur, ignóret. Adjuvante étiam, códicum veritáte, quam solers emendatiónis diligéntia procurávit; véniat ita instructus ad antíqua Scripturárum discutienda atque solvenda. In princípio cavendum est, ne figurátam locutiónem ad lítteram accípias. Huic autem observatióni adjungenda étiam illa est, ne própriam quasi figurátam velímus accípere. Demonstrandus est ígitur priùs & modus inveniendæ locutiónis, própriane an figuráta sit. Et iste omníno modus est, ut quidquid in sermóne divíno neque ad morum honestátem, neque ad fidei veritátem própriè referri potest, figurátum esse cognoscas. Morum honestas ad diligendum Deum & próximum, fidei véritas ad cognoscendum Deum & próximum pértinet. Non autem præcipit Scriptúra nisi caritátem, nec culpat nisi cupiditátem: & eo modo informat mores hóminum. Non autem ádserit nisi Cathólicam fidem rebus prætéritis & futúris & præséntibus. Præteritórum narrátio est, futurórum prænuntiátio, præséntium demonstrátio, sed ómnia hæc ad eamdem ca-

planíssimè dictum álibi reperiátur.

℟. Omnis sermo Dei ignítus, clypeus est sperántibus in se: * Ne addas quidquam verbis illíus, & arguáris, inveniarísque mendax. ℣. Elóquia Dómini, elóquia casta; argentum igne examinátum. * Ne. ℣. Glória. * Ne. *Prov.* 30. *Ps.* 11.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi. *An.* 1556. *Part.* 6. *Cap.* 5.

Beátus Augustínus in libris de Doctrínâ Christiánâ brevíssimam méthodum ad pervestigandas, intelligendásque Scriptúras commonstráre volens: Quisquis, inquit, Scriptúras divínas, vel quámlibet eárum partem intellexisse sibi videtur, ita ut in illo intellectu non ædíficet géminam caritátem Dei & próximi, is nondùm intellexit, quòd legis ac Scripturárum summa, finis ac plenitúdo sit diléctio quæ duóbus mandátis comprehénditur, nempè: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & díliges próximum tuum sicut te ipsum.

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Libro tértio Regum. *Cap.* 3.

Appáruit Dóminus Salomóni per sómnium nocte, dicens: Póstula quod vis ut dem tibi. Et ait Sálomon: Tu fecisti cum servo tuo David patre meo misericórdiam magnam, sicut ambulávit in conspectu tuo in veritáte, & justítiâ, & recto corde tecum: & nunc, Dómine Deus, tu regnáre fecisti servum tuum pro David patre meo: ego autem sum puer párvulus, & ignórans egressum & intróitum meum. Et servus tuus in médio est pópuli, quem elegisti, pópuli infiníti qui numerári & supputári non potest præ multitúdine. Dabis ergo servo tuo cor dócile, ut pópulum tuum judicáre possit, & discérnere inter bonum & malum. ¶ Et dixit Dóminus Salomóni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec divítias, aut ánimas inimicórum tuórum: sed postulasti tibi sapiéntiam ad discernendum judícium; ecce feci tibi secundùm sermónes tuos, & dedi tibi cor sápiens & intélligens, in tantum ut nullus ante símilis tuî fúerit, nec post te surrectúrus sit. Sed & hæc, quæ non postulasti dedi tibi; divítias scílicet, & glóriam, ut nemo fúerit símilis tuî in régibus cunctis retrò diébus.

dicentes : Baal, exaudi nos, & non erat vox, nec qui respondéret : transiliebantque altáre quod fécerant. Cùmque esset jam merídies, illudébat illis Elías, dicens : Clamáte voce majóre : deus enim est & fórsitan lóquitur, aut in diversório est, aut in itínere, aut certè dormit, ut excitétur. Clamábant ergo voce magnâ, & incidébant se juxta ritum suum cultris & lancéolis, donec perfunderentur sánguine.

LECTIO II.

DIxit Elías omni pópulo : Impléte quátuor hydrias aquâ, & fúndite super holocaustum, & super ligna. Rursumque dixit : Etiam secundò hoc fácite. Qui cùm fecissent secundò, & ait : Etiam tértiò idipsum fácite. Feceruntque tértiò, & currébant aquæ circum altáre, & fossa aquæductûs repléta est. ¶ Cùmque jam tempus esset ut offerrétur holocaustum, accédens Elías prophéta, ait : Dómine Deus Abraham, & Isaac, & Israel, ostende hódie quia tu es Deus Israel, & ego servus tuus, & juxta præceptum tuum feci ómnia verba hæc. Exaudi me, Dómine, exaudi me, ut discat pópulus iste, quia tu es Dóminus Deus, & tu convertisti cor eórum íterum. Cécidit autem ignis Dómini, & vorávit holocaustum, & ligna & lápides, púlverem quoque, & aquam quæ erat in aquæductu lambens. Quod cùm vidisset omnis pópulus, cécidit in fáciem suam, & ait : Dóminus ipse est Deus, Dóminus ipse est Deus.

℟. I. Accédens Elías ad omnem pópulum, ait : Usquequo claudicátis in duas partes ? * Si Dóminus est Deus, sequímini eum. ℣. Nemo potest duóbus dóminis servíre. * Si. *III. Reg.* 18. *Matth.* 6.

℟. II. An nescítis in Elíâ quid dicit Scriptúra, quemádmodum interpellat Deum adversum Israel ? * Dómine, altária tua destruxérunt, prophétas tuos occidérunt gládio, derelíctus sum ego solus, & quærunt ánimam meam. ℣. Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, quia dereliquérunt pactum tuum filii Israel. * Dómine. *Rom.* 1. *III. Reg.* 19.

℟. III. Quid dicit Elíæ dìvínum responsum ? Relíqui mihi septem míllia virórum, qui non curvavérunt génua ante Baal. Sic ergo * Et in hoc témpore relíquiæ secundùm electiónem grátiæ salvæ factæ sunt. ℣. Non répulit Deus plebem suam,

quam præscívit. * Et. *Rom.* 11.

℟. IV. Surrexit Elías prophéta quasi ignis, & verbum ipsíus quasi fácula ardébat. * Verbo Dómini contínuit cœlum, & dejécit de cœlo ignem ter. ℣. Elías homo erat símilis nobis, passíbilis: & orávit ut non plúeret, & non pluit; & rursum orávit, & cœlum dedit plúviam. * Verbo. ℣. Glória. * Verbo. *Eccli* 48. *Jac.* 5.

LECTIO III.

Ex Libro tértio sancti Augustíni Epíscopi de Doctrínâ Christiánâ. *Edit. Bened. Cap.* 12. 15 & 16.

QUid locis & tempóribus personísque convéniat, diligenter adtendendum est in Scriptúrâ sacrâ, ne témerè flagítia reprehendámus. Fíeri enim potest ut sine áliquo vítio cupédiæ vel voracitátis pretiosíssimo cibo sápiens utátur, insípiens autem fœdíssimâ gulæ flammâ in vilíssimum ardescat. In ómnibus hujusce modi rebus, non ex eárum rerum natúrâ quibus útimur, sed ex causâ utendi & modo appetendi, vel probandum est, vel improbandum quod fácimus. Regno terréno véteres justi regnum cœleste imaginabantur, & prænuntiábant. Sufficiendæ prolis causa erat uxórum plúrium simul uni viro habendárum inculpábilis consuetúdo. In hujuscémodi móribus quidquid illórum témporum sancti non libidinósè faciébant, quamvis ea fácerent quæ hoc témpore nisi per libídinem fíeri non possunt, non culpat Scriptúra: & quidquid ibi tale narrátur, non solùm históricè ac próprie, sed étiam figurátè ac prophéticè acceptum, interpretandum est usque in finem illum caritátis, sive Dei, sive próximi, sive utriusque. Servábitur ergo in locutiónibus figurátis régula hujúsmodi, ut tamdiu versétur diligenti consideratióne quod légitur, donec ad regnum caritátis interpretátio perducátur. Si autem hoc jam próprie sonat, nulla putétur figuráta locútio. Si præceptíva locútio est, aut flagítium aut fácinus vetans, aut utilitátem, aut beneficéntiam jubens, non est figuráta. Si autem flagítium aut fácinus vidétur jubére, aut utilitátem aut beneficéntiam vetáre, figuráta est.

℟. A mandátis tuis, intellexi; proptérea odívi omnem viam iniquitátis. * Lucerna pédibus meis verbum tuum, Dómine, & lumen sémitis meis. ℣. Omnis scriptúra divínitus inspiráta, útilis est ad

docendum, adarguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justítiâ : * Lucerna. ℣. Glória. * Lucerna. *Ps.* 118. *II. Tim.* 3.

CANON.

Ex Concílio Bituricensi.
*An.* 1584. *Can.* 3.

NOn líceat cuíquàm verba & senténtias sacræ Scriptúræ ad scurrília, fabulósa, vana, adulatiónes, detractiónes superstitiónes, & diabólicas incantatiónes, divinatiónes, sortes, libellos famósos, & álias ejúsmodi impietátes usurpáre. Qui in eo peccáverint, ab Epíscopis, legítimis pœnis coerceantur.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Libro tértio Regum.
*Cap.* 21.

VInea erat Naboth Jezrahelítæ, qui erat in Jézrael, juxta palátium Achab regis Samaríæ. Locútus est ergo Achab ad Naboth, dicens : Da mihi víneam tuam, ut fáciam mihi hortum ólerum, quia vicína est, & propè domum meam, dabóque tibi pro eâ víneam melióren : Cui respondit Naboth : Propítius sit mihi Dóminus, ne dem hæreditátem patrum meórum tibi. Venit ergo Achab in domum suam indignans & frendens : & projíciens se in léctulum suum, avertit fáciem suam ad paríetem, & non comédit panem. ¶ Dixit ergo ad eum Jézabel uxor ejus : Æquo ánimo esto, ego dabo tibi víneam Naboth Jezraelítæ. Scripsit ítaque Jézabel lítteras ex nómine Achab, & signávit eas ánnulo ejus, & misit ad majóres natu & optimátes qui erant in civitáte ejus, & habitábant cum Naboth. Litterárum autem hæc erat senténtia : Prædicáte jejúniũ, & sedére fácite Naboth inter primos pópuli, & submíttite duos viros fílios Bélial contra eum, & falsum testimónium dicant: Benedixit Deum & regem : & edúcite eum & lapidáte, sicque moriátur. Fecérunt ergo cives sicut præcéperat eis Jézabel : miseruntque ad Jézabel, dicentes : Lapidátus est Naboth, & mórtuus est.

LECTIO II.

FActus est ígitur sermo Dómini ad Eliã Thésbiten, dicens : Surge, & descende in occursũ Achab regis Israel, qui est in Samaríâ : ecce ad víneam Naboth descendit, ut possídeat eam ; & loquéris ad eum dicens : Hæc dicit Dóminus : Occidisti, ínsuper & possedisti. Et post hæc addes : Hæc dicit Dó-

minus: In loco hoc, in quo linxérunt canes sánguinem Naboth, lambent quoque sánguinem tuum. Sed & de Jézabel locútus est Dóminus, dicens: Canes cómedent Jézabel in agro Jézrael. ¶ Itaque cùm audísset Achab sermónes istos, scidit vestimenta sua, & opéruit cilício carnem suã, jejunavitque & dormívit in sacco, & ambulávit demisso cápite. Et factus est sermo Dómini ad Elíam Thésbiten, dicens: Nonne vidisti humiliátum Achab coram me? quia ígitur humiliátus est meî causâ, non indúcam malum in diébus ejus, sed in diébus filii sui, ínferam malum dómui ejus.

℟. I. Væ qui conjúngitis domum ad domum, & agrum agro copulátis usque ad términum loci: * Numquid habitábitis vos soli in médio terræ? ℣. Exsultátis in supérbiis vestris, omnis exsultátio talis maligna est. * Numquid. *Isai.* 5. *Jac.* 4.

℟. II. Væ qui justificátis ímpium pro munéribus, & justítiam justi aufertis ab eo. * Ideò irátus est furor Dómini in pópulum suum. ℣. Addixistis & occidistis justum, & non réstitit vobis. * Ideò. *Isai.* 5. *Jac.* 5.

℟. III. Occidisti, ínsuper & possedisti; * Ecce ego indúcam super te malum. ℣. Quia egisti, ut me ad iracúndiam provocáres, & peccáre fecisti Israel, * Ecce. *III. Reg.* 21.

℟. IV. Si ímpius égerit pœniténtiam ab ómnibus peccátis suis; & custodíerit ómnia præcepta mea, ómnium iniquitátum ejus non recordábor; * Quia nolo mortem morientis, dicit Dóminus. ℣. Emundáte manus, peccatóres; & purificáte corda, dúplices ánimo. Humiliámini in conspectu Dómini; * Quia ℣. Glória. * Quia. *Ezech.* 18. *Jac.* 4.

LECTIO III.

Ex Sermóne trecentésimo quinquagésimo sancti Augustíni Epíscopi de Caritáte. *II. Edit. Bened. n.* 2.

TOtam magnitúdinem & latitúdinem divinórum Eloquiórum secúra póssidet cáritas, quâ Deum proximumque diligimus. In his duóbus præceptis universa lex pendet, & Prophétæ. Si ergo non vacat omnes Páginas sanctas perscrutári, ómnia Scripturárum secréta penetráre, tene caritátem, ubi pendent ómnia: ita tenébis quod ibi didicisti; tenébis étiam quod nondum didicisti: si enim nosti unde & illud pendet quod fortè non nosti, & in eo quod in Scriptúris intélligis, cáritas pa-

tet; in eo quod non intélligis cáritas latet. Ille ítaque tenet & quod patet, & quod latet in divínis Sermónibus, qui caritátem tenet in móribus.

℟. Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo. Hoc est máximum & primum mandátum. Secundum autem símile est huic: Díliges próximum tuum sicut teipsum. * In his duóbus mandátis univérsa lex pendet & Prophétæ. ℣. Hoc mandátũ habémus à Deo, ut qui díligit Deum, díligat & fratrem suum. * In his. ℣. Glória. * In his. *Matth.* 22. *I. Joan.* 4.

CANON.

Ex Concílio Basileensi. *An.* 143. *Sess.* 18.

SAlvatóris nostri Jesu Christi sequens vestígia, hæc sancta Synodus illud gerit potíssimè in viscéribus caritátis, ut omnes Evangélicam veritátem agnoscant, & in eâ, postquàm agnóverint, fidéliter persevérent; ut Judæi aliíque infidéles ad orthodoxam convertantur fidem, quique ad ipsam conversi fuerint in illâ constanter permáneant.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Ascendit Elías per túrbinem in cœlum, Eliséus autem vidébat, & clamábat: Pater mi, pater mi, currus Israel, & auríga ejus. *IV. Reg.* 2.

*Collecta infrà ad Laudes, pag. 306.*

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

*IN I. NOCTURNO.*

LECTIO I.

Incipit Liber quartus Regũ. *Cap.* 1.

PRævaricátus est autem Moab in Israel, postquam mórtuus est Achab. Ceciditque Ochózias per cancellos cœnáculi sui, & ægrotávit: misitque núntios, dicens ad eos: Ite, consúlite Béelzebub deum Accaron, utrùm vívere queam de infirmitáte meâ hâc. Angelus autem Dómini locútus est ad Elíam Thésbiten, dicens: Surge & ascende in occursum nuntiórum regis Samaríæ, & dices ad eos: Numquid non est Deus in Israel, ut eátis ad consulendum Beélzebub deum Accaron? Quã ob rem hæc dicit Dóminus: De léctulo super quem ascendisti, non descéndes, sed morte moriéris. Et ábiit Elías.

℟. Manus Dei nostri est super omnes qui quærunt eum in bonitáte; * Et impérium ejus, & fortitúdo ejus, & furor super omnes

qui derelinquunt eũ. ℣. Misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. * Et impérium. *I. Esdr.* 8. *Luc.* 1.

LECTIO II.

REversíque sunt núntii ad Ochóziam, qui dixit eis: Quare reversi estis? At illi respondérunt ei: Vir occurrit nobis, & dixit ad nos: Ite & revertímini ad regem qui misit vos, & dicétis ei: Hæc dicit Dóminus: Numquid, quia non erat Deus in Israel, mittis ut consulátur Beélzebub deus Accaron? Idcirco de léctulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte moriéris. Qui dixit eis: Cujus figúræ & hábitûs est vir ille? At illi dixérunt: Vir pilósus, & zonâ pellíceâ accinctus rénibus. Qui ait: Elías Théshites est.

℟. Exspectátio Israel Dómine: omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te in terrâ scribentur: * Quóniam dereliquérunt venam aquárum vivéntium Dóminũ. ℣. Ecce qui elongant se à te períbunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te; * Quóniam. *Jerem.* 17. *Ps.* 72.

LECTIO III.

MIsitque ad eum quinquagenárium príncipem, & quinquaginta qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum: sedentíque in vértice montis, ait: Homo Dei, rex præcépit ut descendas. Respondensque Elías, dixit quinquagenário: Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & dévoret te, & quinquaginta tuos. Descendit ítaque ignis de cœlo, & devorávit eum, & quinquaginta qui erant cum eo. Rursumque misit ad eum príncipem quinquagenáriũ álterum, & quinquaginta cum eo. Qui locútus est illi: Homo Dei, hæc dicit rex: Festína, descende: Respondens Elías, ait: Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cœlo, & dévoret te, & quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cœlo, & devorávit illum, & quinquaginta ejus.

℟. Surrexit Elías Prophéta quasi ignis, & verbum ipsius quasi fácula ardébat; * Et irritántes illum invídiâ suâ pauci facti sunt: non enim póterant sustinére præcepta Dómini. ℣. Verbo Dómini contínuit cœlum, & dejécit de cœlo ignem ter; * Et. *Eccli.* 48.

LECTIO IV.

ITerum misit príncipem quinquagenárium tértium, & quinquaginta qui erant cum eo. Qui cùm venisset, curvávit génua contra Elíam, & precátus

est eum, & ait: Homo Dei, noli despícere ánimã meam, & ánimas servórum tuórum qui mecum sunt. Locútus est autem Angelus Dómini ad Elíam dicens: Descende cum eo, ne tímeas. Surrexit ígitur, & descendit cum eo ad regem; locútus est ei: Hæc dicit Dóminus; quia misísti núntios ad consulendum Beélzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, à quo posses interrogáre sermónem, ídeò de léctulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte moriéris.

℟. Sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis: *Et quis potest símiliter sic gloriári tibi? ℣. Dejecisti reges ad perníciem, & confregisti fácilè poténtiam ipsórum, & glorióssos de lecto suo: * Et quis. ℣. Glória. * Et quis. *Eccli.* 48.

## IN II. NOCTURNO.

### LECTIO V.

Ex Enchirídio sancti Augustíni Episcopi de Fide, Spe, & Caritáte. *Edit. Bened. Cap.* 95 & 96.

IN claríssimâ luce vidébitur in cœlis quod nunc piórum fides habet, ántequam manifestâ cognitióne videátur, quàm certa, immutábilis, efficacíssima sit voluntas Dei, quàm multa possit & non velit, nihil autem velit quod non possit: quàmque sit verum quod in Psalmo cánitur, Deus autem noster in cœlo & in terrâ ómnia quæcumque vóluit fecit. Quod útique non est verum, si áliqua vóluit, & non fecit, &, quod est indígnius, ídeo non fecit, quóniam ne fíeret quod volébat Omnípotens, voluntas hóminis impedívit. Non ergo fit áliquid nisi Omnípotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est Deum fácere bene, étiam sinendo fíeri quæcumque fiunt malè: non enim hoc nisi justo judício sinit: & profectò bonum est omne quod justum est.

℟. Omnes habitatóres terræ apud Deum in níhilum reputáti sunt: juxta voluntátem enim suam facit tam in virtútibus cœli, quàm in habitatóribus terræ: * Et non est qui resistat mánui ejus, & dicat ei: Quare fecisti? ℣. Omnia quæcumque vóluit, Dóminus fecit in cœlo & in terrâ; * Et non. *Dan.* 4. *Ps.* 134.

### LECTIO VI.

QUàmvis ergo ea quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona: tamen ut non solùm bona, sed étiam sint & mala bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent &

mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente Bono: cui procul dúbio quàm fácile est, quod vult fácere, tam fácile est, quod non vult esse, non sínere. Hoc nisi credámus, periclitátur ipsum nostræ confessiónis inítium, quâ nos in Deum Patrem omnipotentem crédere confitémur. Neque enim ob áliud veráciter vocátur Omnípotens, nisi quóniam quidquid vult potest, nec voluntáte cujúspiam creatúræ voluntátis Omnipotentis impedítur effectus.

℟. Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, & honórem, & virtútem: quia * Tu creasti ómnia, & propter voluntátem tuam erant, & creáta sunt. ℣. Omnes viæ tuæ parátæ sunt, & tua judícia in tuâ providéntiâ posuisti. * Tu. *Apoc.* 4. *Judith.* 9.

LECTIO VII.

Ex Libro ejusdem de Correptióne & Grátiâ. *Cap.* 14.

CUm hómines per correptiónem in viam justítiæ seu véniunt, seu revertuntur, quis operátur in córdibus eórum salútem, ni ille qui, quólibet plantante atque rigante, & quólibet in agris vel arbústulis operante, dat incrementum Deus; cui volenti salvum fácere nullum hóminum resistit arbítrium? Sic enim velle seu nolle in volentis aut nolentis est potestáte, ut divínam voluntátem non impédiat, nec súperet potestátem. Etiam de his enim qui fáciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult. Non est ítaque dubitandum, voluntáti Dei humánas voluntátes non posse resístere, quóminus fáciat ipse quod vult: quandóquidem étiam de ipsis hóminum voluntátibus: quod vult cùm vult, facit; sine dúbio habens humanórum córdium quò pláceat inclinandórum omnipotentíssimam potestátem.

℟. Fecit Deus ex uno omne genus hóminum inhabitáre super universam fáciē terræ, quærere Deum, si forte attrectent eum, aut invéniant, quamvis non longè sit ab unoquóque nostrûm, * In ipso enim vívimus, & movémur, & sumus. ℣. In manu Dómini & nos, & sermónes nostri, & omnis sapiéntia, & óperum sciéntia, & disciplína. * In ipso. *Act.* 17. *Sap.* 7.

LECTIO VIII.

Ex Libro sancti Fulgéntii Epíscopi ad Petrum Diáconum de Incarnatióne & Grátiâ. *Edit. Paris.* *Cap.* 29. *n.* 56.

QUómodo ómnia quæ vult facit Deus, si volens hóminem salvum fie-

ri, cujus salus nonnísi à bonâ íncipit voluntáte, ipsum velle non in hómine Deus ínchoat, sed ut ab hómine nascátur, exspectat? O quàm péssimum nefas adséritur, dum grátiæ Dei contumáciter repugnátur, & hómines ópere Dei se in bonum mutári negant, qui hómines non essent, nisi bonitáte Dei operantis exsísterent. Itane verò rerum ordo credi putaríve permittit, ut Deus, qui creátor est hóminis, váleat hóminem fácere, non mutáre: & qui nullíus eget adjutório ut hóminem fáciat, operári tamen quod vult in hóminis voluntáte non possit, priusquam in hómine ipsum velle repérerit: & ut sit homo, hábeat ex Deo; ut autem mélior sit, hábeat ex seipso?

℟. Dómine, Dómine, Rex omnípotens, in ditióne tuâ cuncta sunt pósita, * Et † Non est qui possit tuæ resístere voluntáti, si decréveris salváre Israel. ℣. Omnia tibi possibília sunt; * Et. ℣. Glória. †Non. *Esther.* 13. *Marc.* 14.

## IN III. NOCTURNO.

### LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Titum.

*Cap.* 2.

IN ómnibus teipsum præbe exemplum bonórum óperum, in doctrínâ, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile; ut is, qui ex adverso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis. Servos dóminis suis súbditos esse, in ómnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in ómnibus fidem bonam ostendentes: ut doctrínam Salvatóris nostri Dei ornent in ómnibus.

℟. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, * Ut vídeant ópera vestra bona, & gloríficent Patrem vestrũ qui in cœlis est. ℣. In sapiéntiâ ambuláte ad eos qui foris sunt, * Ut. *Matth.* 5. *Coloss.* 4.

### LECTIO X.

APpáruit enim grátia Dei Salvatóris nostri ómnibus homínibus, erúdiens nos, ut abnegantes impietátem, & seculária desidéria, sóbriè & justè, & piè vivámus in hoc século, exspectantes beátam spem, & adventum glóriæ magni Dei, & Salvatóris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redímeret ab omni iniquitáte, & mundáret sibi pópulum acceptábilem, sectatórem bonórum óperum. Hæc lóquere, & exhortáre, & árgue cum omni império. Nemo te contemnat.

℟. Cáritas Christi urget

nos: æstimantes hoc quóniam pro ómnibus mórtuus est Christus: * Ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mórtuus est & resurrexit. ℣. Dilexit nos, & trádidit semetipsum pro nobis oblatiónem & hóstiam Deo in odórem suavitátis; * Ut. II. *Cor.* 5. *Ephes.* 5.

LECTIO XI. *Cap.* 3.

ADmone illos princípibus & potestátibus súbditos esse, dicto obedíre, ad omne opus bonum parátos esse: néminem blasphemáre, non litigiósos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetúdinem ad omnes hómines. Erámus enim aliquando & nos insipientes, incréduli, errantes, servientes desidériis, & voluptátibus váriis, in malítiâ & invídiâ agentes, odíbiles, odientes ínvicem. Cùm autem benígnitas & humánitas appáruit Salvatóris nostri Dei, non ex opéribus justítiæ, quæ fécimus nos, sed secundùm suam misericórdiam salvos nos fecit, per lavácrum regeneratiónis, & renovatiónis Spíritûs sancti, quem effúdit in nos abundè per Jesum Christum Salvatórem nostrum, ut justificáti grátiâ ipsíus, hærédes simus secundùm spem vitæ ætérnæ.

℟. Deus ipse prior dilexit nos, & misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris. * Caríssimi, si sic Deus diléxit nos, & nos debémus altérutrum dilígere. ℣. Comméndat caritátem suam Deus in nobis; quóniam cùm adhuc peccatóres essémus, Christus pro nobis mórtuus est. * Caríssimi. *I. Joan.* 4. *Rom.* 5.

LECTIO XII.

FIdélis sermo est: & de his volo te confirmáre: ut curent bonis opéribus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona & utília homínibus. Stultas autem quæstiónes, & genealógias, & contentiónes, & pugnas legis devíta; sunt enim inútiles & vanæ. Hæréticum hóminem post unam & secundam correptiónem devíta: sciens quia subversus est, qui ejúsmodi est, & delinquit, cùm sit próprio judício condemnátus. Discant autem & nostri bonis opéribus præesse ad usus necessários: ut non sint infructuósi. Salútant te qui mecum sunt omnes: salúta eos, qui nos amant in fide. Grátia Dei cum ómnibus vobis. Amen.

℟. Pérmane in iis quæ didicisti, & crédita sunt tibi; sciens à quo didíceris. * Stultas autem & sine disciplínâ quæstiónes devíta, sciens quia génerant lites.

℣. Quæ præcépit tibi Deus, illa cógita semper. * Stultas. ℣. Glória. * Stultas. *II. Tim.* 3 & 2. *Eccli.* 3.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Marcum.
*Cap.* 8.

CUm turba multa esset, nec habérent quod manducárent, convocátis discípulis, ait illis Jesus: Miséreor super turbam: quia ecce jam tríduo sústinent me, nec habent quod mandúcent: & si dimísero eos jejúnos in domum suam, defícient in viâ: quidam enim ex eis de longè venérunt. Et respondérunt ei discípuli sui: Unde illos quis póterit hìc saturáre pánibus in solitúdine? Et interrogávit eos: Quot panes habétis? qui dixérunt: Septem. Et præcépit turbæ discúmbere super terram. Et accípiens septem panes, grátias agens fregit, & dabat discípulis suis ut appónerent, & apposuérunt turbæ. Et habébant pisciculos paucos: & ipsos benedixit, & jussit appóni. Et manducavérunt & saturáti sunt, & sustulérunt quod superáverat de fragmentis, septem sportas. Erant autem qui manducáverant, quasi quátuor míllia: & dimísit eos.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Præcépit Jesus turbæ discúmbere super terram: & manducavérunt, & saturáti sunt. *Marc.* 8.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus virtútum, cujus est totum quod est óptimum, † ínsere pectóribus nostris amórem tui nóminis, & præsta in nobis religiónis augmentum; * ut quæ sunt bona nútrias, ac pietátis stúdio quæ sunt nutríta custódias; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.
*An.* 1547. *Sess.* 6.
*Can.* 4 & 5.

SI quis díxerit Líberum hóminis arbítrium à Deo motum & excitátum, nihil cooperári adsentiendo Deo excitanti atque vocanti; quo ad obtinendam justificatiónis grátiam se dispónat ac præparet; neque posse dissentíre, si velit: sed velut inánime nihil omníno ágere, meréque passívè se habére; aut Líberum hóminis arbítrium post Adæ peccátum amissum, & exstinctum esse díxerit; aut rem esse de solo título, imò títulum sine re, figmentum dénique à sátana invectum in Ecclésiâ; anáthema sit.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Sustulérunt quod superáverat de fragmentis, septem

sportas : erant autem qui manducáverant, quasi quátuor míllia : & dimísit eos. *Marc.* 8.

---

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Libro quarto Regum. *Cap.* 2.

FActum est cùm leváre vellet Dóminus Elíam per túrbinem in cœlum, ibant Elías & Eliséus de Gálgalis. Dixit autem Elías ad Eliséum : Sede hìc, quia Dóminus misit me usque ad Jordánem. Qui ait : Vivit Dóminus, & vivit ánima tua, quia non derelinquam te. Iérunt ígitur ambo páriter. Tulitque Elías pállium suum, & involvit illud, & percussit aquas, quæ divísæ sunt in utramque partem, & transiérunt ambo per siccum. ¶ Cùmque transissent, Elías dixit ad Eliséum : Póstula quod vis, ut fáciam tibi, ántequam tollar à te. Dixitque Eliséus : Obsecro ut fiat in me duplex spíritus tuus. Cùmque pérgerent, & incedentes sermocinarentur, ecce currus ígneus & equi ígnei divisérunt utrumque, & ascendit Elías per túrbinem in cœlum. Eliséus autem vidébat, & clamábat : Pater mi, pater mi, currus Israel & auríga ejus. Et non vidit eum ámpliùs.

LECTIO II. *Cap.* 4.

FActa est quædam dies, & transíbat Eliséus per Sunam ; erat autem ibi múlier magna, quæ ténuit eum ut comédere panem. Cùmque frequenter inde transíret, divertébat ad eam ut coméderet panem. Et ait Eliséus ad Giézi : Quid vult ut fáciam ei ? Dixitque Giézi : Ne quæras ; filium enim non habet, & vir ejus senex est. Dixit ad eam : In témpore isto, si vita comes fúerit, habébis filium. Et concépit múlier, & péperit filium in témpore, & in horâ eâdem quâ díxerat Eliséus. ¶ Crevit autem puer, & mórtuus est, & venit mater púeri ad virum Dei in montem Carméli ; qui surrexit & secútus est eam. Ingressus est ergo Eliséus domum, & ecce puer mórtuus jacébat in lectulo ejus, ingressusque clausit óstium super se, & orávit ad Dóminum. Et ascendit & incúbuit super púerum : & oscitávit puer sépties, aperuitque óculos. Venit Sunamítis, & córruit ad pedes ejus, & adorávit super terram : tulitque filium suum.

℟. I. Quis potest, Elía, simíliter sic gloriári tibi ? qui prophétas facis successóres post te, qui receptus es in túrbine ignis, in cur-

ru equórum igneórum ? * Beáti sunt qui te vidérunt, & in amicítiâ tuâ decoráti sunt. ℣. Scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini, conciliáre cor patris ad filium, & restitúere tribus Jacob. * Beáti. *Eccli.* 48.

℟. II. Amplificátus est Elías in mirabílibus suis. In túrbine tectus est, * Et in Eliséo complétus est spíritus ejus. ℣. Elías dum zelat zelum legis, receptus est in cœlum. * Et. *Eccli.* 48. *I. Mach.* 2.

℟. III. Qui récipit prophétam in nómine prophétæ, mercédem prophétæ accípiet. * Amen dico vobis, non perdet mercédem suam. ℣. Qui áccipit si quem mísero, me áccipit. * Amen. *Matth.* 10. *Joan.* 13.

℟. IV. Sustulísti mórtuum ab ínferis de sorte mortis, * In verbo Dómini Dei. ℣. Fide accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos, * In. ℣. Glória. * In. *Eccli.* 48. *Hebr.* 11.

LECTIO III.

Ex Apológiâ primâ sancti Justíni Mártyris. *Edit. Bened. n.* 43.

EDoctis à Prophétis pœnas & supplícia ac bonas remuneratiónes pro méritis cujusque actiónum irrogári, verum id esse confirmámus. Nam si res ita se non habet, ac fati necessitáte fiunt ómnia; nullus jam líbero arbítrio locus. Si enim fato decrétum est hunc esse bonum, istum autem malum; neque hic laudandus, neque iste vituperandus: ac rursus nisi humánum genus facultátem hábeat líberâ ánimi inductióne & fugiendi túrpia & honesta sectandi, extra nóxiam est, quidquid égerit. Sed líberâ ánimi inductióne hóminem vel bene ágere vel malè sic demonstrámus. Hóminem eumdem in contrária transcúrrere vidémus: quòd si fato decrétum esset, eum vel bonum esse vel malum, non sanè contrariórum capax esset, nec tam sæpe mutarétur. Sed ne álii quidem boni essent, álii mali: vel enim fatum malórum causam esse, ac contrária sibi ipsi fácere statuerémus; vel verum nobis viderétur id, nihil esse virtútem aut vítium, sed solâ opinióne bona aut mala dijudicári; quæ profectò, ut vera rátio demonstrat, máxima impíetas & injustítia est. Sed fatum ineluctábile illud esse dícimus; his qui bona éligunt, mérita præmia, his verò qui contrária, débitam mercédem.

℟. Deus, ab inítio constítuit hóminem, & reli-

quit illum in manu consílii sui: adjécit mandáta & præcepta sua: * Si volúeris mandáta serváre, conservábunt te. ℣. Appósuit tibi aquam & ignem: ad quod volúeris pórrige manum: * Si. ℣. Glória. * Si. *Eccli.* 15.

CANON.

Ex Epístolâ Synódicâ Episcopórum in Sardíniâ éxsulum de Grátiâ & Líbero Arbítrio. *An.* 521. *n.* 5.

SCienda est, & recto tenóre fidei profitenda tam humáni arbítrii egéna potestas, quàm divínæ grátiæ indeficiens lárgitas. Quid enim habes, ait Apóstolus, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriáris, quasi non accéperis? Ante largitátem quippe grátiæ est in hómine quidem liberum arbítrium, sed non bonum, quia non illuminátum. Proinde, nisi grátia detur, bonum ipsum arbítrium non habétur.

---

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Libro quarto Regum. *Cap.* 5.

NAáman princeps milítiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dóminum suum, & honorátus; per illum enim dedit Dóminus salútem Syriæ; erat autem vir fortis & dives; sed leprósus. Porrò de Syriâ egressi fúerant latrúnculi, & captívam dúxerant de terrâ Israel puellam párvulam, quæ erat in obséquio uxóris Naáman. Quæ ait ad dóminam suam: útinam fuisset Dóminus meus ad prophétam, qui est in Samaríâ: profectò curasset eum à leprâ quam habet. Venit ergo Naáman cum equis & cúrribus, & stetit ad óstium domûs Eliséi. Misítque ad eum Eliséus núntium, dicens: Vade, & laváre sépties in Jordáne, & recípiet sanitátem caro tua, atque mundáberis. ¶ Descendit & lavit in Jordáne sépties, juxta sermónem viri Dei, & restitúta est caro ejus, sicut caro púeri párvuli, & mundátus est. Reversúsque ad virum Dei cum universo comitátu suo, venit, & stetit coram eo, & ait: Verè scio quod non sit álius Deus in universâ terrâ, nisi tantùm in Israel. Obsecro ítaque ut accípias benedictiónem à servo tuo. At ille respondit: Vivit Dóminus: ante quem sto, quia non accípiam. Cúmque vim fáceret, pénitùs non acquiévit.

LECTIO II.

SEcútus est Giézi post tergum Naáman: quem cùm vidisset ille currentem

ad se, desíliit de curru in occursum ejus, & ait: Rectène sunt ómnia? Et ille ait: Rectè; dóminus meus misit me ad te, dicens: Modò venérunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim, ex filiis prophetárum; da eis talentum argenti, & vestes mutatórias dúplices. Dixitque Naáman: Mélius est ut accípias duo talenta, & coégit eum. ¶ Cùmque venisset jam vésperi, stetit coram dómino suo. Et dixit Eliséus: Unde venis Giézi? Qui respondit: Non ivit servus tuus quòquam. At ille ait: Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tuî? Nunc ígitur accepisti argentum, & accepisti vestes. Sed & lepra Naáman adhærébit tibi, & sémini tuo, usque in sempitérnum. Et egressus est ab eo leprósus quasi nix.

℟. I. Descendit Naáman, & * Lavit in Jordáne sépties, juxta sermónem viri Dei; & restitúta est caro ejus, sicut caro púeri párvuli. ℣. Multi leprósi erant in Israel sub Eliséo prophéta; & nemo eórum mundátus est, nisi Naáman Syrus. * Lavit. *IV. Reg.* 5. *Luc.* 4.

℟. II. Dixit Naáman ad virum Dei: * Non fáciet ultra servus tuus holocaustum aut víctimam diis aliénis, nisi Dómino. ℣. Notus in Judæâ Deus, in Israel magnum nomen ejus. * Non. *IV. Reg.* 5. *Ps.* 75.

℟. III. Radix ómnium malórum est cupíditas: quam quidam appetentes, erravérunt à fide, & inseruérunt se dolóribus multis. * Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge; sectáre verò justítiam, pietátem. ℣. Multos pérdidit aurum & argentum; * Tu. *I. Tim.* 6. *Eccli.* 8.

℟. IV. Pecúnia tua tecum sit in perditiónem: quóniam donum Dei existimasti pecúniâ possidéri. * Pœniténtiam ítaque age ab hâc nequítiâ tuâ. ℣. Cor tuum non est rectum coram Deo. * Pœniténtiam. ℣. Glória. * Pœniténtiam. *Act.* 8.

LECTIO III.

Ex Disputatióne secundâ sancti Augustíni Epíscopi contra Fortunátum Manichæum. *Edit. Bened. n.* 20.

Nostra fides hæc est, quòd malórum génitor non sit Deus, neque ullam natúram fécerit malam: sed mala esse voluntário peccáto ánimæ, cui dedit Deus líberum arbítrium: si non dedisset Deus, judícium puniendi nullum justum esse posset, nec méritum rectè faciendi, nec

præceptum divínum ut agerétur pœniténtia de peccátis, nec ipsa indulgéntia peccatórum, quam nobis Deus per Dóminum nostrum Jesum Christum donávit. Quia qui non voluntáte peccat, non peccat. Hoc árbitror ómnibus apertum esse atque perspícuum. Si quis enim verbi causâ ab áliquo ligarétur cæteris membris, & de manu ejus falsum scriberétur sine ejus própriâ voluntáte, quæro si hoc júdici patefíeret, posset hunc hóminem falsitátis crímine condemnáre? Quare manifestum est, peccátum non esse, ubi non est líberum voluntátis arbítrium.

℟. Nonne, si bene égeris, recípies: sin autem malè, statim in fóribus peccátum áderit? * Sed † Sub te erit appetítus ejus, & tu domináberis illíus. ℣. Caro concupíscit advérsùs spíritum. * Sed. ℣. Glória. † Sub te. *Genes.* 4. *Galat.* 5.

CANON.

Ex Epístolâ Synódicâ Episcopórum in Sardíniâ éxsulum de Grátiâ & Líbero arbítrio. *An.* 521. *n.* 5.

SIc est líberum hóminis arbítrium absque dono grátiæ, sicut est óculus sine luce. Nam & óculus ad vidéndum factus est; sed nisi lumen accéperit, non vidébit. Illa autem est lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum: illúminat autem hóminem seipsum dando per grátiam. Sicut ergo córporis óculus semper índiget lumen accípere, ut ipsum possit accípere: sic & líbero arbítrio hóminis nulla potest grátiæ suffragári cognítio, nisi detur ipsíus grátiæ spirituális infúsio.

---

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Libro quarto Regum. *Cap.* 6.

REx Syriæ pugnábat contra Israel, consiliúmque íniit cum servis suis, dicens: In loco illo & illo ponámus insídias. Misit ítaque vir Dei ad regem Israel, dicens: Cave ne tránseas in locum illum: quia ibi Syri in insídiis sunt. Misit ítaque rex Israel ad locum quem díxerat ei vir Dei, & præoccupávit eum. ¶ Conturbatúmque est cor regis Syriæ pro hâc re: & convocátis servis suis, ait: Quare non indicastis mihi, quis próditor meî sit apud regem Israel? Dixitque unus servórum ejus: Nequáquam, dómine mi rex, sed Eliséus prophéta, qui est in Israel, índicat regi

Israel ómnia verba quæcumque locútus fúeris in conclávi tuo. Dixitque eis: Ite, & vidéte ubi sit, ut mittam, & cápiam eum. Annuntiaverúntque ei dicentes: Ecce in Dothan. Misit ergo illuc equos & currus, & robur exércitûs.

LECTIO II.

Consurgens autem dilúculo minister viri Dei, egressus, vidit exércitum in circúitu civitátis: nuntiavítque ei dicens: Heu, heu, heu, Dómine mi, quid faciémus? At ille respondit, Noli timére: plures enim nobíscum sunt, quàm cum illis: cùmque orasset Eliséus, apéruit Dóminus óculos púeri, & vidit: & ecce mons plenus equórum & cúrruum igneórum in circúitu Eliséi. Hostes verò descendérunt ad eum: porrò Eliséus orávit ad Dóminum, dicens: Pércute, óbsecro, gentẽ hanc cæcitáte. Percussítque eos Dóminus, ne vidérent juxta verbum Eliséi. Duxit ergo eos in Samaríam. ¶ Cùmque ingressi fuissent in Samaríam, dixit Eliséus: Dómine, áperi óculos istórum, ut vídeant. Aperuítque Dóminus óculos eórum, & vidérunt se esse in médio Samaríæ. Dixítque rex Israel ad Eliséum, cùm vidisset eos: Numquid percútiam eos, pater mi? At ille ait: Non percúties: neque enim cepisti eos gládio & arcu tuo, ut percútias: sed pone panem & aquam coram eis, ut cómedant & bibant, & vadant ad Dóminum suum.

℟. I. Apud Dóminum est fortitúdo & sapiéntia: ipse novit & decipiéntem, & eum qui décipitur: * Addúcit consiliários in stultum finem, & júdices in stupórem; bálteum regum dissolvit. ℣. Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? * Addúcit. *Job.* 12. *I. Cor.* 1.

℟. II. Observábit peccátor justum, & stridébit super eum déntibus suis. * Dóminus autem irridébit eum. ℣. Insidiátur in abscóndito, quasi leo in spelúncâ suâ, insidiátur ut rápiat páuperem. * Dóminus. *Ps.* 36 & 9.

℟. III. Dóminus sónitum audíri fécerat in castris Syriæ, cúrruum, & equórum, & exércitûs plúrimi. * Surrexérunt ergo, & fugérunt in ténebris, ánimas tantùm suas salváre cupientes. ℣. Dei est adjuváre, & in fugam convértere. * Surrexérunt. *IV. Reg.* 7. *II. Paral.* 25.

℟. IV. In Eliséo complétus est spíritus Elíæ; in diébus suis non pertímuit príncipem, * Et poténtiâ nemo vicit illum. ℣. Non

superávit

ſuperávit illum verbum áliquod: * Et. ℣. Glória. * Et. *Eccli.* 48.

LECTIO III.

Ex Libro quinto ſancti Auguſtíni Epíſcopi de Civitáte Dei. *Edit. Bened. Cap.* 10. *n.* 2.

NUllo modo cógimur aut retentâ præſciéntiâ Dei tóllere voluntátis arbítrium, aut retento voluntátis arbítrio Deum (quod nefas eſt) negáre præſcium futurórum. Sed utrumque ampléctimur, utrumque fidéliter & veráciter confitémur; illud ut bene credámus, hoc ut bene vivámus. Malè autem vívitur, ſi de Deo non bene créditur, unde abſit à nobis negáre ejus præſciéntiam, ut líberi eſſe velímus, quo adjuvante ſumus líberi, vel érimus. Proinde non fruſtra ſunt leges, objurgatiónes, exhortatiónes, laudes, & vituperatiónes; quia & ipſas futúras eſſe præſcívit; & preces valent ad ea impetranda, quæ ſe precántibus conceſſúrum eſſe præſcívit: & juſtè præmia bonis factis, & peccátis ſupplícia conſtitúta ſunt. Neque enim ídeo peccat homo, quia Deus illum peccatúrum eſſe præſcívit: imo ídeo non dubitátur ipſum peccáre, cùm peccat; quia ille cujus præſciéntia falli non poteſt, non fatum, non fortúnam, non áliquid áliud, ſed ipſum peccatúrum eſſe præſcívit. Qui ſi nolit útique non peccat: ſed ſi peccáre nolúerit, étiam hoc ille præſcívit.

℟. Intellexiſti, Dómine, cogitatiónes meas de longe: & omnes vias meas prævidiſti. * Ecce, Dómine, tu cognoviſti ómnia noviſſima & antíqua. ℣. Deus ætérne, qui abſconditórum es cógnitor, qui noſti ómnia ántequam fiant; * Ecce. ℣. Glória. * Ecce. *Pſ.* 138. *Dan.* 13.

CANON.

Ex Concílio Senonenſi. *An.* 1528. *Præf.*

ACcedentem ad Deum oportet primùm divínæ grátiæ múnere adjútum crédere, deinde bonis opéribus inténdere: in quibus efficiendis & líberum arbítrium operátur, & grátia; primò tamen, & principális grátia. Quapropter qui hóminem bene operári & ſalútem cónſequi arbitrátur abſque grátiâ, aut primátum boni óperis líbero arbítrio adſcríbit, non grátiæ, Pelagiánus cenſendus eſt; qui verò ſalvári hóminem exiſtimat; neglectis bonis opéribus à líbero arbítrio procedéntibus, hic Manichæus eſt & Lutheránus.

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Libro quarto Regum.

*Cap. 6 & 7.*

CONgregávit Bénadad rex Syriæ universum exércitum suum, & ascéndit, & obsidébat Samaríam. Factáque est fames magna in Samaríâ. Cùmque rex Israel transíret per murum, múlier quædam exclamávit ad eum, dicens: Salva me, Dómine mi rex. Qui ait: Quid tibi vis? Quæ respóndit. Múlier ista dixit mihi: Da mihi filium tuum, ut comedámus eum hódie, & filium meum comedémus cras. Cóximus ergo filium meum, & comédimus. Dixíque ei die álterâ: Da filium tuum, ut comedámus eum. Quæ abscóndit filium suum. ¶ Quod cùm audísset rex scidit vestiménta sua, & transíbat per murum. Viditque omnis pópulus cilícium quo vestítus erat ad carnem intrínsecùs. Dixit autem Eliséus: Audíte verbum Dómini: Hæc dicit Dóminus: In témpore hoc cras módius símilæ uno statére erit, & duo módii hórdei statére uno in portâ Samaríæ. Respondens unus de dúcibus, super cujus manum rex incumbébat, hómini Dei, ait: Si Dóminus fécerit étiam cataráctas in cœlo, numquid póterit esse quod lóqueris? Qui ait: Vidébis óculis tuis, & inde non cómedes.

LECTIO II.

QUátuor ergo viri erant leprósi juxta intróitum portæ: qui dixérunt ad ínvicem: Quid hìc esse vólumus donec moriámur? Sive íngredi voluérimus civitátem, fame moriémur, sive mansérimus hìc, moriendum nobis est: veníte ergo, & transfugiámus ad castra Syriæ. Surrexérunt ergo vésperi ut veníirent ad castra Syriæ. ¶ Cùmque venissent ad princípium castrórum Syriæ, nullum ibídem reperérunt. Dixeruntque ad ínvicem: Hæc dies boni núntii est; veníte, eámus, & nuntiémus in aulâ Regis. Misítque rex in castra Syrórum, dicens: Ite, & vidéte. Qui abiérunt post eos usque ad Jordánem: ecce autem omnis via plena erat véstibus & vasis quæ projécerant Syri cùm turbaréntur, reversíque núntii indicavérunt regi. Et egressus pópulus dirípuit castra Syriæ: factúsque est módius símilæ statére uno, & duo módii hórdei statére uno, juxta verbum Dómini. Porrò rex ducem illum, in cujus manu incumbébat, constítuit ad portam; quem conculcá-

vit turba in intróitu portæ, & mórtuus est, juxta quod locútus fúerat vir Dei, quando descénderat rex ad eum.

℟. I. Obsidéberis intra portas tuas in omni terrâ tuâ quam dabit tibi Dóminus Deus tuus: * Et cómedes fructum úteri tui, & carnes filiórum tuórum & filiárum tuárum. ℣. Eo quòd non servíeris Dómino Deo tuo in gáudio, sérvies inimíco tuo, quem immittet tibi Dóminus, in fame, & siti, & nuditáte, & omni penúriâ: * Et. *Deut.* 28.

℟. II. Dómine Deus, ecce tu fecisti cœlum & terram in fortitúdine tuâ magnâ, & in bráchio tuo extento: * Non erit tibi difficile omne verbum. ℣. Apud hómines hoc impossíbile est: apud Deum autem ómnia possibília sunt. * Non. *Jerem.* 32. *Matth.* 19.

℟. III. Revertéris & áudies vocem Dómini Dei tui; * Et abundáre te fáciet Dóminus Deus tuus in rerum ómnium largitáte. ℣. Revertétur Dóminus, ut gáudeat super te in ómnibus bonis, * Et. *Deut.* 30.

℟. IV. In Eliséo complétus est spíritus Elíæ; in diébus suis non pertímuit príncipem, * Et poténtiâ nemo vicit illum. ℣. Non superávit illum verbum áliquod. * Et. ℣. Glória. * Et. *Eccli.* 48.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Fulgéntii Epíscopi de Incarnatióne & Gratiâ, ad Petrum Diáconum. *Edit. Parif. Cap.* 19. *n.* 36.

Ex quo primus homo natúram suam voluntárie vitiávit, atque oppressit; ita crevit infirmitas, ut nisi divínæ grátiæ medicamento præventum, in unoquóque hómine sanétur, atque adjuvétur líberum indesinenter arbítrium, sit quidem líberum, non tamen bonum: sit líberum, non tamen rectum: sit líberum, non tamen sanum: sit líberum, non tamen justum: & quantò magìs à bonitáte, rectitúdine, sanitáte, justitiâque líberum, tantò magìs malítiæ, perversitátis, infirmitátis, atque iniquitátis mortíferâ servitúte captívum. Qui enim facit peccátum, servus est peccáti: & à quo quis devictus est, huic & servus addictus est. Regnante ígitur peccáto, habet quidem líberum arbítrium, sed líberum sine Deo, non líberum sub Deo; id est, líberum justítiâ, non líberum sub grátiâ, & ob hoc péssimè atque servíliter líberum, quia non gratúito miseréntis Dei múnere liberátum.

℟. Omnis qui facit peccátum, servus est peccáti: * Servus autem non manet in domo in ætérnum; fílius autem manet in ætérnum. † Si ergo vos Fílius liberáverit, verè líberi éritis. ℣. A quo quis superátus est, hujus & servus est; * Servus. ℣. Glória. † Si. *Joan.* 8. *II. Petr.* 2.

CANON.

Ex Concílio Senonensi. *An.* 1528. *Præf.*

VEra libertas Christianórum, quâ fidéles Christus liberávit, non libertas est carnis, sed spíritûs, per quam mortificátur caro cum suis concupiscéntiis, spíritus autem vivificátur. Adversátur enim prorsùs libertáti spíritûs libertas carnis, ut præclárè sub typo Isaac & Ismael, Saræ & Agar, ad Gálatas Apóstolus dedúcit.

---

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Libro quarto Regum. *Cap.* 9.

ELiséus prophétes vocávit unum de fíliis prophetárum, & ait illi: Accinge lumbos tuos, & tolle lentículam ólei hanc in manu tuâ, & vade in Ramoth Gálaad. Cùmque véneris illuc, vidébis Jehu fílium Jósaphat fílii Namsi: & ingressus suscitábis eum de médio fratrum suórum, & introdúces in intérius cubículum. Tenensque lentículam ólei, fundes super caput ejus, & dices: Hæc dicit Dóminus: Unxi te regem super Israel. Aperiésque óstium, & fúgies, & non ibi subsístes. ¶ Abiit ergo adoléscens puer prophétæ in Ramoth Gálaad, & ingressus est illuc: ecce autem príncipes exércitûs sedébant, & ait: Verbum mihi ad te, ô princeps. Dixítque Jehu: Ad quem ex ómnibus nobis? At ille dixit: Ad te, ô princeps. Et surrexit, & ingressus est cubículum: at ille fudit óleum super caput ejus, & ait: Hæc dicit Dóminus Deus Israel: Unxi te regem super pópulum Dómini Israel, & percúties domum Achab Dómini tui: & ulciscar sánguinem servórum meórum prophetárum, & sánguinem ómnium servórum Dómini de manu Jézabel. Aperuítque óstium & fugit. Jehu autem egressus est ad servos Dómini sui: qui dixérunt ei: Rectène sunt ómnia? quid venit insánus iste ad te? Qui ait eis: Nostis hóminem, & quid locútus sit. At illi respondérunt: Falsum est, sed magìs narra nobis. Qui ait eis: Hæc & hæc locútus est mihi, & ait: Hæc dicit Dóminus: Unxi te regem super Israel. Festinavérunt

ſtaque, & unuſquiſque tollens pállium ſuum poſuérunt ſub pédibus ejus, in ſimilitúdinem tribunális, & cecinérunt tubâ, atque dixérunt: Regnávit Jehu.

LECTIO II.

CONjurávit ergo Jehu contra Joram; & aſcendit, & profectus eſt in Jézrael. Et egreſſus eſt Joram Rex Iſrael, & Ochozías Rex Júda, ſínguli in cúrribus ſuis, egreſſíque ſunt in occurſum Jehu, & invenérunt eum in agro Naboth Jezraelítæ. Cumque vidiſſet Joram Jehu, dixit: Pax eſt Jehu? At ille reſpondit: Quæ pax? Convertit autem Joram manum ſuam, & fúgiens ait ad Ochosíam: insídiæ Ochozía. Porrò Jehu tetendit arcum manu, & percuſſit Joram inter ſcápulas: & egreſſa eſt ſagitta per cor ejus, ſtatimque córruit in curru ſuo. Venitque Jehu in Jézrahel. Porro Jézabel intróitu ejus audíto, depinxit óculos ſuos ſtíbio, & ornávit caput ſuum, & reſpexit per feneſtram. Levavitque Jehu fáciem ſuam ad feneſtram, & ait: Quæ eſt iſta? Et inclinavérunt ſe ad eum duo vel tres eunúchi. At ille dixit eis: Præcipitáte eam deorſum, & præcipitavérunt eam, adſperſuſque eſt ſánguine páries, & equórum úngulæ conculcavérunt eã: ¶ Cúmque introgreſſus eſſet, ut coméderet, biberetque, ait: Ite, & vidéte maledíctam illam, & ſepelíte eam, quia fília regis eſt. Cùmque iſſent ut ſepelírent eam, non invenérunt niſi calváriam, & pedes, & ſummas manus. Reverſíque nuntiavérunt ei. Et ait Jehu: Sermo Dómini eſt, quem locútus eſt per ſervum ſuum Elíam Thésbiten, dicens: In agro Jézrahel cómedent canes carnes Jézabel.

℟. I. Sapiéntia & fortitúdo Dómini ſunt; * Et ipſe mutat témpora & ætátes: transfert regna, atque conſtítuit. ℣. Dóminus dominórum eſt, & Rex regum; * Et. *Dan.* 2. *Apoc.* 17.

℟. II. A Dómino dirigùntur greſſus viri. * In manu enim illíus, & nos, & ſermónes noſtri, & omnis ſapiéntia, & óperum ſciéntia & diſciplína. ℣. Sicut diviſiónes aquárum, ita cor regis in manu Dómini; quocumque volúerit, inclinábit illud. * In manu. *Prov.* 20. *Sap.* 7. *Prov.* 21.

℟. III. Occidiſti, inſuper & poſſediſti; ecce ego indúcam ſuper te malum; * Quia egiſti, ut me ad iracúndiam provocáres, & peccáre feciſti Iſrael. ℣. In loco hoc, in quo linxérunt

canes sánguinem Naboth, lambent quoque sánguinē tuum; * Quia. *III. Reg.* 21.

℟. IV. Erunt carnes Jézabel sicut stercus super fáciem terræ in agro Jézrahel, * Ita ut prætereuntes dicant: † Hæccine est illa Jézabel? ℣. De Jézabel locútus est Dóminus, dicens: Canes cómedent Jézabel in agro Jézrahel; * Ita. ℣. Glória. † Hæccine. *IV. Reg.* 9. *III. Reg.* 21.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi de Grátiâ & Líbero Arbítrio. *Edit. Bened. Cap.* 15 *&* 16.

NE putétur nihil fácere ipsos hómines per líberum arbítrium, ídeo in Psalmo dícitur: Nolíte obduráre corda vestra. Et per ipsum Ezechiélem: Fácite vobis cor novum, & spíritum novum, & fácite ómnia mandáta mea. Meminérimus ipsum dícere: Fácite vobis cor novum & spíritum novum; qui dicit: Dabo vobis cor novum, & spíritum novum dabo in vobis. Quómodo ergo qui dicit, Fácite vobis; hoc dicit, Dabo vobis? quare jubet, si ipse datúrus est? quare dat, si homo factúrus est, nisi quia dat quod jubet, cùm ádjuvat ut fáciat cui jubet? Semper est autem in nobis volúntas líbera, sed non semper est bona. Grátia veró Dei semper est bona, & per hanc fit ut sit homo bonæ voluntátis, qui priùs fuit voluntátis malæ: per hanc étiam fit, ut ipsa bona volúntas, quæ jam esse cœpit, augeátur, & tam magna fiat, ut possit impléré divína mandáta quæ volúerit, cùm valdè perfectèque volúerit. Ad hoc enim valet quod scriptum est: Si volúeris, conservábis mandáta: ut homo qui volúerit & non potúerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret ut hábeat tantam voluntátem, quanta súfficit ad implenda mandáta. Certum est nos mandáta serváre, si vólumus; sed quia præparátur volúntas à Dómino, ab illo petendum est ut tantùm velímus, quantùm súfficit ut volendo faciámus. Certum est nos velle, cùm vólumus: sed ille facit ut velímus bonum, de quo dictum est: Deus est qui operátur in vobis & velle. Certum est nos fácere, cùm fácimus, sed ille facit ut faciámus, præbendo vires efficacíssimas voluntáti.

℟. Non vos me elegístis; sed ego elégi vos, & pósui vos, ut fructum afferátis, *Quia sine me nihil potestis fácere. ℣. Dabo vobis cor,

& fáciam ut in præceptis meis ambulétis, & judícia mea custodiátis & operémini. * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Joan.* 15. *Ezech.* 36.

C A N O N.

Ex Concílio Senonensi. *An.* 1528. *Decret.* 9.

NUlla major libertas, quàm cùm repressâ carnis tyránnide, corpus in obséquium Christi tráhitur, nec tam concupiscéntiâ dúcimur quàm spíritu. Nempe ubi Spíritus Dómini, ibi libertas; nec quidquam est, quod non possímus in eo qui nos confortat. Christus quippe non pátitur nos tentári suprà id quod póssumus, sed facit cum tentatióne proventum, ut possímus sustinére.

---

S A B B A T O.

L E C T I O I.

Ex Libro quarto Regum. *Cap.* 13.

ELiséus autem ægrotábat infirmitáte, quâ & mórtuus est: descenditque ad eum Joas rex Israel, & flebat coràm eo, dicebatque: Pater mi, pater mi, currus Israel, & auríga ejus. Et ait illi Eliséus: Affer arcum, & sagittas. Cùmque adtulisset ad eum arcum & sagittas, dixit ad regem Israel: Pone manũ tuam super arcum. Et cùm posuisset ille manum suam, superpósuit Eliséus manus suas mánibus regis, & ait: Aperi fenestram orientálem. Cùmque aperuisset, dixit Eliséus: Jace sagittam. Et jecit. Et ait Eliséus: Sagitta salútis Dómini, & sagitta salútis contra Syriam: percutiésque Syriam in Aphec, donec consúmas eam. Et ait: Tolle sagittas. Qui cùm tulisset, rursùm dixit ei: pércute jáculo terram. Et cum percussisset tribus vícibus, & stetisset, irátus est vir Dei contra eum, & ait: si percussisses quinquies, aut séxies, sive sépties, percussisses Syriam usque ad consumptiónem: nunc autem tribus vícibus percúties eam. ¶ Mórtuus est ergo Eliséus, & sepeliérunt eum. Latrúnculi autem de Moab venérunt in terram in ipso anno. Quidam autem sepelientes hóminem, vidérunt latrúnculos, & projecérunt cadáver in sepulcro Eliséi. Quod cùm tetigisset ossa Eliséi, revixit homo, & stetit super pedes suos.

L E C T I O II. *Cap.* 17.

ANno autem nono Osee, cepit rex Assyriórum Samaríam, & tránstulit Israel in Assyrios. Factum est enim cùm peccassent fílii Israel Dómino Deo suo, qui edúxerat eos de terrã Ægypti, coluérunt deos

aliénos. Et testificátus est Dóminus in Israel & in Juda, per manum ómnium Prophetárum & Vidéntium, dicens: Revertímini à viis vestris péssimis, & custodíte præcepta mea. Qui non audiérunt, sed induravérunt cervícem suam juxta cervícem patrum suórũ, qui noluérunt obedíre Dómino Deo suo. ¶ Ex eo jam témpore, quo scissus est Israel à domo David, & constituérunt sibi regem Jeróboam fílium Nabat; ambulavérunt fílii Israel in univérsis peccátis Jeróboã quæ fécerat; & non recessérunt ab eis, úsquequo Dóminus auferret Israel à fácie suâ, sicut locútus fúerat in manu ómnium servórum suórum Prophetárum: translatusque est Israel de terrâ suâ in Assýrios, usque in diem hanc.

℞. I. Dómine Deus patrum nostrórum, in manu tuâ est fortitúdo & poténtia, * Nec quisquam tibi potest resístere. ℣. Tuum, Dómine, regnum, & tu es super omnes príncipes: * Nec. *II. Paral.* 20. *I. Paral.* 29.

℞. II. Poténtiâ nemo vicit Eliséum, nec superâvit illum verbum áliquod, * Et mórtuum prophetávit corpus ejus. ℣. In vitâ suâ fecit monstra; & in morte mirabília operátus est; * Et. *Eccli.* 48.

℞. III. Mittébat Dóminus ad illos per manum nuntiórum suórum, quotídie commonens, eo quòd párceret pópulo suo; at illi parvipendébant sermónes ejus, * Donec ascénderet furor Dómini in pópulum ejus, & esset nulla curátio. ℣. Subsannábant núntios Dei, illudebantque Prophétis. * Donec. *II. Paral.* 36.

℞. IV. Non pœnítuit pópulus, & non recessérunt à peccátis suis, * Usquedum ejecti sunt de terrâ suâ, & dispersi sunt in omnem terram: † Et relicta est gens perpauca. ℣. Quidam ipsórum fecérunt quod placéret Deo: álii autem multa commisérunt peccáta; * Usquedum. ℣. Glória. † Et. *Eccli.* 48.

LECTIO III.

Ex Libro primo de Vocatióne ómnium Géntium.
*Inter Opera S. Leonis Papæ. Edit. Paris. Cap.* 8.

FUit in Adam natúra sine vítio, qui per voluntátis inobediéntiam mala multa contraxit, & in pósteros magìs magìsque multiplicanda transfúdit, quæ ut vincantur atque in níhilum deducantur, non éfficit nisi grátia Salvatóris, qui opus suum ópere suo réparat. Et sic rumpit víncula captívi, sic vestit nuditátem spoliáti, sic sanat

vúlnera sauciári: ut quod in ipso agit, étiam per ipsum gerátur: nec quia Spíritu Dei ágitur, ideò se putet líberum arbítrium non habére: quod ne tunc quidem pérdidit, quando diábolo voluntáte se dedit, à quo judícium voluntátis depravátum est, non ablátum. Quod ergo non ereptum est per vulnerantem, non tóllitur per medentem; vulnus sanátur, non natúra removétur. Sed quod in natúrâ périit, non restitúitur nisi ab autóre natúræ. Qui si non operátur in nobis, nullíus póssumus partícipes esse virtútis. Sine hoc quippe bono, nihil est bonum; sine hâc luce, nihil est lúcidum: sine hâc sapiéntiâ, nihil sanum: sine hâc justítiâ, nihil rectum.

℟. Cor hóminis dispónit viam suam: * Sed † Dómini est dirígere gressus ejus. ℣. Scio Dómine, quia non est hóminis via ejus: nec viri est ut ámbulet, & dírigat gressus suos. * Sed. ℣. Glória. † Dómini est. *Prov. 16. Jerem. 10.*

CANON.

Ex Concílio Moguntíno. *An.* 1549. *Can.* 10.

EAm libertátem suam, quam lex Spíritûs, quæ est ipsa cáritas, diffúsa in córdibus nostris, nobis affert, Christiáni intélligant; non ut impleant ea quæ in mandátis Dei exiguntur, sed quátenus ad ea adimplenda, non ut álii hómines pœnárum metu & império legis compellantur, sed ea jam, non inviti, imò verò volentes fáciant: ita ut obediéntia ipsórum secundùm ánimi promptitúdinem, & in rectè factis lætítiam, vera libertas; secundùm præcepti adimpletiónem, plena & pia sérvitus existimétur.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Nóluit Dóminus dispérdere domum David, propter pactum quod inierat cum eo; & quia promíserat ut daret ei lucernam, & filiis ejus omni témpore. *II. Paral.* 21.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 327.

---

# DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

---

## IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Libro quarto Regum. *Cap.* 18.

ANno tértio Osée filii Ela regis Israel, regnávit Ezechías filius Achaz regis Juda. Viginti quinque annórum erat, cùm regnáre cœpisset: & viginti novem annis regnávit in Jerúsalem. Fecitque quod erat bonum coram Dómino,

juxta ómnia quæ fécerat David pater ejus. Ipse dissipávit excelsa, & contrívit státuas, & succídit lucos, confregitque serpentem æneum quem fécerat Móyses: síquidem usque ad illud tempus filii Israel adolébant ei incensum: vocavitque nomen ejus Nohestan.

℟. Fecit Ezechías quod plácuit Deo, * Et fórtiter ivit in viâ David patris sui, quam mandávit illi Isaías Prophéta magnus, & fidélis in conspectu Dei. ℣. Operátus est bonum, & rectum, & verum, coram Dómino, volens requírere Deum suum in toto corde suo: * Et. *Eccli.* 48. *II. Paral.* 31.

LECTIO II.

IN Dómino Deo Israel sperávit: ítaque post eum non fuit símilis ei de cunctis régibus Juda, sed neque in his qui ante eum fuérunt: & adhæsit Dómino, & non recessit à vestígiis ejus, fecitque mandáta ejus, quæ præcéperat Dóminus Móysi. Unde & erat Dóminus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedébat, sapienter se agébat. Rebellávit quoque contra regem Assyriórum, & non servívit ei.

℟. Perrexérunt cursóres in universum Israel & Judam, juxtà id quod rex jusserat prædicantes: Nolíte induráre cervíces vestras, sicut patres vestri; servíte Dómino Deo Patrum vestrórum; * Et avertétur à vobis ira furóris ejus. ℣. Trádite manus Dómino, & veníte ad Sanctuárium ejus, quod sanctificávit in æternum. * Et. *II. Paral.* 30.

LECTIO III.

Ex Libro secundo Paralipómenon. *Cap.* 30.

MIsit Ezechías ad omnem Israel & Judam, ut venírent ad domum Dómini in Jerúsalem, & fácerent Phase. Perrexeruntque cursóres cum epístolis ex regis império, prædicantes: Filii Israel, revertímini ad Dóminum Deum Abraham, & Isaac, & Israel: & revertétur ad relíquias quæ effugérunt manum regis Assyriórum. Si enim vos reversi fuéritis ad Dóminum: fratres vestri, & filii habébunt misericórdiam coram dóminis suis, qui illos duxérunt captívos, & revertentur in terram hanc: pius enim & clemens est Dóminus Deus vester, & non avertet fáciem suam à vobis, si reversi fuéritis ad eum.

℟. Non pœnítuit pópulus, & non recessérunt à peccátis suis, * Usquedum

ejecti sunt de terrâ suâ, & dispersi sunt in omnem terram: & relicta est gens perpauca. ℣. Quidam ipsórum fecérunt quod placéret Deo: álii autem multa commisérunt peccáta; * Usquedum. *Eccli.* 48.

Lectio IV.

IGitur cursóres pergébant velóciter de civitáte in civitátem, per terram Ephraim & Manasse usque ad Zábulon, illis irridéntibus & subsannántibus eos. Attamen quidam viri ex Aser, & Manasse, & Zábulon, acquiescentes consílio, venérunt Jerúsalem. In Judâ verò facta est manus Dómini, ut daret eis cor unum, ut fácerent juxta præceptum regis & príncipum verbum Dómini. Congregatíque sunt in Jerúsalem pópuli multi, ut fácerent solemnitátem azymórum, immolavérunt autem Phase quartâ décimâ die mensis secundi.

℟. Dixit Ezechías ad sacerdótes atque levítas: * Sanctificámini, mundáte domum Dómini, & auferte omnem immundítiam de sanctuário. ℣. Fílii mei, nolíte neglígere: vos elégit Dóminus ut stetis coram eo, & ministrétis illi: * Sanctificámini. ℣. Glória. * Sanctificámini. *II. Par.* 29.

IN II. NOCTURNO.

Lectio V.

Ex Homíliâ nonâ sancti Basílii Epíscopi in Hexaémeron. *Edit. Bened. IV. Sec. n.* 3 & 4.

HAud excusári potérimus, quòd ea quæ conducibília sunt, lítteris non sumus edócti: quandóquidem id quod útile est, per legem natúræ citra natúram nobis elígere licet. Scis quid à te boni præstandum sit próximo? quod tibi ipsi ab áltero vis fíeri. Nosti quid sit malum? quod ipse nolis ab álio pati. Hinc temperántia ab ómnibus laudátur, approbátur justítia, fortitúdo est admiratióni, prudéntia valde exoptátur. Vos, fílii, dilígite parentes; vos, parentes, nolíte ad iracúndiam provocáre fílios. Numquid hæc non dicit & natúra ipsa? Nihil novi monet Paulus: sed natúræ víncula constríngit.

℟. Testaméntum ætérnum constítuit Deus cum homínibus; & justítiam & judícia sua osténdit illis; * Et dixit illis: Atténdite ab omni iníquo: & mandávit illis unicuíque de próximo suo. ℣. Quod notum est Dei, maniféstum est in illis; Deus enim illis manifestávit; * Et dixit. *Eccli.* 17. *Rom.* 1.

LECTIO VI.

Ex Diálogo sancti Justíni Mártyris cum Tryphóne Judæo. *Edit. Bened. II. Sec. med. n.* 93.

QUæ semper & ubíque justa sunt, ac totam justítiam in omni hóminum génere éxhibet Deus; nec ullum est genus quod ignóret adultérium esse malum, & fornicatiónem, & homicídium, & quæcumque ália simília. Quæ quidem etiamsi omnes fáciant, non tamen adsequuntur ut, cùm ea fáciunt, iníquè à se fieri ignórent, iis exceptis quicumque impúro spíritu pleni, vel pravâ institutióne, & malis móribus, ac nefáriis légibus corrupti, naturáles notiónes amisérunt, vel pótiùs exstinxérunt, aut inhíbitas tenent: vidére enim est étiam ejúsmodi hómines éadem pati nolle, quæ ipsi áliis fáciunt, ac sibi ínvicem inimícâ consciéntiâ exprobráre quæ pérpetrant.

℟. Cùm Gentes, quæ legem non habent, naturáliter ea quæ legis sunt fáciunt, * Ejúsmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex. ℣. Legem mandávit Móyses in præceptis justitiárum. * Ejúsmodi. *Rom.* 2. *Eccli.* 24.

LECTIO VII.

Ex Libro quarto décimo sancti Augustíni Epíscopi de Trinitáte. *Edit. Bened. Cap.* 15.

ETiam ímpii cógitant æternitátem, & multa reprehendunt in hóminum móribus. Quibus ea tandem régulis júdicant, nisi in quibus vident quemádmodum quisque vívere débeat, etiamsi nec ipsi eódem modo vivant? Ubi eas vident? Neque enim in suâ natúrâ, cùm procul dúbio mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutábiles. Has verò régulas immutábiles vídeat, quisquis in eis & hoc vidére potúerit; nec in hábitu suæ mentis, cùm illæ régulæ sint justæ, mentes verò eórum constet esse injustas.

℟. Ostendunt opus legis scriptum in córdibus suis, * Testimónium reddente illis consciéntiâ ipsórum, & inter se ínvicem cogitatiónibus accusántibus, aut étiam defendéntibus. ℣. Sensu implévit Deus cor illórum: & mala & bona osténdit illis. * Testimónium. *Rom.* 2. *Eccli.* 17.

LECTIO VIII.

UBinam sunt istæ régulæ scriptæ, ubi quid sit justum, & injustus agnóscit, ubi cernit habendum

esse quod ipse non habet? Ubi ergo scriptæ sunt, nisi in libro lucis illíus quæ véritas dícitur? unde omnis lex justa descríbitur, & in cor hóminis qui operátur justítiam, non migrando, sed tamquàm imprimendo transfertur; sicut imágo ex ánnulo & in ceram transit, & ánnulum non relinquit. Qui verò non operátur, & tamen videt quid operandum sit, ipse est qui ab illâ luce avértitur, à quâ tamen tángitur. Qui autem nec videt, quemádmodum sit vivendum, excusabílius quidem peccat, quia non est transgressor cógnitæ legis: sed étiam ipse splendóre aliquóties ubíque præséntis veritátis adtíngitur, quando admónitus confitétur.

℟. Véritas Dómini manet in æternum. * Hic liber mandatórum Dei, & lex quæ est in æternum. ℣. Justítia tua, Dómine, justítia in æternum, & lex tua véritas. * Hic. ℣. Glória. * Hic. *Ps.* 116. *Baruch*, 4. *Ps.* 118.

## *IN III. NOCTURNO.*

### Lectio IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Philémonem.

PAulus vinctus Christi Jesu, & Timótheus frater: Philémoni dilecto, & adjutóri nostro, & Appiæ soróri caríssimæ, & Archippo commilitóni nostro, & Ecclésiæ, quæ in domo tuâ est. Grátia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo, semper memóriam tuî fáciens in oratiónibus meis, áudiens caritátem tuam, & fidem, quam habes in Dómino Jesu, & in omnes sanctos: ut communicátio fídei tuæ évidens fiat in agnitióne omnis óperis boni, quod est in vobis in Christo Jesu.

℟. Multa mihi fidúcia est apud vos, multa mihi gloriátio pro vobis: * Replétus sum consolatióne; superabundo gáudio in omni tribulatióne. ℣. Majórem non hábeo grátiam, quàm ut áudiam fílios meos in veritáte ambuláre. * Replétus. *II. Cor.* 7. *III. Joan.*

### Lectio X.

GAudium enim magnum hábui, & consolatiónem in caritáte tuâ: quia víscera sanctórũ requievérunt per te, frater. Propter quod multam fidúciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pértinet: propter caritátẽ magis óbsecro, cùm sis talis, ut Paulus senex, nunc autem & vinctus Jesu Christi: óbsecro te pro meo fílio,

quem génui in vínculis, Onésimo, qui tibi aliquando inútilis fuit, nunc autem & mihi & tibi útilis, quem remísi tibi.

℞. Dómini, & servórum, & vester Dóminus est in cœlis: * Et personárum accéptio non est apud Deum. ℣. Pusillum & magnum ipse fecit, & æquáliter cura est illi de ómnibus. * Et. *Ephes.* 6. *Sap.* 6.

LECTIO XI.

TU autem illum, ut mea víscera, súscipe: quem ego volúeram mecum detinére: ut pro te mihi ministráret in vínculis Evangélii, sine consílio autem tuo nihil vólui fácere, uti ne velut ex necessitáte bonum tuum esset, sed voluntárium. Fórsitan enim ídeo discessit ad horam à te, ut æternum illum recíperes: jam non ut servum, sed pro servo caríssimum fratrem, máximè mihi; quantò autem magis tibi, & in carne, & in Dómino?

℞. Quicúmque in Christo baptizáti estis, Christum induístis. * Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. ℣. Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber. * Omnes. *Galat.* 3.

LECTIO XII.

SI ergo habes me sócium, súscipe illum sicut me: si autem áliquid nócuit tibi, aut debet; hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi meâ manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quod & teipsum mihi debes: ita frater. Ego te fruar in Dómino. Réfice víscera mea in Dómino. Confidens in obediéntiâ tuâ scripsi tibi: sciens quóniam & super id, quod dico, fácies; simul autem & para mihi hospítium: nam spero per oratiónes vestras donári me vobis. Salútat te Epaphras concaptívus meus in Christo Jesu, Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas adjutóres mei. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro. Amen.

℞. Indúite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti, víscera misericórdiæ, supportantes invicẽ, & donantes vobismetipsis, si quis adversùs áliquem habet querélam: * Sicut & Dóminus donávit vobis, ita & vos. ℣. Dimíttite, & dimittémini. * Sicut. ℣. Glória. * Sicut. *Coloss.* 3. *Luc.* 6.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Cap.* 7.

DIxit Jesus discípulis suis: Adténdite à falsis prophétis, qui véniunt ad vos in vestimentis óvium, intrínsecus autem sunt lupi rapáces: à frúctibus eórum cognoscétis eos. Numquid

cólligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus fácere: neque arbor mala bonos fructus fácere: omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidétur, & in ignem mittétur. Igitur ex frúctibus eórum cognoscétis eos. Non omnis qui dicit mihi: Dómine, Dómine, intrábit in regnum cœlórum, sed qui facit voluntátem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrábit in regnum cœlórum.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Adténdite à falsis prophétis, qui véniunt ad vos in vestimentis óvium, intrínsecus autem sunt lupi rapáces: à frúctibus eórum cognoscétis eos. *Matth.* 7.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, cujus providéntia in suî dispositióne non fállitur: † te súpplices exorámus, ut nóxia cuncta submóveas, * & ómnia nobis profutúra concédas: Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Lemovicensi secundo. *An.* 1031. *Sess.* 2.

OBservandum équidem nobis magnópere est ante ómnia, & super ómnia, uti mandátum Dei, & non nostras traditiónes pópulo observandas tradámus: & nihil nisi Scripturárum divinárum autoritáte, fultum agendum statuámus: nihilque de córdibus, nihil extra præceptum Dómini, & sanctórum Patrum, quod absit, constitúere, docére, vel jubére præsumámus.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Non potest arbor bona malos fructus fácere, neque arbor mala bonos fructus fácere: omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidétur, & in ignem mittétur. *Matth.* 7.

---

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Libro quarto Regum. *Cap.* 18 & 19.

ANno quarto décimo regis Ezechíæ, ascendit Sennácherib rex Assyriórum ad universas civitátes Juda munítas: & cepit eas: & misit núntios ad Ezechíam, dicens: Hæc dícite Ezechíæ regi Juda: Non te sedúcat Deus tuus, in quo habes fidúciam, neque dicas: Non tradétur Jerúsalem in manus regis Assyriórum. Numquid liberavérunt dii géntium síngulos, quos vastavérunt patres mei? ¶ Itaque cùm accepisset Ezechías litteras de manu nun-

tiórum, & legisset eas, ascendit in domum Dómini, & expandit eas coram Dómino, & orávit in conspectu ejus, dicens: Dómine Deus Israel, tu es Deus solus regum ómnium terræ. Audi ómnia verba Sennácherib, qui misit ut exprobráret nobis Deum viventem. Verè, Dómine, dissipavérunt reges Assyriórum gentes, & terras ómnium. Et misérunt deos eórum in ignem; non enim erant Dii, sed ópera mánuum hóminum. Nunc ígitur, Dómine Deus noster, salvos nos fac de manu ejus, ut sciant ómnia regna terræ, quia tu es Dóminus Deus solus.

LECTIO II.

Misit autem Isaías filius Amos ad Ezechíam, dicens: Hæc dicit Dóminus Deus Israel: Quæ deprecátus es me super Sennácherib rege Assyriórum audívi. Iste est sermo, quem locútus est Dóminus de eo: Cui exprobrasti, & quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam? contra Sanctum Israel. Insanisti in me, & supérbia tua ascendit in aures meas, ponam ítaque círculum in náribus tuis, & redúcam te in viam, per quam venisti. ¶ Factum est ígitur in nocte illâ, venit Angelus Dómini, & percussit in castris Assyriórum centū octoginta quinque míllia. Cùmque dilúculo surrexisset, vidit ómnia córpora mortuórum: & recédens ábiit, & reversus est Sennácherib rex Assyriórum, & mansit in Nínive. Cùmque adoráret in templo Nesroch deum suum, filii ejus percussérunt eum gládio.

℟. I. Dómine, in manu tuâ est fortitúdo, & poténtia, nec quisquam tibi potest resístere; * Nunc ígitur cùm ignorémus quid ágere debeámus, hoc solum habémus résidui, ut óculos nostros dirigámus ad te. ℣. In nobis quidem non est tanta fortitúdo, ut possímus huic multitúdini resístere, quæ írruit super nos: * Nunc. *II. Par.* 20.

℟. II. Invocavérunt Dóminum misericordem, & sanctus Dóminus Deus non est commemorátus peccatórum illórum; * Sed purgávit eos in manu Isaíæ sancti Prophétæ. ℣. Audívit citò vocem ipsórum, neque dedit illos inimícis suis; * Sed. *Eccli.* 48.

℟. III. Viríliter ágite, nec paveátis regem Assyriórum, & universam multitúdinem quæ est cum eo: * Cum illo enim est bráchium cárneum; nobíscum Dóminus Deus noster qui pugnat pro nobis. ℣. Nolíte timére; multò enim

plures nobiscū sunt, quàm cum illo; * Cum. *II. Par.* 32.

℟. IV. Qui missi erant à rege Sennácherib, quia blasphemavérunt te, Dómine, éxiit Angelus, * Et percussit ex eis centum octoginta quinque míllia. ℣. Dejécit castra Assyriórum, & contrívit illos Angelus Dómini, * Et. ℣. Glória. * Et. *I. Mach.* 7. *Eccli.* 48.

LECTIO III.

Ex Enarratióne sancti Augustíni Epíscopi in Psalmum quinquagésimum séptimum. *Edit. Bened. n.* I.

OMnibus tamquàm in concióne géneris humáni Véritas clamat: Si verè útique justítiam loquímini, recta judicáte, filii hóminum. Cui enim iníquo non fácile est loqui justítiam? aut quis de justítiâ interrogátus, quando non habet causam, non facilè respóndeat quid sit justum? Quandoquidem manu Formatóris nostri in ipsis córdibus nostris Véritas scripsit: Quod tibi non vis fieri, ne fácias álteri. Hoc & ántequam lex darétur, nemo ignoráre permissus est, ut esset unde judicarentur & quibus lex non esset data. Sed ne sibi hómines áliquid defuisse quererentur, scriptum est & in tábulis quod in córdibus non legébant. Non enim scriptum non habébant, sed légere nolébant.

℟. Testamentum ætérnum constítuit Deus cum homínibus: & justítiam & judícia sua ostendit illis; *Et † Dixit illis: Adténdite ab omni iníquo, & mandávit illis unicuíque de próximo suo. ℣. Quod notum est Dei manifestum est in illis: Deus enim illis manifestávit; * Et. ℣. Glória. † Dixit. *Eccli.* 17. *Rom.* I.

CANON.

Ex Concílio Milevitáno secundo. *An.* 416.

*Can.* 4.

QUisquis díxerit grátiam Dei, per Jesum Christum Dóminum nostrum, propter hoc tantùm nos adjuváre ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelátur & aperítur intelligéntia mandatórum, ut sciámus quid appétere, quid vitáre debeámus, étiam fácere diligámus; non autem per illam nobis præstári, ut quod faciendum cognovérimus, étiam fácere diligámus atque valeámus; anáthema sit.

---

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Libro quarto Regum. *Cap.* 20.

IN diébus illis ægrotávit Ezechías usque ad mortem: & venit ad eum Isaías

illus Amos, Prophéta, dixítque ei : Hæc dicit Dóminus Deus : Præcipe domui tuæ : moriéris enim tu, & non vives. Qui convertit fáciem suam ad parietem ; & orávit Dóminum dicens : Obsecro, Dómine, meménto, quæso, quómodo ambuláverim coram te in veritáte, & in corde perfecto, & quod plácitum est coram te, fécerim. Flevit itaque Ezechías fletu magno. ¶ Et antequam egrederétur Isaías médiam partem atrii, factus est sermo Dómini ad eum, dicens : Revértere, & dic Ezechíæ duci pópuli mei : Hæc dicit Dóminus Deus David patris tui : Audivi oratiónem tuam, & vidi lácrymas tuas : & ecce sanávi te ; die tértio ascendes templum Dómini. Et addam diébus tuis quindecim annos : sed & de manu regis Assyriórum liberabo te, & prótegam urbem istam propter me, & propter David servum meum. Dixítque Isaías : Afferte massam ficórum. Quam cùm adtulissent, & posuissent super ulcus ejus, curátus est. Díxerat autem Ezechías ad Isaíam : Quod erit signum, quia Dóminus me sanábit, & quia ascensú[illegible] die tértiâ temp[illegible]i ? Cui ait : H[illegible] Dómino [illegible] Dóminus sermonem, quem locútus est. Vis ut ascendat umbra decem líneis, an ut revertatur totidem grádibus ? & ait Ezechías : Facile est umbram créscere decem lineis ; nec hoc volo, ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus. Invocávit itaque Isaías Prophéta Dóminum, & reduxit umbrã per líneas, quibus jam descénderat in horológio Achaz, retrorsum decem grádibus.

## Lectio II.

In témpore illo misit Bérodach Baladan, rex Babyloniórum, litteras & múnera ad Ezechíam ; audíerat enim quòd ægrotasset Ezechías. Lætátus est autem in adventu eórum Ezechías. Venit autem Isaías Prophéta ad regem Ezechíam, dixítque ei : Quid dixérunt viri isti ? aut unde venérunt ad te ? Cui ait Ezechías : De terrâ longinquâ venérunt ad me, de Babylóne. At ille respondit : Quid vidérunt in domo tuâ ? Ait Ezechías ; Omnia quæcumque sunt in domo meâ, vidérunt : Nihil est quod non monstráverim eis in thesauris meis. ¶ Dixit ítaque Isaías Ezechíæ : Audi sermónem Dómini : Ecce dies vénient, & auferentur ómnia quæ sunt in domo tuâ, & quæ condidérunt patres tui usque in

diem hanc, in Babylónem: non remanébit quidquam, ait Dóminus. Sed & de fíliis tuis qui egredientur ex te, quos generábis, tollentur, & erunt eunúchi in palátio regis Babylónis. Dixit Ezechías ad Isáiam: Bonus sermo Dómini, quē locútus es: sit pax & véritas in diébus meis. Dormivitque Ezechías cum pátribus suis, & regnávit Manasses filius ejus pro eo.

℟. I. Ego dixi: In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi: * Præcísa est velut à texente vita mea; dum adhuc ordírer, succídit me. ℣. Generátio mea abláta est, & convolúta est à me, quasi tabernáculum pastórum: * Præcísa. *Isai.* 38.

℟. II. Dejécit castra Assyriórum, & contrívit illos Angelus Dómini: * Nam fecit Ezechías quod plácuit Deo. ℣. In diébus ipsíus retrò rédiit sol, & áddidit regi vitam; * Nam. *Eccli.* 48.

℟. III. Non juxta benefícia quæ accéperat Ezechías, retríbuit, quia * Elevátum est cor ejus, & facta est contra eum ira. ℣. In legatióne príncipum Babylónis, derelíquit eum Deus ut tentarétur, & nota fíerent ómnia, quæ erant in corde ejus. * Elevátum. *II. Par.* 32.

℟. IV. Humiliátus est Ezechías, eo quòd exaltátum fuisset cor ejus: * Et idcirco non venit ira Dómini in diébus Ezechiæ. ℣. Dixit ad Isáiam: Bonum verbum Dómini quod locútus est: fiat tantum pax & véritas in diébus meis: * Et. ℣. Glória. * Et. *II. Paral.* 32. *Isai.* 39.

LECTIO III.

Ex Enarratióne sancti Augustíni Epíscopi in Psalmum quinquagésimum séptimum. *Edit. Bened. n.* 1.

SCripta lex quid clamat eis qui deseruérunt legem scriptam in córdibus suis? Redíte, prævaricatóres, ad cor. Quis enim te dócuit, nolle tibi furtum fieri? quis te dócuit, nolle injúriam pati, & quidquid áliud vel universáliter vel particuláriter dici potest? Multa enim sunt, de quibus síngulis interrogáti hómines, clarâ voce respóndeant, nolle se pati. Age, si non vis pati ista, numquid solus es homo? nonne in societáte vivis géneris humáni? Quod ergo tibi non vis fieri, noli álteri fácere. Júdicas enim malum esse in eo quod pati non vis; & hoc te cogit nosse lex íntima, in ipso tuo corde conscripta. Aut si adhuc non confitéris, accédit qui concu-

piscat rem tuam : pláceat tibi, & responde quod vis. Omnes ergo de his rebus interrogáti, clamant hæc bona non esse. Rursus de beneficiis, non solùm de non nocendo, verùm étiam de præstando, atque tribuendo : interrogátur omnis ánima esúriens; famen páteris, álius habet panem, & redundat ei ultra sufficiéntiam, novit te egére, non dat; dísplicet tibi esurienti, displíceat & satiáto, cùm álterum esuríre cognóveris. Peregrínus tecto índigens venit in pátriam tuam, non suscípitur; ille tunc clamat inhumánam esse illam civitátem; fácile apud bárbaros sibi esse potuisse refúgium. Sentit iniquitátem, quia pátitur: tu fortè non sentis, sed oportet ut & te cógites peregrínum, & vídeas quómodo tibi possit displicére qui tibi non præstíterit, quod tu in pátriâ tuâ non vis peregríno præstáre. Intérrogo omnes : Vera sunt hæc? Vera. Justa sunt hæc? Justa.

℟. Omnia quæcumque vultis ut fáciant vobis hómines & vos fácite illis. * Hæc est enim lex & Prophétæ. ℣. Quod ab álio óderis fieri tibi, vide ne tu aliquando álteri fácias. * Hæc est. ℣. Glória. * Hæc est. *Matth.* 7. *Tob.* 4.

CANON.
Ex Concílio Vaurensi.
*An.* 1368. *Cap.* 1.

LIcet totam legem ímpleat cáritas ipsa, quâ Deum propter seipsum dilígimus, & próximum propter Deum; tamen hæc diléctio per decem præcepta Decálogi explicátur : quæ ita distribuuntur, ut prima tria pertíneant ad Deum, scílicet ad cognitiónem ejus & reveréntiam, & dicuntur præcepta primæ tábulæ. Réliqua septem dicuntur præcepta secundæ tábulæ, & pértinent ad próximum.

---

FERIA QUARTA.
LECTIO I.
Ex Libro quarto Regum.
*Cap.* 21.

DUódecim annórum erat Manasses cùm regnáre cœpisset, & quinquaginta quinque annis regnávit in Jerúsalem : fecitque malum in conspectu Dómini juxta idóla géntium, quas delévit Dóminus à fácie filiórum Israel. Conversusque est, & ædificávit excelsa quæ dissipáverat Ezechías pater ejus. ¶ Locutusque est Dóminus in manu servórum suórum Prophetárũ, dicens : Quia fecit Manasses rex Juda abominatiónes istas péssimas, super ómnia quæ fecérunt Amorrhæi ante eũ,

& peccáre fecit étiam Judam in immundítiis suis: proptérea hæc dicit Dóminus Deus Israel: Ecce ego indúcam mala super Jerúsalem & Judam: ut quicumque audíerit, tínniant ambæ aures ejus. Et extendam super Jerúsalem funículum Samaríæ, & pondus domûs Achab: & delébo Jerúsalem, sicut deléri solent tábulæ: & delens vertam, & ducam crébriùs stylum super fáciem ejus. Dimittam verò relíquias hæreditátis meæ, & tradam eas in manu inimicórum ejus; eruntque in vastitátem & in rapínam cunctis adversáriis suis.

LECTIO II.

Ex Libro secundo Paralipómenon. *Cap.* 33.

IDcirco superinduxit eis Dóminus príncipes exércitûs regis Assyriórum: ceperuntque Manassen, & vinctum caténis atque compédibus duxérunt in Babylónem. Qui postquã coangustátus est, orávit Dóminum Deum suum; & egit pœniténtiam valde coram Deo patrum suórum. Deprecatusque est eum, & obsecrávit intentè: & exaudívit oratiónem ejus: reduxitque eum Jerúsalem in regnum suum: ¶ Et cognóvit Manasses quòd Dóminus ipse esset Deus; & ábstulit deos aliénos, & simulácrum de domo Dómini; aras quoque, quas fécerat in monte domûs Dómini, & in Jerúsalem, & projécit ómnia extra urbem. Porrò instaurávit altáre Dómini, & immolávit super illud víctimas, & pacífica, & laudem: præcepitque Judæ ut servíret Dómino Deo Israel. Attamen adhuc pópulus immolábat in excelsis Dómino Deo suo.

℟. I. Manasses seduxit habitatóres Jerúsalem, ut fácerent malum: * Insuper & sánguinem innóxiũ fudit Manasses multum nimis. ℣. Locútus est Dóminus ad eum, & ad pópulum illíus, & adténdere noluérunt; * Insuper. *II. Par.* 33. *IV. Reg.* 21.

℟. II. Non est ánima mea ad pópulum istum propter Manassen, super ómnibus quæ fecit. * Quis miserébitur tuî, Jerúsalem? aut quis ibit ad rogandum pro pace tuâ? ℣. Tu dereliquísti me, dicit Dóminus, retrorsum abiisti: & extendam manum meam super te; * Quis. *Jerem.* 15.

℟. III. Emundáte manus, peccatóres, & purificáte corda, dúplices ánimo; míseri estóte, & * Lugéte, & ploráte, risus vester in luctum convertátur, & gáudium in mœrórem. ℣. Quæ secundùm Deum tristítia est, pœniténtiam

in salútem stábilem operátur. * Lugéte. *Jacob.* 4. *II. Cor.* 7.

℟. IV. Quóniam humiliátus es in conspectu Dei; * Ego quoque exaudívi te, dicit Dóminus, nec vidébunt óculi tui omne malum quod ego inductúrus sum super locum istum. ℣. Revéritus fáciem meã, scidisti vestimenta tua, & flevisti coram me; * Ego. ℣. Glória. * Ego. *II. Paral.* 34.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Bernardi Abbátis de Præcepto & Dispensatióne. *Edit. Bened. Cap.* 14.

UT intérior óculus verè simplex sit, duo illi esse árbitror necessária, caritátem in intentióne, & in electióne veritátẽ. Nam si bonum quidem díligat, sed verum non éligat; habet quidem zelum Dei, sed non secundùm sciéntiam: & néscio quemádmodum judício Veritátis vera esse possit cum falsitáte simplícitas. Volens ad veram discípulos instrúere simplicitátem magistra Véritas: Estóte, inquit, prudentes sicut serpentes, & símplices sicut columbæ. Præmísit ergo prudéntiam, sine quâ néminem satis esse posse símplicẽ sciret. Quómodo dénique verè simplex erit óculus cum ignorántiâ veritátis? aut verò vera potest dici simplícitas, quam simplex ignórat véritas? Scriptum est enim: Ignórans ignorábitur. Patet ergo laudábilem illam & à Dómino laudátam simplicitátem absque his duóbus non esse bonis, benevoléntiâ atque prudéntiâ: ut óculus vidélicet cordis, non solùm pius qui fállere nolit, sed & cautus sit qui falli non possit.

℟. In ómnibus deprecáre Altíssimum, ut dírigat in veritáte viam tuam. * Ante ómnia ópera verbum verax præcédat te, & ante omnem actum consílium stábile. ℣. Nolíte púeri éffici sénsibus. Si quis ignórat, ignorábitur. * Ante. ℣. Glória. * Ante. *Eccli.* 37. *I. Cor.* 14.

CANON.

Ex Concílio Milevitáno secundo.

*An.* 416. *Can.* 5.

QUicumque díxerit ídeò nobis grátiam justificatiónis dari, ut quod fácere per líberum jubémur arbítrium, facílius possímus implére per grátiam; tamquàm & si grátia non darétur, non quidem fácile, sed tamen possímus étiam sine illâ implére divína mandáta; anáthema sit. De frúctibus enim mandatórum Dóminus loquebátur, ubi non ait: Sine me

difficílius potestis fácere : sed ait : Sine me nihil potestis fácere.

---

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Libro quarto Regum. *Cap.* 22 & 23.

OCto annórum erat Josías cùm regnáre cœpisset; triginta & uno anno regnávit in Jerúsalem. Fecitque quod plácitum erat coram Dómino, & ambulávit per omnes vias David patris sui : non declinávit ad déxteram sive ad sinistram : Narrávit Saphan scriba regi, dicens : Librum dedit mihi Hélcias sacerdos. Quem cùm legisset Saphan coram rege, & audisset rex verba libri legis Dómini, scidit vestimenta sua. ¶ Ascenditque rex templum Dómini, & omnis pópulus à parvo usque ad magnum. Legitque cunctis audiéntibus ómnia verba libri fœderis, qui inventus est in domo Dómini. Stetitque rex super gradum : & fœdus percussit coram Dómino, ut ambulárent post Dóminum, & custodírent præcepta ejus & testimónia, & ceremónias in omni corde, & in totâ ánimâ, acquievitque pópulus pacto.

LECTIO II. *Cap.* 23.

ET præcépit rex Hélciæ pontífici, & sacerdótibus secundi órdinis, & janitóribus, ut projícerent de templo Dómini ómnia vasa quæ facta fúerant Baal, & in luco, & univérsæ milítiæ cœli : & combussit ea foris Jerúsalem. Et delévit arúspices quos posúerant reges Juda ad sacrificandũ in excelsis per civitátes Juda & in circúitu Jerúsalem; & eos qui adolébant incensum Baal, & Soli & Lunæ, & duódecim signis & omni milítiæ cœli. ¶ Símilis illi non fuit ante eum rex, qui reverterétur ad Dóminum in omni corde suo, juxta omnem legem Móysi, neque post eum surrexit símilis illi. Verúmtamen non est aversus Dóminus ab irâ furóris sui magni, quo irátus est furor ejus contra Judam; propter irritatiónes, quibus provocáverat eum Manasses. Dixit ítaque Dóminus : Etiam Judam áuferam à fácie meâ, sicut ábstuli Israel : & projíciam civitátem hanc, quam elégi Jerúsalem; & domum, de quâ dixi : Erit nomen meum ibi.

℟. I. Quóniam humiliátus es in conspectu Dei; * Ego quoque exaudívi te, dicit Dóminus, nec vidébunt óculi tui omne malum, quod ego inductúrus sum super locum istum. ℣. Revéritus fáciem meã, scidisti vestimenta tua, & flevisti coram me; * Ego. *II. Paral.* 34.

℟. II. Memória Josíæ in omni ore quasi mel, ipse est directus divínitus in pœniténtiam gentis, * Et tulit abominatiónes impietátis. ℣. Gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, & in diébus peccatórum corroborávit pietátem, * Et tulit. *Eccli.* 49.

℟. III. Altáre, altáre, hæc dicit Dóminus: * Ecce fílius nascétur dómui David, Josías nómine, & immolábit super te sacerdótes excelsórum, & ossa hóminum super te incendet. ℣. Altáre quod erat in Bethel destruxit Josías, & combussit ossa super altáre, juxta verbum Dómini, quod locútus est vir Dei qui prædíxerat hæc: * Ecce. *III. Reg.* 13. *IV. Reg.* 23.

℟. IV. Non est ánima mea ad pópulum istum, propter Manassen, super ómnibus quæ fecit; * Quis miserébitur tuî, Jerúsalē? aut quis ibit ad rogandum pro pace tuâ? ℣. Tu dereliquisti me, dicit Dóminus, retrorsum abiisti, & extendam manum meam super te; * Quis. ℣. Glória. * Quis. *Jerem.* 15.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Bernardi Abbátis de Præcepto & Dispensatióne. *Edit. Bened. Cap.* 14.

SI is verè óculus nequam est, qui perversus páriter & cœcus bonum agit, & malum credit; útique rectè operando, sed opinando iníquè, bonum sibi in malum vertit; & tantum malum, quantum credíderit; quandóquidem juxta senténtiam Dómini totum corpus tenebrósum reddit óculus nequam. Quid enim luci relínquitur, ubi nec pia inténtio, nec vera opínio invenítur? At non ídeo séquitur, ut qui è contrário malum facit, & bonum putat, juxta suam fidem simíliter & ipse invéniat. Cur, inquis? Numquid non ex fide? Prorsus ex fide, sed falsâ; vel certè pótius non ex fide, quia fides falsa, fides non est. Sive ítaque malum putes bonum quod fortè agis, sive bonum malum quod operáris, utrumque peccátum est, quia neutrum ex fide: licet sanè léviùs ádmodum peccétur, ubi sanâ intentióne sola reprehensíbilis áctio foris appáret, quàm ubi maligna latet étiam in non malâ actióne inténtio. Verùm quod absque vel mínimo peccáto non est, purum bonum mínimè est.

℟. In ómnibus deprecáre Altíssimum, ut dírigat in veritáte viam tuam. * Ante ómnia ópera verbum verax præcédat te, & ante omnem actum consílium stábile. Omne quod non est

ex fide, peccátum est. * Ante. ℣. Glória. * Ante. *Eccli.* 37. *Rom.* 14.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

*Sess.* 6. *Can.* 1.

SI quis díxerit, hóminem suis opéribus, quæ vel per humánæ natúræ vires, vel per legis doctrínam fiant, absque divinâ per Jesum Christum grátiâ posse justificári coram Deo; anáthema sit.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Libro quarto Regum. *Cap.* 24.

DEcem & octo annórum erat Jóachin cùm regnáre cœpisset, & tribus ménsibus regnávit in Jerúsalem. Et fecit malum coram Dómino, juxta ómnia quæ fécerat pater ejus. Venitque Nabuchodónosor rex Babylónis ad civitátem cum servis suis, ut oppugnárent eam. Egressusque est Jóachin rex Juda ad regem Babylónis; & suscépit eum rex Babylónis anno octávo regni sui. Et prótulit inde omnes thesauros domûs Dómini, & concídit universa vasa áurea, quæ fécerat Sálomon rex Israel in templo Dómini juxta verbum Dómini. ¶ Et tránstulit omnem Jerúsalem, & universos príncipes & omnes fortes exércitûs, decem míllia, in captivitátem; nihilque relictum est, exceptis paupéribus pópuli terræ. Transtulit quoque Jóachin in Babylónem, & júdices terræ duxit in captivitátem de Jerúsalem in Babylónem. Et constítuit Matthániam pátruum ejus pro eo: imposuitque nomen ejus Sedecíam.

LECTIO II.

Ex Libro secundo Paralipómenon. *Cap.* 36.

VIginti & unius anni erat Sedecías cùm regnáre cœpisset, & úndecim annis regnávit in Jerúsalem. Fecitque malum in óculis Dómini Dei sui, nec erúbuit fáciem Jeremíæ prophétæ, loquentis ad se ex ore Dómini. A rege quoque Nabuchodónosor recessit, qui adjuráverat eum per Deum: & indurávit cervícem suam & cor, ut non reverterétur ad Dóminum Deum Israel. ¶ Sed & universi príncipes sacerdótum & pópulus prævaricáti sunt iniquè juxta universas abominatiónes géntium, & polluérunt domum Dómini quam sanctificáverat sibi in Jerúsalem. Mittébat autem Dóminus Deus patrum suórum ad illos per manum nuntiórum suórum, de nocte consurgens, & quotídie cómmonens: eo quòd párceret pópulo, & habi-

táculo suo. At illi subsannábant núntios Dei, & parvipendébant sermónes ejus, illudebantque Prophétis, donec ascénderet furor Dómini in pópulum ejus, & esset nulla curátio.

℟. I. Misit Dóminus ad vos omnes servos suos Prophétas, * Et non audistis me, dicit Dóminus, ut me ad iracúndiam provocarétis in malum vestrum. ℣. Locútus sum ad vos de nocte consurgens, & loquens: * Et non. *Jerem.* 25.

℟. II. Contestátus es eos, Dómine, ut reverteréntur ad legem tuam; ipsi verò supèrbè egérunt, * Et non audiérunt; & tradidisti eos in manu populórum terrárum. ℣. In judíciis tuis peccavérunt, quæ fáciet homo, & vivet in eis; & cervícem suam induravérunt. * Et. *II. Esdr.* 9.

℟. III. Pro eo quòd non audistis verba mea, ecce ego mittam Nabuchodónosor servum meum; & addúcam super terram istam: * Et sérvient omnes gentes istæ regi Babylónis septuaginta annis. ℣. Erit univérsa terra hæc in solitúdinem & in stupórem; * Et. *Jerem.* 25.

℟. IV. Reliquérunt legem Altíssimi reges Juda, & contempsérunt timórem Dei; * Dedérunt regnum suum & glóriam suam alienígenæ genti. ℣. Incendérunt electam sanctitátis civitátem, & desertas fecérunt vias ipsíus. * Dedérunt. ℣. Glória. * Dedérunt. *Eccli.* 49.

LECTIO III.

Ex Libro primo Retractatiónum sancti Augustíni Epíscopi. *Edit. Bened. Cap.* 15. *n.* 3.

QUi nésciens peccávit, non incongruenter nolens peccasse dici potest, quàmvis & ipse quod nésciens fecit, volens tamen fecit, ita nec ipsíus esse pótuit sine voluntáte peccátum. Quæ voluntas útique ánimi motus fuit, nullo cogente, ad áliquid vel non amittendum, vel adipiscendum. Quod enim si noluisset, non fecisset, non coactus est fácere. Quia vóluit ergo fecit, etiamsi non quia vóluit peccávit, nésciens peccátum esse quod fecit: ita nec peccátum sine voluntáte esse pótuit; sed voluntáte facti, non voluntáte peccáti, quod tamen factum peccátum fuit: hoc enim factum est quod fieri non débuit: quisquis autem sciens peccat, si potest cogenti ad peccátum sine peccáto resístere, nec tamen facit, útique volens peccat: quóniam qui potest resístere, non cógitur cédere, qui verò cogenti cupiditáti bonâ voluntáte resístere non potest, & ideo

facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut fit étiam pœna peccári: quapropter peccátum sine voluntáte esse non posse veríssimum est.

℟. Ille servus, qui cognóvit voluntátem Dómini sui, & non fecit, vapulábit multis: qui autem non cognóvit, & fecit digna plagis, vapulábit paucis.* Omnis autem cui multum datum est, multum quærétur ab eo. ℣. Judicábit Deus occulta hóminum secundùm Evangéliũ meum.*Omnis. ℣. Glória. * Omnis. *Luc.* 12. *Rom.* 2.

C A N O N.

Ex Epístolâ séptimâ Gelásii Papæ contra Pelágium. *Ad omnes Ep. in Picœno. An.* 493.

SIne divíno suffrágio non solùm hómini naturále bonum prodesse non pótuit, non solùm non effécit beátum: sed cùm hoc solo confidit, atque ad ejus non revértitur largitórem, & beatitúdinem pótiùs amísit, & malórum ómnium sumpsit exórdium.

---

S A B B A T O.

L E C T I O I.

Ex Libro quarto Regum. *Cap.* 25.

FActum est autem anno nono regni Sedecíæ, venit Nabuchodónosor rex Babylónis, ipse & omnis exércitus ejus, in Jerúsalem, & circumdedérunt eam: & extruxérunt in circúitu ejus munitiónes. Et clausa est cívitas atque valláta usque ad undécimum annum regis Sedecíæ: prævaluitque fames in civitáte, nec erat panis pópulo terræ. Et interrupta est cívitas: & omnes viri bellatóres nocte fugérunt. (Porro Chaldæi obsidébant in circúitu civitátem.) ¶ Fugit ítaque Sedecías, & persecútus est exércitus Chaldæórum regem, comprehendítque eum in planítie Jéricho: & omnes bellatóres qui erant cum eo, dispersi sunt, & reliquérunt eum. Apprehensum ergo regem duxérunt ad regem Babylónis, qui locútus est cum eo judícium. Fílios autem Sedecíæ occídit coram eo, & óculos ejus effódit, vinxítque eum caténis, & adduxit in Babylónem.

*Responsoria ut heri.*

L E C T I O II.

MEnse quinto, séptimâ die mensis, ipse est annus nonus décimus regis Babylónis: venit Nabuzardan princeps exércitûs, servus regis Babylónis, in Jerúsalem. Et succendit domum Dómini, & domum regis: & domos Jerúsalem, omnemque do-

mum combussit igni. Et muros Jerúsalem in circúitu destruxit omnis exércitus Chaldæórum, qui erat cum príncipe militum. ¶ Réliquam autem pópuli partem, quæ remánserat in civitáte, tránstulit Nabuzardan princeps milítiæ. Et de paupéribus terræ relíquit vinitóres & agrícolas. Columnas autẽ æreas quæ erant in templo Dómini, & bases, & mare æreum quod erat in domo Dómini, confregérunt Chaldæi, & transtulérunt æs omne in Babylónem.

LECTIO III.

Ex Enchirídio sancti Augustíni Epíscopi, de Fide, Spe, & Caritáte. *Edit. Bened. Cap.* 7, 8. *&c.*

QUæ sunt lévia, quæ grávia peccáta, non humáno sed divíno sunt pensanda judício. Sunt autem quædam quæ levíssima putarentur, nisi in Scriptúris demonstrarentur opinióne gravióra. Quis enim dicentem fratri suo: Fátue: reum gehennæ putáret, nisi Véritas díceret? Huc accédit, quòd peccáta, quàmvis magna & horrenda, cùm in consuetúdinem vénerint, aut parva, aut nulla esse creduntur; usque ádeo ut non solùm non occultanda, verùm étiam prædicanda ac diffamanda videantur. Sic nostris tempóribus ita multa mala in apertam consuetúdinem jam venérunt, ut pro his non solùm excommunicáre áliquem láicum non audeámus, sed nec cléricum degradáre. Unde cùm expónerem ante áliquos annos Epístolam ad Gálatas, in eo ipso loco ubi ait Apóstolus: Tímeo vos ne fortè sine causâ laboráverim in vobis; exclamáre compulsus sum, Væ peccátis hóminum, quæ sola inusitáta exhorréscimus, usitáta verò pro quibus abluendis Fílii Dei sanguis effúsus est; quamvis tam magna sint, ut omníno claudi contra se fáciant regnum Dei, sæpe videndo ómnia toleráre, sæpe tolerando non nulla étiam fácere cógimur. Atque útinam, ô Dómine, non ómnia quæ non potuérimus prohibére faciámus!

℟. Delícta quis intélligit? Ab occultis meis munda me, Dómine, * Et ab aliénis parce servo tuo. ℣. Delícta juventútis meæ & ignorántias meas ne memíneris: * Et. ℣. Glória. * Et. *Ps.* 18 *&* 24.

CANON.

Ex Concílio Milevitáno secundo. *An.* 416. *Can.* 6.

PLácuit quod ait sanctus Joannes Apóstolus: Si dixérimus quia peccátum

non habémus, nos ipsos sedúcimus, & véritas in nobis non est: quisquis sic accipiendum putáverit, ut dicat propter humilitátem oportére dici, nos habére peccátum, non quia verè ita est; Anáthema sit.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Sapiéntia insipiéntibus locúta est: Relínquite infántiam, & vívite, & ambuláte per vias prudéntiæ. *Prov.* 9.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 347.

---

## DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

---

### *IN I. NOCTURNO.*

#### LECTIO I.

Incipit Liber Proverbiórum. *Cap.* 1.

PArábolæ Salomónis, filii David, regis Israel. Ad sciendam sapiéntiam & disciplínam: ad intelligenda verba prudéntiæ, & suscipiendam eruditiónem doctrínæ, justítiam, & judícium, & æquitátem: ut detur párvulis astútia, adolescenti sciéntia & intellectus. Audiens sápiens, sapiéntior erit: & intélligens gubernácula possidébit. Animadvertet parábolam & interpretatiónem, verba sapientum & ænígmata eórum.

℟. Beátus homo qui invénit sapiéntiam: pretiósior est cunctis ópibus; * Viæ ejus viæ pulchræ, & omnes sémitæ illíus pacíficæ. ℣. Quæ desursum est sapiéntia, pudíca est, pacífica, modesta, plena misericórdiâ & frúctibus bonis; * Viæ. *Prov.* 3. *Jac.* 3.

#### LECTIO II.

TImor Dómini, princípium sapiéntiæ. Sapiéntiam atque doctrínam stulti despíciunt. Audi, fili mi, disciplínam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: ut addátur grátia cápiti tuo, & torques collo tuo. Fili mi, si te lactáverint peccatóres, ne acquiescas eis. Si díxerint: Veni nobíscum, insidiémur sánguini, abscondámus tendículas contra insontem frustra: deglutiámus eum sicut infernus viventem. Omnem pretiósam substántiam reperiémus, implébimus domos nostras spóliis. Sortem mitte nobíscum, marsúpium unum sit ómnium nostrûm. Fili mi, ne ámbules cum eis, próhibe pedem tuum à sémitis eórum. Pedes enim illórum ad malum currunt; & festínant ut effundant sánguinem.

℟. Quis superpónet in corde meo doctrínam sapiéntiæ, ne íncidam in conspectu adversariórum

meórum ? * Dómine Pater, & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitátu illórum. ℣. Hujuscémodi Dómino nostro non sérviunt, sed per dulces sermónes, & benedictiónes, sedúcunt corda innocéntiũ. * Dómine. *Eccli.* 23. *Rom.* 16.

LECTIO III.

SApiéntia foris prædicat, in platéis dat vocem suam, dicens : Usquequo párvuli, dilígitis infántiam, & stulti ea, quæ sibi sunt nóxia, cúpient, & imprudentes odíbunt sciéntiam ? Convertímini ad correptiónem meam : & próferam vobis spíritum meum, & ostendam vobis verba mea. Quia vocávi, & renuistis : extendi manum meam, & non fuit qui adspíceret. Despexistis omne consílium meum, & increpatiónes meas neglexistis. Ego quoque in intéritu vestro ridébo, & subsannábo, cùm vobis id quod timebátis, advénerit.

℟. Quia vocávi, & non erat qui respondéret, fecerúntque malum in óculis meis, & quæ nólui elegérunt : * Et ego éligam illusiónes eórum : & quæ timébant addúcã eis. ℣. Hæc ómnia elegérunt in viis suis, & in abominatiónibus suis ánima eórum delectáta est : * Et. *Isai.* 66.

LECTIO IV.

CUm irrúerit repentína calámitas, & intéritus quasi tempestas ingrúerit ; quando vénerit super vos tribulátio & angústia : tunc invocábunt me, & non exáudiam : manè consurgent, & non invénient me : eo quòd exósam habúerint disciplínam, & timórem Dómini non suscéperint, nec acquiéverint consílio meo, & detráxerint univérsæ correptióni meæ. Cómedent ígitur fructus viæ suæ, suísque consíliis saturabuntur. Qui autem me audíerit, absque terróre requiescet, & abundántiâ perfruétur, timóre malórum subláto.

℟. Noli æmulári ut malignéris * Quóniam qui malignantur, exterminabuntur : sustinentes autem Dóminum ipsi hæreditábunt terram. ℣. Ne æmuléris hóminem injustum, nec imitéris vias ejus : * Quóniam. ℣. Glória. * Quóniam. *Ps.* 36. *Prov.* 3.

## *IN II. NOCTURNO.*

LECTIO V.

Ex Libro décimo quinto sancti Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei. *Edit. Bened. Cap.* 22.

CReátor si veráciter amétur, hoc est, si ipse, non áliud pro illo quod

non est ipse, amétur, malè amári non potest. Nam & amor ipse ordinátè amandus est, quo bene amátur quod amandum est, ut sit in nobis virtus quâ vívitur bene. Unde mihi vidétur, quòd definítio brevis & vera virtútis, Ordo est amóris: propter quod in sancto Cántico canticórum cantat sponsa Christi, cívitas Dei: Ordináte in me caritátem.

℟. Ego sapiéntia ex ore Altíssimi prodivi, primogénita ante omnem creatúram; * Ego mater pulchræ dilectiónis, & timóris, & agnitiónis, & sanctæ spei. ℣. Sine me, nihil potestis fácere. * Ego. *Eccli.* 24. *Joan.* 15.

LECTIO VI.

Ex Libro primo Ejusdem de Móribus Ecclésiæ Cathólicæ. *Edit. Ben. Cap.* 15. *n.* 25.

SI virtus ad beátam vitam nos ducit; nihil omníno esse virtútem affirmáverim, nisi summum amórem Dei. Namque illud quod quadripartíta dícitur virtus, ex ipsíus amóris vário quodam affectu, quantum intélligo, dícitur. Itaque illas quátuor virtútes quarum útinam ita sit in méntibus vis, ut nómina in ore sunt ómnium, sic étiam definíre non dúbitem, ut temperántia sit amor íntegrum se præbens ei quod amátur: fortitúdo, amor fácilè tólerans ómnia propter quod amátur: justítia, amor soli amáto sérviens, & proptérea rectè dóminans: prudéntia, amor ea quibus adjuvátur ab eis quibus impéditur, sagáciter séligens. Sed hunc amórem non cujúslibet, sed Dei esse díximus, id est, summi boni, summæ sapiéntiæ, summæque concórdiæ.

℟. Finem loquendi páriter omnes audiámus: * Deum time, & mandáta ejus obsérva; hoc est enim omnis homo. ℣. Finis præcepti est cáritas de corde puro, & consciéntiâ bonâ, & fide non fictâ. * Deum. *Eccle.* 12. *I. Tim.* 1.

LECTIO VII.

Ex Libro primo Strómatum sancti Clementis Alexandríni. *Ed. Oxon. n.* 20.

SI rectè considerémus, potestáte una est virtus, áccidit autem, ut ea cùm his quidem insit rebus, dicátur prudéntia, in illis autem temperántia, in áliis verò ánimi magnitúdo vel justítia. Eâdem autem ratióne cùm sit una quoque véritas, in geométriâ, geométriæ véritas: in músicâ autem, músicæ: & in rectâ philosóphiâ fúerit

græca véritas. Sola autem hæc est authéntica véritas, quæque à némine adtingi potest, quam docémur à Dei Fílio. Síngulæ autem seu virtútes seu veritátes, commúni quidem nómine convéniunt, sed próprium áliquem, eumque únicum, effectum habent: quorum ómnium ex conjunctióne náscitur vita beáta.

℞. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, & à generatiónibus meis impléminì. * Qui audit me, non confundétur: & qui operantur in me, non peccábunt. ℣. Ego lux in mundum veni: ut omnis qui credit in me, in ténebris non máneat. * Qui audit. *Eccli.* 24. *Joan.* 12.

LECTIO VIII.

Ex Enarratióne sancti Augustíni Epíscopi in Psalmum octogésimum tértium. *Edit. Bened. n.* 11.

HIc per grátiam multæ virtútes dantur sed hìc necessáriæ: & ab his virtútibus imus in virtútem Quam virtútem? Christum Dei virtútem & Dei Sapiéntiam. Ipse dat diversas virtútes in loco hoc, qui pro ómnibus virtútibus necessáriis in convalle ploratiónis & utílibus, dabit unam virtútem se ipsum. Nam & virtútes agendæ vitæ nostræ quátuor describuntur à multis, & in Scriptúrâ inveniuntur. Prudéntia dícitur, quâ dignóscimus inter bonum & malum: Justítia dícitur, quâ sua cuíque tribúimus, némini quidquam debentes, sed omnes diligentes. Temperántia dícitur, quâ libídines refrænámus. Fortitúdo dícitur, quâ omnia molesta tolerámus. Istæ virtútes nunc in convalle ploratiónis per grátiam Dei dantur nobis. Ab his virtútibus imus in illam virtútem: & quæ erit illa virtus, nisi solíus contemplatiónis Dei?

℞. Nunc filii Dei sumus, & nondum appáruit quid érimus; scimus quóniàm cùm apparúerit, símiles ei érimus; * Quóniam † Vidébimus eum sicuti est. ℣. Vidémus nunc per spéculum in ænígmate, tunc autem fácie ad fáciem. * Quóniam. ℣. Glória. † Vidébimus. *I. Joan.* 3. *I. Cor.* 13.

## IN III. NOCTURNO.

LECTIO IX.

Incipit Epístola cathólica beáti Jacóbi Apóstoli.

*Cap.* 1.

JAcóbus Dei & Dómini nostri Jesu Christi servus, duódecim tríbubus, quæ sunt in dispersióne, salútem. Omne gáudium existimáte fratres meì, cùm in tentatiónes várias

incidéritis: sciéntes quòd probátio fidei vestræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet: ut sitis perfécti & íntegri, in nullo deficientes.

℟. Gloriámur in tribulatiónibus: sciéntes quòd * Tribulátio patiéntiam operátur: patiéntia autem probatiónem, probátio verò spem, spes autem non confúndit. ℣. Vasa fíguli probat fornax, & hómines justos tentátio tribulatiónis. * Tribulátio. *Rom.* 5. *Eccli.* 27.

LECTIO X.

SI quis autem vestrûm índiget sapiéntiâ, póstulet à Deo, qui dat ómnibus affluénter, & non impróperat: & dábitur ei. Póstulet autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, símilis est flúctui maris qui à vento movétur & circumfértur. Non ergo æstimet homo ille quòd accípiat áliquid à Dómino. Vir duplex ánimo, inconstans est in ómnibus viis suis.

℟. Scitóte quia nullus sperávit in Dómino, & confúsus est. * Quis enim permansit in mandátis ejus, & derelíctus est? aut quis invocávit eum, & despexit illum? ℣. Si cor nostrum non reprehénderit nos, fidúciam habémus ad Deum, & quidquid petiérimus accipiémus ab eo, quóniam mandáta ejus custodímus. * Quis. *Eccli.* 2. *I. Joan.* 3.

LECTIO XI.

GLoriétur autem frater húmilis in exaltatióne suâ; dives autem in humilitáte suâ, quóniam sicut flos fœni transíbit. Exortus est enim sol cum ardóre, & aresécit fœnum, & flos ejus décidit, & decor vultûs ejus depériit: ita & dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir qui suffert tentatiónem: quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se. Nemo cùm tentátur dicat, quóniam à Deo tentátur: Deus enim intentátor malórum est: ipse autem néminem tentat. Unusquísque verò tentátur à concupiscéntiâ suâ abstráctus & illéctus. Deinde concupiscéntia cùm concéperit, parit peccátum: peccátum verò cùm consummátum fúerit, génerat mortem.

℟. Existimáte vos mórtuos esse peccáto, viventes autem Deo, in Christo Jesu Dómino nostro. * Non ergo regnet peccátum in vestro mortáli córpore, ut obediátis concupiscéntiis ejus. ℣. In malévolam ánimam non introíbit sapién-

tia, nec habitábit in córpore súbdito peccátis. *Non ergo. *Rom. 6. Sap. 1.*

LECTIO XII.

NOlíte ítaque erráre, fratres mei dilectíssimi. Omne datum óptimũ, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre lúminum, apud quem non est transmutátio, nec vicissitúdinis obumbrátio. Voluntáriè enim génuit nos verbo veritátis, ut simus inítium áliquod creatúræ ejus. Scitis, fratres mei dilectíssimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri justítiam Dei non operátur. Propter quod abjicientes omnem immundítiam, & abundántiam malítiæ, in mansuetúdine suscípite ínsitum verbum, quod potest salváre ánimas vestras.

℟. Per Christum máxima & pretiósa nobis promíssa donávit Deus, * Ut per hæc efficiámini divínæ consortes natúræ, fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscéntiæ corruptiónem. ℣. Omnia nobis divínæ virtútis suæ, quæ ad vitam & pietátem donáta sunt, per cognitiónem ejus qui vocávit nos própriâ glóriâ & virtúte. * Ut. ℣. Glória. * Ut. *II. Petr. 1.*

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Cap. 16.*

DIxit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam erat dives, qui habébat víllicum: & hic diffamátus est apud illum quasi dissipásset bona ipsíus. Et vocávit illum, & ait illi: Quid hoc áudio de te? Redde ratiónem villicatiónis tuæ, jam enim non póteris villicáre. Ait autem víllicus intra se: Quid fáciam, quia Dóminus meus aufert à me villicatiónem? fódere non váleo, mendicáre erubesco. Scio quid fáciam, ut, cùm amótus fúero à villicatióne, recípiant me in domos suas. Convocátis ítaque síngulis debitóribus Dómini sui, dicébat primo: Quantum debes Dómino meo? At ille dixit: Centum cados ólei. Dixitque illi: Accipe cautiónem tuam: & sede citò, scribe quinquaginta. Deinde álii dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros trítici. Ait illi: Accipe lítteras tuas, & scribe, octoginta. Et laudávit Dóminus víllicum iniquitátis, quia prudenter fecísset: quia fílii hujus séculi prudentióres fíliis lucis in generatióne suâ sunt. Et ego vobis dico: Fácite vobis

amícos de mammónâ iniquitátis : ut, cùm defecéritis, recípiant vos in ætérna tabernácula.

*Ad* Benedíctus. *Ant.* Ait víllicus intra se : Scio quid fáciam, ut, cùm amótus fúero à villicatióne, recípiant me in domos suas. *Luc.* 16.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

Largíre nobis, quæsumus, Dómine, semper spíritum cogitandi quæ recta sunt, propítius & agendi ; † ut qui sine te esse non póssumus, * secundùm te vívere valeámus ; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Vaurensi. *An.* 1368. *Cap.* 1.

Fides virtus quædam est, quâ creduntur quæ non videntur : Nam cum Paulus dicat : Fides est substántia sperandárum rerum, argumentum non apparéntium : hoc veráciter dícitur credi, quod non valet vidéri. Unde Augustínus : Crédimus, inquit, ut cognoscámus, non cognóscimus, ut credamus.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Laudávit dóminus víllicum iniquitátis, quia prudenter fecísset : quia fílii hujus séculi prudentióres fíliis lucis in generatióne suâ sunt. *Luc.* 16.

---

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Libro Proverbiórum. *Cap.* 2.

Fili mi, si suscéperis sermónes meos, & mandáta mea abscónderis penes te, ut áudiat sapiéntiam auris tua : inclína cor tuum ad cognoscendam prudéntiam. Si enim sapiéntiam invocáveris, & inclináveris cor tuum prudéntiæ : si quæsíeris eam quasi pecúniam, & sicut thesauros effóderis illam : tunc intélliges timórem Dómini, & sciéntiam Dei invénies : quia Dóminus dat sapiéntiam ; & ex ore ejus prudéntia ; & sciéntia. Custódiet rectórum salútem, & próteget gradientes simplíciter, servans sémitas justítiæ, & vias sanctórum custódiens. ¶ Tunc intélliges justítiam & judícium, & æquitátem, & omnem sémitam bonam. Si intráverit sapiéntia cor tuum, & sciéntia ánimæ tuæ placúerit : consílium custódiet te, & prudéntia servábit te, ut eruáris à viâ malâ, & ab hómine qui perversa lóquitur : qui relinquunt iter rectum, & ámbulant per vias tenebrósas : qui lætantur cùm malefécerint, & exsultant in rebus péssimis :

quorum viæ perversæ sunt, & infámes gressus eórum.

*Responsoria ut heri, in I. Nocturno, pag. 341.*

LECTIO II. *Cap. 3.*

FIli mi, ne oblivíscáris legis meæ, & præcepta mea cor tuum custódiat. Longitúdinem enim diérum, & annos vitæ, & pacem appónent tibi. Misericórdia & véritas te non déserant: & invénies grátiam, & disciplínã bonam, coram Deo & homínibus. Habe fidúciam in Dómino ex toto corde tuo, & ne innitáris prudéntiæ tuæ. In ómnibus viis tuis cógita illum, & ipse díriget gressus tuos. Ne sis sápiens apud temetipsum: time Deum, & recéde à malo. ¶ Noli prohibére benefácere eum qui potest: si vales, & ipse bénefac: ne dicas amíco tuo: Vade, & revértere: cras dabo tibi: cùm statim possis dare. Ne moliáris amíco tuo malum, cùm ille in te hábeat fidúciam: quia abominátio Dómini est omnis illúsor, & cùm simplícibus sermocinátio ejus. Egestas à Dómino in domo ímpii, habitácula autem justórum benedicentur. Ipse delúdet illusóres, & mansuétis dabit grátiam. Glóriam sapientes possidébunt: stultórum exaltátio, ignomínia.

LECTIO III.

Ex Libro tértio sancti Augustini Epíscopi de Líbero arbítrio. *Edit. Bened. Cap. 18, &c.*

VIrtútes quibus rectè vívitur, magna bona sunt: spécies autem quorúmlibet córporum, sine quibus rectè vivi potest, mínima bona sunt: poténtiæ verò ánimi sine quibus rectè vivi non potest, média bona sunt. Virtútibus nemo malè útitur: cæteris autem bonis, id est, médiis & mínimis, non solùm bene, sed étiam malè quisque uti potest. Et ídeo virtúte nemo malè útitur, quia opus virtútis est bonus usus istórum, quibus étiam non bene uti póssumus. Nemo autem bene utendo malè útitur.

℟. Vánitas vanitátum, & ómnia vánitas: * Deum time, & mandáta ejus obsérva; hoc est enim omnis homo. ℣. Qui servat verbum Dei, verè in hoc cáritas Dei perfecta est. * Deum. ℣. Glória. * Deum time. *Eccle. 12. I. Joan. 2.*

CANON.

Ex Concílio Parisiensi sexto. *An. 829. Cap. 1.*

NOsse unumquemque fidélem oportet, quia fides vera & fructuósa esse non potest, nisi bonis opéribus exornétur, id est, fi-

de, spe, caritáte, humilitáte, castitáte, continéntiâ, sobrietáte, unanimitáte, concórdiâ, justítiâ, pietáte, misericórdiâ, innocéntiâ, & simplicitáte, & cæteris his simílibus; quæ ómnia in dilectióne Dei & próximi consistunt. Sine his enim nemo potest Deo placére, nec salvus esse; quia teste Apóstolo, Fides sine opéribus mórtua est in semetipsâ.

---

## FERIA TERTIA.

### Lectio I.

Ex Libro Proverbiórum. *Cap.* 8.

EGo sapiéntia hábito in consílio, & erudítis intersum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum: arrogántiam, & supérbiam & viam pravam, & os bilingue detestor. Meum est consílium & æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. ¶ Per me reges regnant, & legum conditóres justa decernunt: per me príncipes ímperant, & potentes decernunt justítiam. Ego diligentes me díligo: & qui manè vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiæ, & glória, opes superbæ & justítia.

*Respons͡oria ut in II. Nocturno Dominicæ præcedentis, pag.* 343.

### Lectio II.

DOminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret à princípio. Ab æterno ordináta sum, & ex antíquis ántequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquárum erúperant; necdum montes gravi mole constíterant: ante colles ego parturiébar: adhuc terram non fécerat, & flúmina, & cárdines orbis terræ. Quando præparábat cœlos, áderam: quando certâ lege & gyro vallábat abyssos: quando æthera firmábat sursum, & librábat fontes aquárum: quando circúmdabat mari términum suum, & legem ponébat aquis, ne transírent fines suos: quando appendébat fundamenta terræ. Cum eo eram cuncta compónens: & delectábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore: ludens in orbe terrárum: & delíciæ meæ esse cum filiis hóminum. ¶ Nunc ergo, filii, audíte me: beáti qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam & estóte sapientes, & nolíte abjícere eam. Beátus homo qui audit me, & qui vígilat ad fores meas quotídie; & observat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, & háuriet sa-

lútem à Dómino : qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes qui me odérunt, díligunt mortem.

LECTIO III.

Ex Libro quarto sancti Augustíni Epíscopi contra Juliánum. *Edit. Bened. Cap. 3. n. 19.*

NOn absurdè virtus definíta est ab iis qui dixérunt : Virtus est ánimi hábitus, natúræ modo atque ratióni consentáneus. Verum dixérunt, sed quid sit consentáneum liberandæ ac beatificandæ natúræ mortálium nesciérunt. Neque enim omnes hómines naturáli instinctu immortáles & beáti esse vellémus, nisi esse possémus. Sed hoc summum bonum præstári homínibus non potest, nisi per Christum & hunc crucifixum, cujus morte mors víncitur, cujus vulnéribus natúra nostra sanátur. Ideo justus ex fide Christi vivit. Ex hâc enim fide prudenter, fórtiter, temperanter, & justè, ac per hoc his ómnibus veris virtútibus rectè sapienterque vivit, quia fidéliter vivit. Si ergo ad consequendam veram beatitúdinem, quam nobis immortálem fides quæ in Christo est vera promittit, nihil prosunt hómini virtútes; nullo modo veræ possunt esse virtútes.

℟. Qui credit in Fílium, habet vitam ætemam. * Qui autem incrédulus est Fílio, non vidébit vitam, sed ira Dei manet super eum. ℣. Justus in fide suâ vivet. * Qui. ℣. Glória. * Qui. *Joan. 3. Habac. 2.*

CANON.

Ex Concílio Parisiensi sexto. *An. 829. Cap. 1.*

NEcesse est ut unusquisque Christiánus diligenter perpendat, utrùm in eo fides viva sit, bona ópera agendo; an mórtua, bona ópera negligendo. Et si, juxta documentum Apóstoli, ipsa fides sine opéribus bonis mórtua est, quâ damnatióne plectendi sunt illi, qui non solùm eamdem fidem bonis opéribus non exornant, sed étiam diversis flagítiis eam commáculant ?

---

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Libro Proverbiórum. *Cap. 10, 11, 12.*

ODium súscitat rixas : & universa delicta óperit cáritas. Exspectátio justórum lætítia : spes autem impiórum períbit Fortitúdo símplicis via Dómini : & pavor his, qui operantur malum. Justus in æternum non commovébi-

tur : ímpii autem non habitábunt super terram. ¶ Statéra dolósa abominátio est apud Dóminum : & pondus æquum, voluntas ejus. Ubi fúerit supérbia, ibi erit & contumélia : ubi autem est humílitas, ibi & sapiéntia. Justítia símplicis díriget viam ejus : & in impietáte suâ córruet ímpius. Qui díligit disciplínam, díligit sciéntiam : qui autem odit increpatiónes, insípiens est. De fructu oris sui unusquísque replébitur bonis, & juxta ópera mánuum suárum retribuétur ei. Non contristábit justum quidquid ei accíderit : ímpii autem replebúntur malo. Abominátio est Dómino lábia mendácia : qui autem fidéliter agunt, placent ei.

LECTIO II. *Cap.* 13 & 14.

Filius sápiens, doctrína patris ; qui autem illúsor est, non audit, cùm argúitur. Qui custódit os suum, custódit ánimam suam : qui autem inconsiderátus est ad loquendum, séntiet mala. Vult & non vult piger : ánima autem operántium impinguábitur. Qui párcit virgæ, odit filium suum : qui autem díligit illum, instanter erúdit. Est via quæ vidétur hómini justa : novíssima autem ejus dedúcunt ad mortem. Risus dolóre miscébitur, & extréma gáudii luctus óccupat. Innocens credit omni verbo : astútos consíderat gressus suos. Fílio dolóso nihil erit boni : servo autem sapienti prósperi erunt actus, & dirigétur via ejus. Sápiens timet, & declínat à malo : stultus tránsilit, & confídit. ¶ Qui déspicit próximum suum peccat ; qui autem miserétur páuperis, beátus erit. Qui credit in Dómino, misericórdiam díligit. Errant qui operantur malum : misericórdia & véritas præparant bona. Qui calumniátur egentem, expróbrat factóri ejus : honórat autem eum, qui miserétur páuperis. In malítiâ suâ expellétur ímpius : sperat autem justus in morte suâ. Justítia élevat gentem : míseros autem facit pópulos peccátum.

℟. I. Ne despícias hóminem avertentem se à peccáto, neque impróperes ei. * Memento quóniam omnes in correptióne sumus. ℣. Si præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, hujúsmodi instrúite in spíritu lenitátis, consíderans teipsum, ne & tu tentéris. * Memento. *Eccli.* 8. *Galat.* 6.

℟. II. Disciplínam Dómini, fili mi, ne abjícias ; * Quem enim díligit Dóminus córripit, & quasi pater in filio cómplacet

sibi. ℣. Tamquàm filiis vobis offert se Deus; quis enim filius quem non córripit pater? Quòd si extra disciplínam estis, ergo adúlteri, & non filii estis; * Quem. *Prov.* 3. *Hebr.* 12.

℟. III. In multis offéndimus omnes: si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir; * Potest enim fræno circumdúcere totum corpus. ℣. In multilóquio non déerit peccátum; qui autem moderátur lábia sua, prudentíssimus est; * Potest. *Jac.* 3. *Prov.* 10.

℟. IV. Habentes aliménta, & quibus tegámur, his contenti simus; * Nam qui volunt dívites fieri, íncidunt in láqueum diáboli, & desidéria multa inutília & nocíva. ℣. Est quæstus magnus, píetas cum sufficiéntiâ; * Nam. ℣. Glória. * Nam. *I. Tim.* 6.

LECTIO III.

Ex Libro quarto sancti Augustíni Epíscopi contra Juliánum Pelagiánum. *Edit. Bened. Cap.* 3. *n.* 20.

OMnibus virtútibus non solùm sunt vítia manifestâ discretióne contrária, sicut prudéntiæ temé-ritas: verùm étiam vicína quodámmodo, nec veritáte, sed quâdam spécie fallente, simília; sicut ipsi prudéntiæ non temeritas vel imprudéntia, sed astútia: quod tamen vítium est, quàmvis in Scriptúris sanctis & in bono accipiátur quod dictum est: Astúti ut serpentes: & in malo, quòd in paradíso erat serpens prudentíssimus ómnium bestiárum. Nec istórum vitiórum, quæ finítima virtútibus díximus, possunt ómnium fácilè nómina reperíri: verùm etsi non invenítur quemádmodum nuncupentur, cavenda sunt.

℟. Omnia probáte: quod bonum est tenéte. * Ab omni spécie malâ abstinéte vos. ℣. Nolíte omni spirítui crédere, sed probáte spíritus si ex Deo sint. * Ab. ℣. Glória. * Ab. *I. Thess.* 5. *I. Joan.* 4.

CANON.

Ex Concílio Vaurensi. *An.* 1368. *Cap.* 1.

QUóniam, sicut Apostólica tradit autóritas, sine fide impossíbile est placére Deo: idcirco sine fide omnis hóminis labor est vácuus. Fides namque, ut Fulgéntius ait in libro de fide ad Petrum, est bonórum ómnium fundamentum: fides est humánæ salútis inítium; sine hâc nemo potest ad filiórum Dei númerum pertinére: sine ipsâ nec in hoc século quisquam grátiam justificatió-

nis consequitur, nec in futúro vitam possidébit ætérnam.

---

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Libro Proverbiórum. *Cap.* 15 & 16.

REspónsio mollis frangit iram: sermo durus súscitat furórem. In omni loco óculi Dómini contemplantur bonos & malos. Hóminis est ánimam præparáre: & Dómini gubernáre linguam. Omnes viæ hóminis patent óculis ejus: spirítuum ponderátor est Dóminus. Revéla Dómino ópera tua, & dirigentur cogitatiónes tuæ. Pondus & statéra judícia Dómini sunt: & ópera ejus omnes lápides sácculi. Univérsa propter semetipsum operátus est Dóminus, ímpium quoque ad diem malum. Inítium viæ bonæ, fácere justítiam: accepta est autem apud Deum magìs quàm immoláre hóstias. ¶ Cor hóminis dispónit viam suam; sed Dómini est dirígere gressus ejus. Méliùs est humiliári cum mítibus, quàm divídere spólia cum supérbis. Mélior est pátiens viro forti: & qui dominátur ánimo suo, expugnatóre úrbium. Sortes mittuntur in sinum, sed à Dómino temperantur.

LECTIO II. *Cap.* 17 & 18.

MElior est buccella sicca cum gáudio, quàm domus plena víctimis cum júrgio. Sicut igne probátur argentum & aurum camíno: ita corda probat Dóminus. Qui justíficat ímpium, & qui condemnat justum, abominábilis est uterque apud Deum. Omni témpore díligit qui amícus est: & frater in angústiis comprobátur. Qui moderátur sermónes suos, doctus & prudens est: & pretiósi spíritûs vir erudítus. Stultus quoque si tacúerit, sápiens reputábitur: & si compresserit lábia sua, intélligens. ¶ Occasiónes quærit qui vult recédere ab amíco: omni témpore erit exprobrábilis. Impius cùm in profundum vénerit peccatórum, contemnit: sed séquitur eum ignomínia & oppróbrium. Antequã conterátur, exaltátur cor hóminis, & ántequam glorificétur, humiliátur. Qui priùs respondet quàm áudiat, stultum se esse demonstrat & confusióne dignum. Mors & vita in manu linguæ: qui díligunt eam, cómedent fructus ejus.

℟. I. Abyssum & cor hóminum investigávit Dóminus: * Non præterit illum omnis cogitátus, & non abscondit se ab eo ullus sermo. ℣. Non est

nihil fallit, reddetque hómini juxta ópera sua. Ne insidiéris, & quæras impietátem in domo justi, neque vastes réquiem ejus. Sépties enim cadet justus, & resurget : ímpii autem córruent in malum. Si esuríerit inimícus tuus, ciba illum : si sitíerit, da ei aquam bíbere : prunas enim congregábis super caput ejus, & Dóminus reddet tibi. Sicut qui mel multum cómedit, non est ei bonum : sic qui scrutátor est majestátis, opprimétur à glóriâ. Sicut urbs patens & absque murórum ámbitu, ita vir qui non potest in loquendo exhibére spíritum suum.

LECTIO III.

Ex Libro quarto sancti Augustini Epíscopi contra Juliánum Pelagiánum. *Edit. Bened. Cap.* 3. *n.* 22.

POssunt áliqua bona fieri, non bene faciéntibus à quibus fiunt. Bonum est enim ut subveniátur hómini periclitanti, præsertim innocenti : sed ille qui hoc facit, si amando glóriam hóminũ magìs quàm Dei facit, non bene bonum facit : quia non bonâ voluntáte facit. Absit enim ut sit vel dicátur voluntas bona, quæ in áliis, vel in seipsâ, non in Dómino gloriátur. Ac per hoc nec ejus fructus iste dicendus est : arbor enim mala bonos fructus non facit : sed pótiùs bonum opus est illíus, qui étiam per malos bene facit. Fíeri autem non potest ut steríliter boni simus : sed boni non sumus, quidquid steríliter sumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. Absit autem ut Deus bonus, à quo secúris parátur arbóribus non faciéntibus fructum bonum, excídat & in ignem mittat árbores bonas. Nullo modo ígitur hómines sunt steríliter boni : sed qui boni non sunt, possunt esse álii minùs, álii magìs mali.

℟. Non potest arbor bona malos fructus fácere : neque arbor mala bonos fructus fácere. * Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidétur, & in ignem mittétur. ℣. Aut fácite árborem bonam, & fructum ejus bonum; aut fácite árborem malam, & fructum ejus malum : siquidẽ ex fructu arbor agnóscitur. * Omnis. ℣. Glória. * Omnis. *Matth.* 7 & 12.

CANON.

Ex Concílio Moguntíno. *An.* 813. *Can.* 1.

INítium actiónis nostræ de fide esse decrévimus; quæ bonórum ómnium est fundamentum, & quia sine fide, ut dicit Apósto-

lus, impossíbile est placére Deo : fides tamen índiget ópere, quia fides sine opéribus mórtua est. Ideò beátus Gregórius : Ille, inquit, verè credit, qui exercet operando quod credit.

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Libro Proverbiórum. *Cap.* 26, 28, 29.

DIcit piger : Leo est in viâ, & leæna in itinéribus : sicut óstium vértitur in cárdine suo, ita piger in léctulo suo. Abscondit piger manum sub ascellâ suâ, & labórat si ad os suum eam convérterit. Sapiéntior sibi piger vidétur septem viris loquéntibus senténtias. Qui córripit hóminem, grátiam póstea invéniet apud eum magìs quàm ille, qui per linguæ blandimenta décipit. Qui súbtrahit áliquid à patre suo & à matre : & dicit hoc non esse peccátum, párticeps homicídæ est. ¶ Viro qui corripientem durâ cervíce contemnit, repentínus ei supervéniet intéritus : & eum sánitas non sequétur. In multiplicatióne justórum lætábitur vulgus : cùm ímpii súmpserint principátum, gemet pópulus. Princeps qui libenter audit verba mendácii, omnes ministros habet ímpios. Rex qui júdicat in veritáte páuperes, thronus ejus in æternum firmábitur. Erúdi fílium tuum, & refrigerábit te, & dabit delícias ánimæ tuæ.

*Responsoria ut suprà, Feriâ IV. pag.* 351.

LECTIO II. *Cap.* 29 & 30.

CUm prophetía defécerit, dissipábitur pópulus : qui verò custódit legem beátus est. Vidísti hóminem velócem ad loquendum? stultítia magìs speranda est, quàm illius corréptio. Vir iracundus próvocat rixas : & qui ad indignandum fácilis est, erit ad peccandum proclívior. Superbum séquitur humílitas : & húmilem spíritu suscípiet glória. ¶ Quis ascendit in cœlum atque descendit? quis contínuit spíritum in mánibus suis? quis colligávit aquas quasi in vestimento? quis suscitávit omnes términos terræ? quod nomen est ejus, & quod nomen Fílii ejus, si nosti? Duo rogávi te, ne déneges mihi ántequam móriar. Vanitátem & verba mendácia longè fac à me. Mendicitátem & divítias ne déderis mihi : tríbue tantùm víctui meo necessária : ne fortè satiátus illíciar ad negandum, & dicam : Quis est Dóminus? aut egestáte compulsus furer, & perjúrem nomen Dei mei.

LECTIO III.

Ex Libro primo de Vocatióne ómnium Géntium. *Inter Opera S. Leonis Papæ. Edit. Parif. Cap. 6.*

HOc est próprium & præcípuum piórum, ut in Dómino glorientur; ne se, nisi in Deo diligant. Bene enim se amant, qui in se ópera Dei amant. Nam & Deus hoc amat in nobis, quod ipse fecit: & hoc odit quod ipse non fecit. Si ergo opus Dei amámus in nobis, bonam voluntátem rectè amámus in nobis, quæ útique si opus Dei non esset, amanda non esset. Quis autem homo, nisi malæ voluntátis, bonam in se non amat voluntátem, quæ superni agrícolæ prima plantátio est? Dicente enim Veritáte: Omnis plantátio quam non plantávit Pater meus cœlestis, eradicábitur; quidquid non est eradicandum, manifestum est à Patre esse plantátum. Bona autem voluntas ómnium virtútum germen est primum. Quæ innixa orígini suæ, in illâ æternâ & incommutábili voluntáte requiescit, ut verè sit spirituális: quóniam qui adhæret Deo, unus spíritus est, dum per communiónem illuminantis & illumináti, justificantis & justificári, regentis & súbditi, omnis áctio ad unum refertur: & quod ad unum refertur, utriusque est: quia nec à Deo alienári potest quod dedit, nec ab hómine quod accépit.

℟. Ego sum vitis vera: & Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: * Et omnem qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. ℣. Omnis plantátio, quam non plantávit Pater meus cœlestis, eradicábitur. * Et. ℣. Glória. * Et. *Joan.* 15. *Matth.* 15.

CANON.

Ex Concílio Arausicáno secundo. *An.* 529. *Cap.* 24.

ITa sunt in vite pálmites, ut viti nihil conferant, sed unde accípiant unde vivant: sic quippe vitis est in palmítibus, ut vitále alimentum subministrèt eis, non sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habére Christum & manére in Christo, discípulis prodest utrumque, non Christo: nam præcíso pálmite, potest de vivâ radíce álius pulluláre; qui autem præcísus est, sine radíce non potest vívere.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Cùm esset sapientíssimus Ecclesiastes, dócuit pópulum, & conscripsit sermónes rectíssimos, ac veritáte plenos. *Eccles.* 12.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 363.

## DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

### IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Incipit Liber Ecclesiastæ. *Cap.* 1.

VErba Ecclesiastæ, filii David, regis Jerúsalem. Vánitas vanitátum, dixit Ecclesiastes: vánitas vanitátum, & ómnia vánitas. Quid habet ámpliùs homo de universo labóre suo, quo labórat sub sole? Generátio præterit & generátio ádvenit: terra autem in æternum stat.

℟. Finem loquendi páriter omnes audiámus: * Deũ time, & mandáta ejus obsérva; hoc est enim omnis homo. ℣. Vánitas vanitátum, dixit Ecclesiastes, & ómnia vánitas. * Deum. *Eccles.* 12.

LECTIO II.

CUnctæ res difficiles: non potest eas homo explicáre sermóne. Non saturátur óculus visu, nec auris audítu implétur. Quid est quod fuit? ipsum quod futúrum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dícere: Ecce hoc recens est: jam enim præcessit in séculis, quæ fuérunt ante nos. Non est prióurm memória: sed nec eórum quidem, quæ póstea futúra sunt, erit recordátio apud eos, qui futúri in novissimo.

℟. Fílii hóminum úsquequó gravi corde? * Ut quid dilígitis vanitátem & quæritis mendáciũ? ℣. Prætérit figúra hujus mundi. * Ut quid. *Ps.* 4. *I. Cor.* 7.

LECTIO III.

EGo Ecclesiastes fui rex Israel in Jerúsalem: & propósui in ánimo meo quærere & investigáre sapienter de ómnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupatiónem péssimam dedit Deus fíliis hóminum, ut occuparentur in eâ. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce univérsa vánitas, & afflíctio spíritûs. Perversi diffícilè corriguntur, & stultórum infinítus est númerus.

℟. Vani sunt omnes hómines in quibus non subest sciéntia Dei: * Et de his quæ videntur bona, non potuérunt intellígere eum qui est. ℣. Evanuérunt in cogitatiónibus suis, & obscurátum est insípiens cor eórum. * Et de. *Sap.* 13. *Rom.* 1.

LECTIO IV.

LOcútus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, & præ-

cessi omnes sapiéntiâ, qui fuérunt ante me in Jerúsalem: & mens mea contempláta est multa sapienter, & dídici. Dedíque cor meum ut scirem prudéntiam, atque doctrínam, erroresque & stultítiam: & agnóvi quòd in his quoque esset labor & afflíctio spíritûs: eo quòd in multâ sapiéntiâ, multa sit indignátio: & qui addit sciéntiam, addit & labórem.

℟. Vidi sub sole in loco judícii impietátem, & in loco justítiæ iniquitátem: & dixi in corde meo: Justum & ímpium judicábit Deus, * Et tempus omnis rei tunc erit. ℣. Uniuscujusque opus manifestum erit; dies enim Dómini declarábit; * Et. ℣. Glória. * Et *Eccles.* 3. 1. *Cor.* 3.

## *IN II. NOCTURNO.*

### Lectio V.

Ex Apológiâ primâ sancti Justíni Mártyris. *Edit. Bened. n.* 10.

QUemádmodum ab inítio non exsistentes creávit Deus, eódem modo futúrum crédimus, ut qui elégerint quæ ipsi placent, ob hanc eligendi rationem immortalitáte & Dei convictu & consuetúdine dignentur: nam ut à princípio fierémus, in nobis situm non erat: ut autem ea sequámur quæ ipsi placent, adhíbitis ad eligendum rationálibus facultátibus, quas ab eo accépimus, id ipse nobis persuádet & ad fidem nos addúcit. Atque id quidem ad omnes hómines pertinére arbitrámur, eo quòd non arceantur ab his discendis, sed pótius hortátu ad ea incitentur.

℟. Justítia Dei in Evangélio revelátur ex fide in fidem; sicut scriptum est: * Justus autem ex fide vivit. ℣. Ecce qui incrédulus est, non erit recta ánima ejus in semetipso; * Justus. *Rom.* 1. *Habac.* 2.

### Lectio VI.

Ex Epístolâ centésimâ vigésimâ sancti Augustíni Epíscopi ad Conséntium. *Edit. Bened. n.* 3.

ABsit, ut ídeo credámus, ne ratiónem accipiámus sive quærámus; cùm étiam crédere non possémus, nisi rationáles ánimas haberémus. Ut ergo in quibusdam rebus ad doctrínam salutárem pertinéntibus, quas ratióne nondum percípere valémus, sed aliquando valébimus, fides præcédat ratiónem, quâ cor mundétur, ut magnæ ratiónis cápiat & pérferat lucem, hoc útique ratiónis est. Et ídeo rationabíliter dictum est per Prophétam: Nisi credidéritis

credidéritis, non intelligétis. Ubi procul dúbio discrévit hæc duo, deditque consílium, quò priùs credámus, ut id quod crédimus intellígere valeámus. Proinde ut fides præcédat ratiónem, rationabíliter visum est. Si ígitur rationábile est, ut ad magna quædam, quæ capi nondum possunt, fides præcédat ratiónem, procul dúbio quantulacumque rátio quæ hoc persuádet, étiam ipsa antecédit fidem.

℟. Sine fide impossíbile est placére Deo. * Crédere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquiréntibus se remunerátor sit. ℣. Si non credidéritis, non permanébitis. * Crédere. *Hebr.* 11. *Isai.* 7.

LECTIO VII.

Ex Libro décimo sancti Hilárii Epíscopi de Trinitáte. *n. 66 & 69.*

JUstum fides consummat, secundùm quod dictum est: Crédidit Abraham Deo, & reputátum est illi ad justítiam. De omnipoténtiâ enim Dei fides religiósa non ámbigens, humánæ infirmitátis non est detenta natúris. Nihil ígitur jùstius hómini sit, quàm omnipoténtiam Dei indefinítæ potestátis intelligéntiâ credidisse. Sciéntia in fide est, rátio in virtúte est, effectus in rebus est, causa in potestáte est. Sed non nutante ad id opus est consciéntiâ.

℟. Est fides sperandárum substántia rerum, argumentum non apparéntium: in hâc enim testimónium consecúti sunt senes. * Omnes testimónio fidei probáti. ℣. Redemérunt se in fide virtútis * Omnes. *Hebr.* 11. *Eccli.* 49.

LECTIO VIII. *n.* 70.

PIetas est non ambígere, & justítia est crédere, & salus est confitéri. Non in incerta difflúere, neque ad stultilóquia effervére, neque ratióne áliquâ virtútes Dei ventiláre, neque modo circumscríbere potestátem, neque causas investigabílium sacramentórum retractáre; Dóminum Jesum confitéri, & à Deo suscitátum à mórtuis crédere, salus est. In simplicitáte ítaque fides est, in fide justítia est, in confessióne píetas est. Non per difficiles nos Deus ad beátam vitam quæstiónes vocat, nec multíplici eloquentis facúndiæ génere sollícitat. In absolúto nobis ac fácili est ætérnitas, Jesum & suscitátum à mórtuis per Deum crédere, & ipsum esse Dóminum confitéri.

℟. Corde créditur ad justítiam, ore autem conféssio fit ad salútem: * Dicit enim Scriptúra: Omnis

CANON.
Ex Concílio Tridentíno.
*An.* 1547. *Sess.* 6. *Cap.* 8.

CUm Apóstolus dicit, justificári hóminē per fidem, & gratìs; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpétuus Ecclésiæ Cathólicæ consensus ténuit, & expressit; ut scílicet per fidem ídeo justificári dicámur, quia fides est humánæ salútis inítium, fundamentum, & radix omnis justificatiónis; sine quâ impossíbile est placére Deo, & ad filiórum ejus consórtium pervenire: gratìs autem justificári ídeo dicámur, quia nihil eórum quæ justificatiónem præcédunt, sive fides, sive ópera, ipsam justificatiónis grátiam promerétur: si enim grátia est, jam non ex opéribus; alióquin, ut idem Apóstolus inquit, Grátia jam non est grátia.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Erat Jesus docens quotídie in templo, & non inveniébant quid fácerent illi: omnis enim pópulus suspensus erat, áudiens illum. *Luc.* 19.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.
Ex Libro Ecclesiastæ.
*Cap.* 2.

DIxi ego in corde meo: Vadam, & áffluam delíciis, & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoque esset vánitas. Et supergressus sum ópibus omnes qui ante me fuérunt in Jerúsalem: sapiéntia quoque perseverávit mecum. Et ómnia quæ desideravérunt óculi mei, non negávi eis, nec prohíbui cor meum, quin omni voluptáte fruerétur, & oblectáret se in his quæ præparáveram: & hanc ratus sum partem meam, si úterer labóre meo. ¶ Cùmque me convertissem ad universa ópera quæ fécerant manus meæ, & ad labóres, in quibus frustra sudáveram, vidi in ómnibus vanitátem & afflictiónem ánimi, & nihil permanére sub sole. Transívi ad contemplandam sapiéntiā, erroresque & stultítiam (quid est, inquam, homo, ut sequi possit regem factórem suum?) & vidi quòd tantùm præcéderet sapiéntia stultítiam, quantùm differt lux à ténebris.

*Responsoria ut heri in I. Noct. pag.* 359.

LECTIO II. *Cap.* 3 & 4.

OMnia tempus habent, & suis spátiis tránseunt universa sub cœlo. Vidi afflictiónem quam dedit Deus filiis hóminum, ut distendantur in eâ. Cuncta fecit bona in témpore suo, & mundum trádidit disputatióni eórum, ut non invéniat homo opus,

quod operátus est Deus ab inítio usque ad finem. Dídici quòd ómnia ópera, quæ fecit Deus, persevérent in perpétuum: non póssumus eis quidquam áddere, nec auferre, quæ fecit Deus ut timeátur. ¶ Verti me ad ália, & vidi calúmnias, quæ sub sole geruntur, & lácrymas innocéntium, & néminem consolatórem: nec posse resístere eórum violéntiæ, cunctórum auxílio destitútos. Et laudávi magìs mórtuos quàm viventes: & feliciórem utróque judicávi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt. Rursum contemplátus sum omnes labóres hóminum, & indústrias animadverti patére invídiæ próximi: & in hoc ergo vánitas & cura supérflua est.

LECTIO III.

Ex Libro quarto sancti Hilárii Epíscopi de Trinitáte. *Edit. Bened. n.* 14.

NEmini dúbium esse oportet, ad divinárum rerum cognitiónem divínis utendum esse doctrínis. Neque enim sciéntiam cœléstium per semet humána imbecíllitas consequétur, neque invisibílium intelligéntiam ipse sibi corporálium sensus assúmet. Non enim vel id quod creátum in nobis atque carnále est, vel id quod in usum vitæ nostræ ex Deo datum est, suómet judício natúram creatóris sui opusque discernit. Non súbeant ingénia nostra in cœlestem sciéntiam, neque incomprehensíbilem virtútem sensu áliquo infírmitas nostra concípiet, ipsi de se Deo credendum est, & iis, quæ cognitióni nostræ de se tríbuit, obsequendum. Cessent ítaque própriæ hóminum opinió-nes, neque se ultra divínam constitutiónem humána judícia extendant.

℟. Qui timétis Dóminum, * Crédite illi, & non evacuábitur merces vestra. ℣. Omnis qui credit in eum, non confundétur. * Crédite. ℣. Glória. * Crédite. *Eccli.* 2. *Rom.* 9.

CANON.

Ex Concílio Senonensi. *An.* 1528. *Decret.* 36.

FIde quidem vívimus, & sine hâc impossíbile est placére Deo. Si quis nihilóminus habúerit omnem fidem, ita ut montes tránsferat: caritátem autem non habúerit, nihil est.

---

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Libro Ecclesiastæ. *Cap.* 5.

NE témerè quid loquáris, neque cor tuum sit velox ad proferendum

sermónem coram Deo. Deus enim in cœlo, & tu super terram: idcirco sint pauci sermónes tui. Si quid vovisti Deo, ne moréris réddere: dísplicet enim ei infidélis & stulta promíssio. Sed quodcumque vóveris, redde: multóque mélius est non vovére, quàm post votum promíssa non réddere. Ne déderis os tuum ut peccáre fácias carnem tuam: neque dicas coram Angelo: Non est providéntia: ne fortè irátus Deus contra sermónes tuos, díssipet cuncta ópera mánuum tuárum. ¶ Est & ália infírmitas péssima, quam vidi sub sole, divítiæ conservátæ in malum dómini sui. Péreunt enim in afflictióne péssimâ: generávit fílium qui in summâ egestáte erit. Sicut egressus est nudus de útero matris suæ, sic revertétur, & nihil áuferet secum de labóre suo. Miserábilis prorsus infírmitas: quómodo venit, sic revertétur. Quid ergo prodest ei quòd laborávit in ventum?

LECTIO II. *Cap. 7.*

QUid necesse est hómini majóra se quærere, cùm ignóret quid condúcat sibi in vitâ suâ, número diérũ peregrinatiónis suæ, & témpore, quod velut umbra prǽterit? aut quis ei póterit indicáre quid post eum futúrum sub sole sit? Consídera ópera Dei, quòd nemo possit corrígere quem ille despéxerit. ¶ Lustrávi univérsa ánimo meo, ut scirem, & considerárem, & quærerem sapiéntiam & ratiónem: & ut cognóscerem impietátem stulti, & errórem imprudéntium: & invéni amarióre morte mulíerem quæ láqueus venatórum est, & sagéna cor ejus, víncula sunt manûs illíus. Qui placet Deo, effúgiet illam: qui autem peccátor est, capiétur ab illâ. Solúmmodò hoc invéni, quòd fécerit Deus hóminem rectum, & ipse se infinítis miscúerit quæstiónibus. Quis talis ut sápiens est? & quis cognóvit solutiónem verbi?

℟. I. Quis potest dícere: Mundum est cor meum; purus sum à peccáto? * Non est enim homo justus in terrâ qui fáciat bonum, & non peccet. ℣. Si dixérimus quóniam peccátum non habémus, ipsi nos sedúcimus, & véritas in nobis non est. * Non. *Prov.* 20. *Ecclef.* 7. *I. Joan.* 1.

℟. II. Noli æmulári in eo qui prospérátur in viâ suâ; in hómine faciente injustítias: * Quóniam qui malignantur, exterminabuntur; sustinentes autem Dóminum, ipsi hæreditábunt terram. ℣. Non æmulétur cor tuum pec-

catóres, sed in timóre Dómini esto totâ die. * Quóniam. *Ps.* 36. *Prov.* 23.

℟. III. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole: * Et ecce universa vánitas & afflíctio spíritûs. ℣. Omne quod est in mundo, concupiscéntia carnis est, & concupiscéntia oculórum, & supérbia vitæ. * Et. *Eccles.* 1. *I. Joan.* 2.

℟. IV. Mundus transit, & concupiscéntia ejus: * Qui autem facit voluntátem Dei, manet in ætérnum. ℣. Homo vanitáti símilis factus est: dies ejus sicut umbra prætéreunt. * Qui. ℣. Glória. Qui. *I. Joan.* 2. *Ps.* 143.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi de Prædestinatióne sanctórum. *Edit. Bened. Cap.* 5. *n.* 10.

POsset dícere homo inflátus adversùs álterum: Discernit me fides mea, justítia mea, vel si quid áliud. Tálibus occurrens cogitatiónibus bonus Doctor: Quid autem habes, inquit, quod non accepisti? Ut enim sit natúræ, fidem posse habére, numquid & habére? Non enim ómnium est fides; cùm fidem posse habére sit ómnium. Non autem ait Apóstolus: Quid enim potes habére, quod non accepisti ut posses habére: sed ait: Quid autem habes quod non accepisti? Proinde posse habére fidem, sicut posse habére caritátem, natúræ est hóminum: habére autem fidem, quemádmodum habére caritátem, grátiæ est fidélium. Illa ítaque natúra, in quâ nobis data est possibílitas habendi fidem, non discernit ab hómine hóminem: ipsa verò fides discernit ab infidéli fidélem. Ac per hoc ubi dícitur, Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? quisquis audet dícere, hábeo ex meipso fidem, non ergo accépi: profectò contradícit huic apertíssimæ veritáti: non quia crédere vel non crédere non est in arbítrio voluntátis humánæ: sed in electis præparátur volúntas à Dómino. Ideò ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntáte est, pértinet, Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti?

℟. Ne unus adversùs álterum inflétur. * Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriáris quasi non accéperis? ℣. Si quis exístimat se áliquid esse, cùm nihil sit, ipse se sedúcit. * Quis. ℣. Glória. * Quis. *I. Cor.* 4. *Gal.* 6.

CANON.

Ex Concílio Moguntíno. *An.* 1549. *Can.* 7.

HOminem, crédimus & confitémur justificári gratìs per fidem, quia nullis præcedéntibus méritis justificátio acquíritur: sed ex Dei grátiâ per Christum donátur his quibus in eum credéntibus, mortis ejus & fusi pro peccatóribus sánguinis méritum applicátur.

---

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Libro Ecclesiastæ. *Cap.* 8 & 9.

VIdi ímpios sepultos: qui étiam cùm adhuc víverent, in loco sancto erant, & laudabantur in civitáte quasi justórum óperum, sed & hoc vánitas est. Etenim quia non profertur citò contra malos senténtia, absque timóre ullo filii hóminum pérpetrant mala. Attamen peccátor ex eo quòd cénties facit malum, & per patiéntiam sustentátur, ego cognóvi quòd erit bonum timéntibus Deum, qui verentur fáciem ejus. ¶ Est & ália vánitas, quæ fit super terram. Sunt justi quibus mala provéniunt, quasi ópera égerint impiórum: & sunt ímpii qui ita secúri sunt, quasi justórum facta hábeant: sed & hoc vanissimum júdico. Omnia hæc tractávi in corde meo ut curiósè intelligerem: Sunt justi atque sapientes, & ópera eórum in manu Dei: & tamen nescit homo utrùm amóre an ódio dignus sit: sed ómnia in futúrum servantur incerta, eo quòd univérsa æquè evéniant justo & ímpio, bono & malo. Sicut bonus, sic & peccátor: ut perjúrus, ita & ille qui verum déjerat.

*Responsoria ut heri.*

LECTIO II. *Cap.* 12.

MEmento Creatóris tui in diébus juventútis tuæ, ántequam véniat tempus afflictiónis, & appropinquent anni de quibus dicas: Non mihi placent: & revertátur pulvis in terram suam unde erat, & spíritus rédeat ad Deum qui dedit illum. Vánitas vanitátum, dixit Ecclésiastes, & ómnia vánitas. ¶ Cùmque esset sapientíssimus Ecclesiastes, dócuit pópulum, & enarrávit quæ fécerat, & investígans compósuit parábolas multas. Quæsívit verba utília, & conscripsit sermónes rectíssimos ac veritáte plenos. Verba sapiéntium sicut stímuli, & quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrórum consílium data sunt à pastóre uno. His ámpliùs, fili mi, ne requíras. Faciendi plures

libros nullus est finis: frequensque meditátio, carnis afflíctio est. Finem loquendi páriter omnes audiámus. Deum time, & mandáta ejus observa: hoc est enim omnis homo: & cuncta quæ fiunt, addúcet Deus in judícium pro omni erráto, sive bonum, sive malum illud sit.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi de Prædestinatióne Sanctórum. *Edit. Bened. Cap. 7. n. 12.*

EX fide ídeò dicit Apóstolus justificári hóminem non ex opéribus; quia ipsa prima datur, ex quâ impetrentur cætera, quæ próprìè ópera nuncupantur, in quibus justè vívitur. Solet dici, ídeo crédere méruit, quia vir bonus erat & ántequam créderet. Quod de Cornélio dici potest, cujus acceptæ sunt eleemósynæ & exauditæ oratiónes ántequam credidísset in Christum: nec tamen sine áliquâ fide donábat & orábat. Nam quómodo invocábat in quem non credíderat? Sed si posset sine fide Christi esse salvus, non ad eum ædificandum mitterétur architectus Apóstolus Petrus: quàmvis, Nisi Dóminus ædificáverit domum, in vanum laboravérunt ædificántes eam. Et dícitur nobis, fides est à nobis, cætera à Dómino ad ópera justítiæ pertinéntia: quasi ad ædifícium non pertíneat fides; quasi ad ædifícium, inquam, non pertíneat fundamentum. Quòd si in primis & máximè pértinet, in vanum labórat prædicando ædíficans fidem, nisi eam Dóminus miserando intùs ædíficet. Quidquid ígitur & ántequam in Christum créderet, & cùm créderet, & cùm credidísset, bene operátus est Cornélius, totum Deo dandum est, ne fortè quis extollátur.

℟. Grátiâ estis salváti per fidem: * Et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex opéribus, † Ut ne quis gloriétur. ℣. Justítia Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum: * Et hoc. ℣. Glória. † Ut. *Ephes. 2. Rom. 3.*

CANON.

Ex Concílio Moguntíno. *An. 1549. Can. 7.*

NOn secundùm humánas vires æstimanda sunt justificatórum ópera, sed secundùm eam grátiam, quam in ipsos ínfluit Christus, ex quâ deinde bona ipsórum ópera prománant. Et secundùm eam dignitátem, quam de Spíritu sancto, veluti omnis boni óperis motóre & operatióne sumunt.

## FERIA QUINTA.

### LECTIO I.

Incipit Liber Sapiéntiæ.
*Cap.* 1.

DIlígite justítiam, qui judicátis terram. Sentíte de Dómino in bonitáte, & in simplicitáte cordis quærite illum: quóniam invenítur ab his, qui non tentant illum: appáret autem eis, qui fidem habent in illum: pervérsæ enim cogitatiónes séparant à Deo: probáta autem virtus córripit insipientes. Quóniam in malévolam ánimã non introíbit sapiéntia, nec habitábit in córpore súbdito peccátis. ¶ Spíritus enim sanctus disciplínæ effúgiet fictum, & áuferet se à cogitatiónibus, quæ sunt sine intelléctu, & corripiétur à superveniénte iniquitáte. Benignus est enim spíritus sapiéntiæ, & non liberábit maledicum à lábiis suis: quóniam renum illíus testis est Deus, & cordis illíus scrutátor est verus, & linguæ ejus audítor. Quóniam Spíritus Dómini replévit orbem terrárum: & hoc quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis. Propter hoc qui lóquitur iníqua non potest latére, nec prætériet illum corrípiens judícium.

### LECTIO II.

IN cogitatiónibus ímpii interrogátio erit: sermónum autem illíus audítio ad Deum véniet, ad correptiónem iniquitátum illíus. Quóniam auris zeli audit ómnia, & tumultus murmuratiónum non abscondétur. Custodíte ergo vos à murmuratióne, quæ nihil prodest, & à detractióne párcite linguæ, quóniam sermo obscúrus in vácuum non ibit: os autem quod mentítur, occídit ánimam. ¶ Nolíte zeláre mortem in erróre vitæ vestræ, neque acquirátis perditiónem in opéribus mánuum vestrárum. Quóniam Deus mortem non fecit, nec lætátur in perditióne vivórum. Creávit enim ut essent ómnia: & sanábiles fecit natiónes orbis terrárum: & non est in illis medicamentum extermínii, nec inferórum regnum in terrâ. Justítia enim perpétua est, & immortális. Impii autem mánibus & verbis accersiérunt illam: & æstimantes illam amícam, defluxérunt, & sponsiónes posuérunt ad illam: quóniam digni sunt qui sint ex parte illíus.

℟. I. Clara est, & quæ nunquam marcéscit sapiéntia, * Et fácilè vidétur ab his qui díligunt eam, & invenítur ab his qui quærunt illam. ℣. Præóccupat

qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat : * Et. *Sap.* 6.

℟. II. Abyssum & cor hóminis investigávit Dóminus ; * Non prætérit illum omnis cogitátus, & non abscondit se ab eo ullus sermo. ℣. Non est ulla creatúra invisíbilis in conspectu ejus : ómnia autem nuda & aperta sunt óculis ejus. * Non. *Eccli.* 42. *Hebr.* 4.

℟. III. Lingua ignis est, univérsitas iniquitátis ; * Linguam autem nullus hóminũ domáre potest ; inquiétum malum, plena venéno mortífero. ℣. Multi cecidérunt in ore gládii, sed non sic quasi qui interiérunt per linguam suam. * Linguam. *Jac.* 3. *Eccli.* 28.

℟. IV. Nemo vos sedúcat ; * Qui facit justítiam, justus est ; qui facit peccátum, ex diábolo est ; quóniam ab inítio diábolus peccat. ℣. In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diáboli ; * Qui. ℣. Glória. * Qui. *I. Joan.* 3.

LECTIO III.

Ex Libro primo sancti Augustíni Epíscopi de diversis Quæstiónibus ad Simpliciánum. *Quæst.* 2. *n.* 2.

INcipit homo percípere grátiam, ex quo íncipit Deo crédere, vel internâ, vel externâ admonitióne motus ad fidem : sed interest quibus artículis témporum vel celebratióne sacramentórum grátia plénior & evidéntior infundátur. Non enim Cathecúmeni non credunt, aut verò Cornélius non credébat Deo, cùm eleémosynis & oratiónibus dignum se præbéret cui Angelus mitterétur : sed nullo modo ista operarétur, nisi ante credidisset : nullo modo autem credidisset, nisi vel secrétis per visa mentis aut spíritûs, vel manifestióribus per sensus córporis admonitiónibus vocarétur. Sed in quibusdam tanta est grátia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnum cœlórum ; sicut in cathecúmenis, sicut in ipso Cornélio antequàm sacramentórum participatióne incorporarétur Ecclésiæ. In quibusdam verò tanta est, ut jam Córpori Christi & sancto Dei templo deputentur. Templum enim Dei sanctum est, inquit Apóstolus, quod estis vos. Et ipse Dóminus : Nisi quis renátus fúerit ex aquâ & Spíritu sancto, non intrábit in regnum cœlórum. Fiunt ergo inchoatiónes quædam fidei, conceptiónibus símiles : non tamen solùm concipi, sed étiam nasci opus est, ut ad vitam perveniátur ætérnam. Nihil tamen horum sine grátiâ misericórdiæ Dei : quia & ópera si qua sunt bona,

consequuntur, illam grátiam, non præcédunt.

℟. Sine fide impossíbile est placére Deo. * Crédere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquiréntibus se remunerátor sit. ℣. Ecce qui incrédulus est, non erit recta ánima ejus in semetipso: * Crédere. ℣. Glória. * Crédere. *Hebr.* 11. *Habac.* 2.

CANON.

Ex Concílio Moguntíno. *An.* 1549. *Can.* 7.

DEmonstrandum est mandatórum Dei observatiónem renátis ac justificátis esse possíbilem, non secundùm natúræ infirmitátem, quam habent cum áliis homínibus commúnem: sed secundùm grátiam Christi quâ imbúti sunt, & secundùm opem Spíritûs sancti, quem renáti ac justificáti accepérunt; ut jam divinórum præceptórum observátio renátis tantò sit possibilior, quantò majórem grátiam, eódem semper opitulante Spíritu, vel semel acceptam rétinent, vel amissam novo subinde múnere recúperant.

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Libro Sapiéntiæ. *Cap.* 2.

DIxérunt enim cogitantes apud se non rectè: Exíguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigérium in fine hóminis, & non est qui ágnitus sit reversus ab ínferis: quia ex níhilo nati sumus, & post hoc érimus quasi non fuérimus. Veníte ergo & fruámur bonis quæ sunt, & utámur creatúrâ tamquàm in juventúte celériter. Sit autem fortitúdo nostra lex justítiæ: quod enim infirmum est, inútile invenítur. ¶ Circumveniámus ergo justum, quóniam inútilis est nobis, & contrárius est opéribus nostris, & impróperat nobis peccáta legis, & diffámat in nos peccáta disciplínæ nostræ. Promittit se sciéntiam Dei habére, & Filium Dei se nóminat. Factus est nobis in traductiónem cogitatiónum nostrárum. Gravis est nobis étiam ad videndum, quóniam dissímilis est áliis vita illíus, & immutátæ sunt viæ ejus. Tamquàm nugáces æstimári sumus ab illo, & ábstinet se à viis nostris tamquàm ab immundítiis, & præfert novíssima justórum, & gloriátur patrem se habére Deũ.

LECTIO II.

VIdeámus ergo si sermónes illíus veri sint, & tentémus quæ ventúra sunt illi, & sciémus quæ erunt novíssima illíus. Morte turpíssimâ condemnémus eum; erit enim ei re-

spectus ex sermónibus illíus. ¶ Hæc cogitavérunt, & erravérunt: excæcávit enim illos malítia eórum. Et nesciérunt sacramenta Dei, neque mercédem speravérunt justítiæ, nec judicavérunt honórem animárum sanctárum. Quóniam Deus creávit hóminem inexterminábilem, & ad imáginem similitúdinis suæ fecit illum. Invídiâ autem diáboli mors introívit in orbem terrárum: imitántur autem illum qui sunt ex parte illíus.

℟. I. Vocábit Dóminus ad fletum, & ecce gáudiũ & lætítia: Comedámus & bibámus; cras enim moriémur: * Et reveláta est in áuribus meis vox Dómini exercítuum: Si dimittétur iníquitas hæc. ℣. Omnes in viam suam declinavérunt: Veníte, sumámus vinum, & impleámur ebrietáte: * Et. *Isai.* 22 & 56.

℟. II. Omnes vidéntes me derisérunt me: locúti sunt lábiis, & movérunt caput. Sperávit in Dómino erípiat eum: * Salvum fáciat eum quóniam vult eum. ℣. Confídit in Deo: líberet nunc, si vult eum: * Salvum. *Ps.* 21. *Matth.* 27.

℟. III. Dixérunt cogitántes apud se non recte: Contuméliâ & tormento interrogémus justum: * Si enim est verus Fílius Dei, liberábit eum de mánibus contrariórum. ℣. Si Rex Israel est, descéndat nunc de cruce: dixit enim: Quia Fílius Dei sum: * Si. *Sap.* 2. *Matth.* 27.

℟. IV. Vidébunt & contemnent justum: illos autem Dóminus irridébit. * Et erunt post hæc in contuméliâ inter mórtuos in perpétuum. ℣. Reddet illis Dóminus iniquitátem ipsórum, & in malitiâ eórum dispérdet eos. * Et. ℣. Glória. * Et. *Sap.* 4. *Ps.* 93.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi de diversis Quæstiónibus octoginta tribus. *Edit. Bened. Quæst.* 76. *n.* 1 & 2.

PAulus Apóstolus prædicans justificári hóminem per fidem sine opéribus, non bene intellectus est ab eis, qui sic accepérunt dictum, ut putárent, cùm semel in Christum credidissent, etiamsi malè operarentur, & facinorósè flagitioséque víverent, salvos se esse posse per fidem. Apóstolus Paulus dicit, posse hóminem sine opéribus, sed præcedéntibus justificári per fidem. Nam justificátus per fidem quómodo potest nisi justè deinceps operári, quàmvis ántea nihil operátus justè, ad fidei justificatiónem pervénerit, non mérito bonó-

rum óperum, sed grátiâ Dei quæ in illo jam vácua esse non potest, cùm jam per dilectiónem bene operátur? Quòd si cùm credíderit, mox de hâc vitâ decésserit, justificátio fidei manet cum illo, nec præcedéntibus bonis opéribus, quia non mérito ad illam, sed grátiâ pervénit: nec consequéntibus, quia in hac vitâ esse non sinitur. Quapropter non sunt sibi contráriæ duórum Apostolórum senténtiæ Pauli & Jacóbi, cùm dicit unus justificári hóminem per fidem sine opéribus, & álius dicit inánem esse fidem sine bonis opéribus: quia ille dicit de opéribus quæ fidem præcédunt, iste de iis quæ fidem sequuntur: sicut étiam ipse Paulus multis locis ostendit.

℟. Quid próderit, fratres mei, si fidem quis dícat se habére, ópera autem non hábeat? numquid póterit fides salváre eum? * Sicut enim corpus sine spíritu mórtuum est, ita & fides sine opéribus mórtua est. ℣. Ex opéribus justificátur homo; & non ex fide tantùm. * Sicut. ℣. Glória. * Sicut. *Jac. 2.*

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess. 6. Cap. 9.*

SI quis díxerit, solâ fide ímpium justificári, ita ut intélligat nihil áliud requíri, quod ad justificatiónis grátiam consequendam cooperétur; & nullâ ex parte necesse esse eum suæ voluntátis motu præparári atque dispóni; anáthema sit.

---

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Libro Sapiéntiæ. *Cap. 4.*

JUstus si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senectus enim venerábilis est non diúturna, neque annórum número computáta: cani autem sunt sensus hóminis, & ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est diléctus, & vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est ne malítia mutáret intelléctum ejus, aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, & inconstántia concupiscéntiæ transvertit sensum sine malítiâ. ¶ Consummátus in brevi explévit témpora multa: plácita enim erat Deo ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum: pópuli autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcórdiis tália: quóniam grátia Dei, & misericórdia est in sanctos ejus, & respéctus in eléctos illíus. Condemnat autem justus mórtuus vivos

impios : & juventus celérius consummáta longam vitam injusti.

LECTIO II. *Cap. 6.*

PRæbéte aures vos, qui continétis multitúdines, & placétis vobis in turbis natiónum : quóniam data est à Dómino potestas vobis, & virtus ab Altíssimo, qui interrogábit ópera vestra, & cogitatiónes scrutábitur : quóniam cùm essétis ministri regni illíus, non rectè judicastis, nec custodistis legem justítiæ, neque secundùm voluntátem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparébit vobis : quóniam judícium duríssimum his, qui præsunt, fiet. ¶ Exíguo enim concéditur misericórdia : potentes autem potenter torménta patiéntur. Non enim súbtrahet persónam cujusquam Deus, nec verébitur magnitúdinem cujusquam : quóniam pusíllum & magnum ipse fecit, & æquáliter cura est illi de ómnibus. Fortióribus autem fórtior instat cruciátio.

℟. I. Non relinquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum ; * Ut non extendant justi ad iniquitátē manus suas. ℣. Novit Dóminus pios de tentatióne erípere : * Ut. *Ps.* 124. *II. Petr.* 2.

℟. II. Novit Dóminus dies immaculatórum : * Et hæréditas eórum in ætérnùm erit. ℣. Non derelinquet sanctos suos : * Et. *Ps.* 36.

℟. III. Nunc, Reges, intellígite ; erudímini qui judicátis terram. Servíte Dómino in timóre ; * Apprehéndite disciplínam, ne quando irascátur Dóminus, & pereátis de viâ justâ. ℣. Dilígite lumen sapiéntiæ qui præestis pópulis. * Apprehéndite. *Ps.* 2. *Sap.* 6.

℟. IV. Dóminus judex est, * Et non est apud illum glória persónæ. ℣. Reddet unicuíque secundùm ópera ejus. * Et non. ℣. Glória. * Et. *Eccli.* 35. *Rom.* 2.

LECTIO III.

Ex Sermóne quinquagésimo tértio sancti Augustíni Epíscopi de verbis Evangélii. *Edit. Bened. Cap.* 10. *n.* 11.

DIscernénda est fides nostra à fide dæmonum. Fides enim nostra mundat cor, fides autem illórum reos facit. Malè quippe operantur. Discernámus ergo fidem nostram, nec crédere sufficiat. Non est talis fides quæ mundat cor. Fide, inquit, mundans corda eórum. Sed quâ fide, quali fide, nisi quam defínit Paulus Apóstolus, ubi ait, Fides quæ per dilectiónem operátur : ista fides

discernit à fidé dæmonum, discernit ab hóminum flagitiósis ac pérditis móribus. Fides, inquit. Quæ fides? quæ per dilectiónem operátur, sperat quod Deus pollicétur. Necesse est ut in quo est fides, quæ per dilectiónem operátur, speret quod Deus pollicétur. Comes est ergo fidei spes. Necessária quippe spes est, quámdiu non vidémus quod crédimus; ne fortè non videndo & desperando deficiámus. Contristat nos, quia non vidémus: sed consolátur nos, quia visúros nos sperámus. Adest ergo spes, & est comes fidei. Deinde & cáritas quâ desiderámus, quâ pertíngere conámur, quâ inardéscimus; quâ esurímus & sitímus. Adhibétur ergo & hæc: & erit fides, spes & cáritas. Quómodo enim non erit ibi cáritas, cùm nihil sit áliud cáritas quàm diléctio? Ipsa autem fides definíta est quæ per dilectiónem operátur. Tolle fidem, perit quod credis. Tolle caritátem, perit quod agis. Fídei enim pértinet ut credas, caritáti ut agas.

℟. Nos spíritu ex fide, spem justítiæ exspectámus; * Sed † Fides per caritátem operátur. ℣. Arbitrámur justificári hóminem per fidem sine opéribus legis. * Sed. ℣. Glória. † Fides. *Galat.* 5. *Rom.* 3.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 6. *Cap.* 10.

JUstificáti, & amíci Dei ac doméstici facti, euntes de virtúte in virtútem, renovantur, ut Apóstolus inquit, de die in diem: hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma justítiæ in sanctificatiónem per observatiónem mandatórum Dei & Ecclésiæ, in ipsâ justitiâ, per Christi grátiam acceptâ, cooperantes fide bonis opéribus, crescunt atque magìs justificantur. Hoc justítiæ incrementum petit sancta Ecclésia, cùm orat: Da nobis, Dómine, fidei, spei & caritátis augmentum.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Per sapiéntiam sanáti sunt, quicumque placuérunt tibi, Dómine, à princípio. *Sap.* 9.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 382.

---

## DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

---

### IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Libro Sapiéntiæ. *Cap.* 6.

COncupíscite ergo sermónes meos, dilígite illos, & habébitis discipli-

nam. Clara est, & quæ nunquam marcescit sapiéntia, & facilè vidétur ab his qui díligunt eam, & invenítur ab his qui quærunt illam. Præóccupat qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigiláverit ad illam, non laborábit: adsidentem enim illam fóribus suis inveniet.

℟. Sapiéntia ubi invenítur? & quis est locus intelligéntiæ? Deus intélligit viam ejus, * Et dixit hómini: Ecce timor Dómini ipsa est sapiéntia; & recédere à malo intelligéntia. ℣. Non est qui possit scire vias ejus, neque qui exquírat sémitas ejus, sed qui scit universa novit eam. * Et. *Job.* 28. *Baruch.* 3.

LECTIO II.

COgitáre ergo de illâ, sensus est consummátus: & qui vigiláverit propter illam, citò secúrus erit. Quóniam dignos se ipsa circuit quærens, & in viis ostendit se illis hiláriter, & in omni providéntiâ occurrit illis. Inítium enim illíus, veríssima est disciplínæ concupiscéntia. Cura ergo disciplínæ diléctio est: & diléctio, custódia legum illíus est: custodítio autem legum, consummátio incorruptiónis est: incorrúptio autem facit esse próximum Deo. Concupiscéntia ítaque sapiéntiæ dedúcit ad regnum perpétuum.

℟. Ego sapiéntia hábito in consílio, & eruditis intersũ cogitatiónibus; *Ego diligentes me díligo; & qui manè vígilant ad me, invénient me. ℣. Qui habet mandáta mea, & servat ea; ille est qui díligit me: qui autem díligit me, & ego díligam eum, & manifestábo ei meipsum, * Ego. *Prov.* 8. *Joan.* 14.

LECTIO III. *Cap.* 7.

SUm quidem & ego mortális homo, símilis ómnibus, & ego natus accépi commúnem áerem, & in símiliter factam décidi terram, & primam vocem símilem ómnibus emísi plorans. In involumentis nutrítus sum, & curis magnis. Nemo enim ex régibus áliud hábuit nativitátis inítium. Unus ergo intróitus est ómnibus ad vitam, & símilis éxitus. Propter hoc optávi, & datus est mihi sensus; & invocávi, & venit in me spíritus sapiéntiæ: & præpósui illam regnis & sédibus, & divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Super salútem & spéciem dilexi illam, & propósui pro luce habére illam: quóniam inexstinguíbile est lumen illíus.

℟. Tecum sapiéntia tua, Dómine, quæ & ádfuit

c cùm orbem terrárum
eres, & sciébat quid
et plácitum óculis tuis.
Mitte illam de cœlis san-
is tuis, ut mecum sit, &
necum labóret, ut sciam
uid acceptum sit apud te.
℣. Erat lux vera, quæ illú-
minat omnem hóminem
veniéntem in hunc mun-
dum. * Mitte. *Sap. 9. Joan.* 1.

LECTIO IV.

VEnérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illâ, & innumerábilis honéstas per manus illíus, & lætátus sum in ómnibus: quóniam antecedébat me ista sapiéntia, & ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, & sine invídiâ commúnico, & honestátem illíus non abscondo. Infinítus enim thesaurus est homínibus: quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti.

℟. Sapiéntia cùm sit una, ómnia potest: & in se pérmanens ómnia ínnovat, & per natiónes in ánimas sanctas se transfert, * Amícos Dei & Prophétas constítuit: † Néminem enim díligit Deus, nisi eum qui cum sapiéntiâ inhábitat. ℣. De plenitúdine ejus nos omnes accépimus, * Amícos. ℣. Glória. † Néminem. *Sap. 7. Joan.* 1.

IN II. NOCTURNO.

LECTIO V.

Ex Sermóne décimo sancti Bernardi Abbátis in Psalmum Qui hábitat. *Edit. Bened. n.* 1.

NEc nostra est, nec nova vobis, sed nota omníno senténtia, in præcípuis quibusque pártibus nostræ fidei, quid non sit, quàm quid sit, & sciri posse facílius, & periculósius ignorári. Idem sanè étiam spei non inconvenienter tríbui posse vidétur. Longè enim facíliùs mens humána tantórum experta malórum, quibus sit caritúra, quàm quibus perfruitúra, comprehendit. Nempe germána fidei, speíque cognátio est: ut quod illa futúrum credit, hæc sibi incípiat speráre futúrum. Méritò proinde Apóstolus fidem sperandárum rerum substántiam esse diffinit: quòd vidélicet non crédita nemo speráre, non plusquàm super ináne píngere possit. Dicit ergo fides: Paráta sunt magna & inexcogitabília bona à Deo fidélibus suis. Dicit spes: Mihi illa servántur. Nam tértia quidem cáritas, curro mihi, ait, ad illa.

℟. Qui timétis Dóminum, crédite illi, & non evacuábitur merces vestra: * Speráte in illum, & in oblectatiónem véniet vobis

misericórdia. ℣. In siléntio & in spe erit fortitúdo vestra. * Speráte. *Eccli.* 2. *Isai.* 30.

LECTIO VI.

Ex Enarratióne sancti Augustíni Epíscopi in Psalmum centésimum quadragésimum octávum. *Edit. Bened. n.* 1.

MEditátio præséntis vitæ nostræ in laude Dei esse debet: quia exsultátio sempiterna futúræ nostræ vitæ, laus Dei erit: & nemo potest idóneus fieri futúræ vitæ, qui non se ad illam modò exercúerit. Modò ergo laudámus Deū: sed & rogámus Deùm. Laus nostra lætítiam habet, orátio gémitum. Promissum est enim nobis áliquid, quod nondum habémus; & quia verax est qui promísit, in spe gaudémus: quia tamen nondum habémus, in desidério gémimus. Bonum est nobis perseveráre in desidério, donec véniat quod promissum est, & tránseat gémitus, succédat sola laudátio.

℟. Scimus quóniam si terrestris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus; * Et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupientes. ℣. Spe salvi facti sumus. * Et in. *II. Cor.* 5. *Rom.* 8.

LECTIO VII. *n.* 4.

SIgnificavérunt nobis in mystério Prophétæ vitam futúram, ubi laudábimus Deum post captivitátem vitæ præséntis; ubi erit innovátio civitátis illíus magnæ Jerúsalem, unde peregríni suspirámus, captiváti adhuc sub ónere & sárcinâ córporis mortális; unde adhuc gémimus in peregrinatióne, exsultábimus autem in pátriâ. Qui autem non gemit peregrínus, non gaudébit civis; quia desidérium non est in illo.

℟. Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ, * Et torrente voluptátis tuæ potábis eos; quóniam apud te est fons vitæ. ℣. Beáti qui esúriunt & sítiunt justítiam, quóniam ipsi saturabuntur. * Et. *Ps.* 35. *Mat.* 5.

LECTIO VIII.

QUando ergo nulla erit mortis conténtio, quæ modò est, & facit nos gémere ex defectu & mutabilitáte rerum, ex fragilitáte carnis humánæ? Contendunt nobiscum quotídie tentatiónes, contendunt quotídie delectatiónes: etsi non consentiámus, tamen moléstiam pátimur, & conténdimus, & magnum perículum est, ne qui contendit vincátur; si autem non consentiendo vincá-

mus, moléstiam tamen pátimur resisténdo delectatiónibus. Non cessat, & non móritur hostis, nisi in resurrectióne mortuórum. Sed præsumámus, fidámus; tantúmmodo in istâ peregrinatióne vitæ quómodo agátis, vidéte. Non vobis pláceat amor Babylóniæ, ne obliviscámini civitátem Jerúsalem. Etsi corpus vestrum adhuc in Babylóniâ tenétur, cor vestrum ad Jerúsalem præmittátur.

℟. Dum sumus in córpore, peregrinámur à Dómino: per fidem enim ambulámus, & non per spéciem: * Audémus autem, & bonam voluntátem habémus magìs peregrinárì à córpore, & præsentes esse ad Dóminum. ℣. Peregríni sumus coram te, Dómine, & ádvenæ, sicut omnes patres nostri: * Audémus. ℣. Glória. * Audémus. *II. Cor.* 4. *I. Paral.* 29.

## *IN III. NOCTURNO.*

### Lectio IX.

Ex Epístolâ Cathólicâ beáti Jacóbi Apóstoli. *Cap.* 2.

QUicumque autem totam legem serváverit, offendat autem in uno, factus est ómnium reus. Qui enim dixit: Non mœcháberis, dixit &: Non occídes. Quòd si non mœcháberis, occídes autem, factus es transgressor legis. Sic loquímini, & sic fácite, sicut per legem libertátis incipientes judicári. Judícium enim sine misericórdiâ illi, qui non fecit misericórdiam: superexaltat autem misericórdia judícium.

℟. Estóte ínvicem benigni, misericordes, * Donantes ínvicem, sicut & Deus in Christo donávit vobis. ℣. Judícium verum judicáte: & misericórdiam fácite, unusquisque cum fratre suo; * Donantes. *Ephes.* 4. *Zach.* 7.

### Lectio X.

QUid próderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habére, ópera autem non hábeat? Numquid póterit fides salváre eum? Si autem frater & soror nudi sint, & indígeant victu quotidiáno, dicat autem áliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacímini & saturámini: non dedéritis autem eis, quæ necessária sunt córpori, quid próderit? Sic & fides si non hábeat ópera, mórtua est in semetipsâ.

℟. Non omnis qui dicit mihi: Dómine, Dómine, intrábit in regnum cœlórum: sed * Qui facit voluntátem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrábit in regnum cœlórum. ℣. Non auditóres legis justi sunt

apud Deum, sed factóres legis justificabuntur.* Qui. *Matth.* 7. *Rom.* 2.

LECTIO XI.

SEd dicet quis: Tu fidem habes, & ego ópera hábeo. Ostende mihi fidem tuam sine opéribus: & ego ostendam tibi ex opéribus fidem meam. Tu credis quóniam unus est Deus: bene facis: & dæmones credunt, & contremiscunt. Vis autem scire, ô homo inánis, quóniam fides sine opéribus mórtua est? Abraham pater noster nonne ex opéribus justificátus est, ófferens Isaac filium suum super altáre? Vides quóniam fides cooperabátur opéribus illíus: & ex opéribus fides consummáta est? Et suppléta est Scriptúra, dicens: Crédidit Abraham Deo, & reputátum est illi ad justítiam, & amícus Dei appellátus est.

℞. Finis præcepti est cáritas de corde puro, & consciéntiâ bonâ, & fide non fictâ.*Qui non díligit, manet in morte. ℣. Si habúero omnem fidem, ita ut montes tránsferam, caritátem autem non habúero, nihil sum. * Qui. *I. Tim.* 1. *I. Joan.* 3. *I. Cor.* 13.

LECTIO XII.

VIdétis quóniam ex opéribus justificátur homo, & non ex fide tantùm? Simíliter & Rahab méretrix, nonne ex opéribus justificáta est, suscípiens núntios, & áliâ viâ ejíciens? Sicut enim corpus sine spíritu mórtuum est, ita & fides sine opéribus mórtua est.

℞. Nos spíritu ex fide, spem justítiæ exspectámus; * Sed † Fides per caritátem operátur. ℣. Arbitrámur justificári hóminem per fidem sine opéribus legis; * Sed. ℣. Glória. † Fides. *Galat.* 5. *Rom.* 3.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.
*Cap.* 18.

DIxit Jesus ad quosdam, qui in se confidébant tamquàm justi, & aspernabantur cæteros, parábolam istam; Duo hómines ascendérunt in templum, ut orárent; unus Pharisæus,& alter Publicánus. Pharisæus stans hæc apud se orábat: Deus, grátias ago tibi quia non sum sicut cæteri hóminum: raptóres, injusti, adúlteri: velut étiam hic publicánus. Jejúno bis in sábbato: décimas do ómnium quæ possídeo. Et Publicánus à longè stans, nolébat nec óculos ad cœlum leváre: sed percutiébat pectus suum, dicens: Deus, propítius esto mihi peccatóri. Dico

vobis, descendit hic justificátus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat, humiliábitur; & qui se humíliat, exaltábitur.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Publicánus percutiébat pectus suum, dicens: Deus, propítius esto mihi peccatóri. *Luc.* 18.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui omnipoténtiam tuam parcendo máximè & miserando manifestas: † multíplica super nos misericórdiam tuam, * ut ad tua promissa currentes, cœléstium bonórum fácias esse consortes; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *An.* 1547. *Sess.* 6. *Cap.* 4.

JUstificátio ímpii est translátio ab eo statu, in quo homo náscitur fílius Adæ, in statum grátiæ & adoptiónis filiórum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatórem nostrum: quæ quidem translátio, post Evangélium promulgátum, sine lavácro regeneratiónis, aut ejus voto fieri non potest.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Omnis qui se exaltat, humiliábitur; & qui se humíliat, exaltábitur. *Luc.* 18.

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Libro Sapiéntiæ. *Cap.* 8.

PRopósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivendum: sciens quóniam mecum communicábit de bonis, & erit allocútio cogitatiónis & tædii mei. Habébo propter hanc claritátem ad turbas, & honórem apud senióres júvenis: & acútus invéniar in judício, & in conspectu poténtium admirábilis ero, & fácies príncipum mirabuntur me: tacentem me sustinébunt, & loquentem me respícient, & sermocinante me plura, manus ori suo impónent. ¶ Prætérea habébo per hanc, immortalitátem: & memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relinquam. Dispónam pópulos: & natiónes mihi erunt súbditæ. Timébunt me audientes reges horrendi: in multitúdine vidébor bonus, & in bello fortis. Intrans in domum meam, conquiéscam cum illâ: non enim habet amaritúdinem conversátio illíus, sed lætítiam & gáudium.

*Responsoria ut heri in I. Nocturno, pag. 377.*

LECTIO II. *Cap.* 8 & 9.

HÆc cógitans apud me, & commémorans in corde meo; quóniam im-

mortálitas est incognatióne sapiéntiæ, & in amicítiâ illíus delectátio bona, & in opéribus mánuum illíus honestas sine defectióne, & in certámine loquélæ illíus sapiéntia, & præclároitas in communicatióne sermónum ipsíus: circuíbam quærens, ut mihi illam assúmerem. Puer autem eram ingeniósus, & sortítus sum ánimam bonam. ¶ Et ut scivi quóniam áliter non possem esse cóntinens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapiéntiæ, scire cujus esset hoc donũ: ádii Dóminum, & deprecátus sum illum, & dixi ex totis præcórdiis meis: Deus patrum meórum, & Dómine misericórdiæ; da mihi sédium tuárum adsistrícem sapiéntiam, & noli me reprobáre à púeris tuis: quóniam servus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ; homo infirmus & exígui témporis, & minor ad intelléctum judícii & legum. Nam & si quis erit consummâtus inter filios hóminum, si ab illo abfúerit sapiéntia tua, in níhilum computábitur.

LECTIO III.

Ex Enarratióne sancti Augustíni Epíscopi in Psalmum centésimum quadragésimum octávum, *Edit. Bened. n.* 8.

BEáti quorum hoc est negótium laudáre Deum! O beáti! putámus: érimus & nos sic? Eía, suspirémus, de suspírio gemámus. Et quid sumus, ut ibi simus? Mortáles, projecti, abjecti, terra & cinis. Sed qui promísit, omnípotens est. Et venit, ut promítteret, appáruit homínibus, venit suscípere mortem nostram, promíttere vitam suam. Quid hìc dedit? quid hìc accépit? Dedit exhortatiónem, dedit doctrínam, dedit remissiónem peccatórum; accépit contumélias, mortem, crucem. Adtulit nobis de illâ regióne bona, & in regióne nostrâ pértulit mala. Promísit tamen nobis quòd ibi futúri simus unde venit; & ait: Pater, volo ut ubi ego sum, & ipsi sint mecum. Tanta præcessit diléctio. Quia ubi nos erámus, fuit nobiscum; ubi ipse est, érimus cum illo. Quid tibi promísit, ô homo mortális? Quia victúrus es in ætérnum. Non credis? Crede, crede. Plus est quod jam fecit quàm quod promísit. Quid fecit? mórtuus est pro te. Quid promísit? ut vivas cum illo. Incredibílius est quòd mórtuus est ætérnus, quàm ut in ætérnum vivat mortális.

℟. Qui étiam próprio Fílio suo non pepercit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum: *Quómodo non étiam cum illo ómnia no-

bis donávit? ℣. Commendat caritátem suam Deus in nobis: quóniam cùm adhuc peccatóres essémus, Christus pro nobis mórtuus est. * Quómodo. ℣. Glória. * Quómodo. *Rom.* 8 & 5.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 6. *Cap.* 5.

JUstificatiónis exórdium in adultis à Dei per Christum Jesum præveniente grátiâ sumendum est, hoc est, ab ejus vocatióne, quia, nullis eórum exsisténtibus méritis vocantur; ut qui per peccáta à Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem grátiam ad convertendum se ad suam ipsórum justificatiónem, eídem grátiæ líberè assentiendo & cooperando, disponantur.

---

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Libro Sapiéntiæ. *Cap.* 9 & 10.

PEr sapiéntiam sanáti sunt quicumque placuérunt tibi, Dómine, à princípio. Hæc illum qui primus formátus est à Deo pater orbis terrárum, cùm solus esset creátus, custodívit, & eduxit illum à delícto suo, & dedit illi virtútem continendi ómnia. Ab hâc ut recessit injustus in irâ suâ, per iram homicídii fraterni depériit. ¶ Propter quem, cùm aquâ deléret terram, sanávit íterum sapiéntia, per contemptíbile lignum justum gubernans. Hæc justum à pereúntibus ímpiis liberávit fugientem, descendente igne in Pentápolim: quibus in testimónium nequítiæ fumigabunda constat desérta terra, & incerto témpore fructus habentes árbores, & incredíbilis ánimæ memória stans figmentum salis.

LECTIO II.

HÆc prófugum iræ fratris justum deduxit per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei, & dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, & complévit labóres illius. In fraude circumveniéntium illum ádfuit illi, & honestum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum, & certámen forte dedit illi ut vínceret, & sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. ¶ Hæc vénditum justum non derelíquit, sed à peccatóribus liberávit eum: descenditque cum illo in fóveam, & in vínculis non derelíquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & poténtiam adversùs eos, qui eum deprimébant: & mendáces

mendáces ostendit, qui maculavérunt illum, & dedit illi claritátem ætérnam.

℟. I. Sapiéntia cùm sit una, ómnia potest: & per natiónes in ánimas sanctas se transfert; * Amícos Dei & Prophétas constítuit: néminem enim díligit Deus, nisi eum qui cum sapiéntiâ inhábitat. ℣. De plenitúdine ejus nos omnes accépimus: * Amícos. *Sap.* 7. *Joan.* 1.

℟. II. In te, Dómine, speravérunt patres nostri; speravérunt, & liberasti eos: * Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt. ℣. Per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adepti sunt repromissiónes. * Ad te. *Ps.* 21. *Hebr.* 11.

℟. III. Respícite, filii, natiónes hóminum: & scitóte quia nullus sperávit in Dómino, & confúsus est. * Quis enim permansit in mandátis ejus, & derelíctus est? ℣. Novit Dóminus pios de tentatióne erípere. * Quis. *Eccli.* 2. *II. Petr.* 2.

℟. IV. Omnia sanctis in bona; * Sic & ímpiis & peccatóribus in mala convertuntur. ℣. Diligéntibus Deum ómnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propósitum vocáti sunt sancti: * Sic. ℣. Glória. * Sic. *Eccli.* 39. *Rom.* 8.

LECTIO III.

Ex sermóne nono sancti Bernardi Abbátis in Psalmum Qui hábitat. *Ed. Bened. n.* 5 *&* 6.

Quidquid agendum sit, quidquid declinandū, quid tolerandum quidquid optandum, tu es, Dómine, spes mea. Hæc mihi ómnium promissiónum causa, hæc tota rátio meæ exspectatiónis. Prætendat alter méritum, sustinére se jactet pondus diéi & æstûs: mihi autem adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam. Sperent in áliis álii, fortè hic in sciéntiâ litterárum, hic in astútiâ séculi, ille in nobilitáte, ille in dignitáte, ille in áliâ quálibet vanitáte confídat: propter te ómnia detrimentum feci, & ut stércora árbitror, quóniam tu es, Dómine, spes mea. Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda sperábo; si insurgant adversùm me prælia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversùm spíritum concupiscat, in te ego sperábo. Fratres, hoc sápere, ex fide vívere est, nec álius ex senténtiâ dícere potest, Quóniam tu es, Dómine, spes mea, nisi cui intus sit persuásum à Spíritu, ut (quemádmodum monet Prophéta) jactet cogitátum suum in Dómino. Ut

quid enim, si hæc sápimus, ut quid cunctámur abjícere omníno spes míseras, vanas, inútiles sedúctórias; & huic uni tam sólidæ, tam perfectæ, tam beátæ spei, totâ devotióne ánimi, toto fervóre spíritûs inhærére? Si quid illi impossíbile, si quid vel difficile est, quære áliud in quo speres. Sed verbo ómnia potest. Si decréverit salváre nos, contínuò liberábimur: si vivificáre placúerit, vita in voluntáte ejus est: si præmia ætérna largíri, licet ei quod vult fácere. An verò de facilitáte jam non dúbitas, sed ipsa tibi est suspecta volúntas? Planè & voluntátis testimónia credibília facta sunt nimis. Denique quando in se speranti desit illa majestas, quæ tam studiósè monet in se sperári? Planè non derelinquit sperántes in se. Quare? quibus méritis? quia speravérunt in eo. Dulcis causa, áttamen éfficax, áttamen irrefragábilis.

℞. In te, Dómine, sperávi; * Non confundar in ætérnum. ℣. Quóniam tu es Dómine, spes mea: * Non. ℣. Glória. * Non. *Ps.* 30 & 90.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

*Sess. 6. Cap. 7.*

JUstificatiónis causæ sunt: finális quidem glória Dei & Christi, ac vita ætérna: efficiens verò miséricors Deus, qui gratúitò ábluit & sanctíficat, signans & ungens Spíritu promissiónis sancto, qui est pignus hæreditátis nostræ.

---

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Libro Sapiéntiæ.

*Cap. 10.*

SApiéntia pópulum justū & semen sine querélâ liberávit à natiónibus, quæ illum deprimébant. Intrávit in ánimam servi Dei, & stetit contra reges horrendos in porténtis & signis. Et réddidit justis mercédem labórum suórum, & deduxit illos in viâ mirábili: & fuit illis in velamento diéi, & in luce stellárum per noctem. ¶ Tránstulit illos per mare rubrum, & transvexit illos per aquam nímiam. Inimícos autem illórum demersit in mare, & ab altitúdine inferórum edúxit illos. Ideo justi tulérunt spólia impiórum, & decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum; & victrícem manum tuam laudavérunt páriter: quóniam sapiéntia apéruit os mutórum, & linguas infántium fecit disértas.

*Responsoria ut heri.*

LECTIO II. *Cap.* 11.

DIrexit ópera eórum in mánibus prophétæ sancti. Iter fecérunt per desérta, quæ non habitabantur; & in locis desertis fixérunt casas. Stetérunt contra hostes, & de inimícis se vindicavérunt. Sitiérunt, & invocavérunt te, & data est illis aqua de petrâ altíssimâ, & réquies sitis de lápide duro. ¶ Osténdens per sitim, quæ tunc fuit, quemádmodum tuos exaltáres, & adversários illórum necáres. Hos quidem tamquàm pater monens probasti: illos autem tamquàm durus rex intérrogans condemnasti. Pro cogitatiónibus autem insensátis iniquitátis illórum, quòd quidam errantes colébant mutos serpentes, & béstias supervácuas, immisisti illis multitúdinem mutórũ animálium in vindíctam: ut scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquétur.

LECTIO III.

Ex Epístolâ centésimâ séptima sancti Bernardi Abbátis. *Edit. Bened. n.* 5.

AUdiat in suî vocatióne peccátor quod tímeat: & sic accédens ad solem justítiæ, vídeat illuminátus quod díligat. Quidnam est illud? Misericórdia Dómini ab ætemo & usque in ætemum super timentes eum. Ab æterno propter prædestinatiónem, in ætemum propter beatificatiónem. Altera carens princípio, áltera néſciens finem. Síquidem quos ab æterno prædéstinat, in æternum beatíficat, intercedente sanè médiâ vocatióne unà cum justificatióne, dumtaxat in adultis. Sic ad ortum solis justítiæ sacramentum abscónditum à sǽculis de prædestinátis & beatificandis, emérgere quodámmodo íncipit ex abysso æternitátis, dum quisque vocátus per timórem, justificátus per amórem, præsúmit se quoque esse de número beatórum, sciens nimírum quia quos justificávit, illos & magnificávit. Quid enim? audit se vocári, cùm timóre concútitur: sentit & justificári, cùm amóre perfúnditur: & de magnificatióne diffídet? Initiátur, provéhitur; & de solâ consummatióne desperábit?

℞. Quos prædestinávit Deus, hos & vocávit; & quos vocávit, hos & justificávit: quos autem justificávit, illos & glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? * Si Deus pro nobis, quis contra nos? ℣. Quis accusábit adversùs electos Dei? Deus qui justíficat: quis est qui condemnet? * Si. ℣. Glória. * Si. *Rom.* 8.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno.

*Sess. 6. Cap. 7.*

JUstificatiónis causæ sunt: Meritória, dilectíssimus Dei Unigénitus Dóminus noster Jesus Christus; qui, cùm essémus inimíci, propter nímiam caritátem, quâ dílexit nos, suâ sanctíssimâ passióne in signo crucis nobis justificatiónem méruit, & pro nobis Deo Patri satisfécit. Instrumentális item, sacramentum Baptismi, quod est sacramentum fidei, sine quâ nulli unquam cóntigit justificátio.

---

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Libro Sapiéntiæ.

*Cap. 13.*

VAni sunt omnes hómines, in quibus non subest sciéntia Dei: & de his quæ videntur bona, non potuérunt intellígere eum qui est, neque opéribus attendentes agnovérunt quis esset ártifex: sed aut ignem aut spíritum, aut citátum áërem, aut gyrum stellárum, aut nímiam aquã, aut solem & lunam, rectóres orbis terrárum deos putavérunt. Quorum si spécie delectáti, deos putavérunt: sciant quantò his dominátor eórum speciósior est. Speciéi enim generátor hæc ómnia constítuit. ¶ Aut si virtútem & ópera eórum miráti sunt, intélligant ab illis, quóniam qui hæc fecit, fórtior est illis: à magnitúdine enim speciéi & creatúræ cognoscibíliter póterit creátor horum vidéri. Sed tamen adhuc in his minor est queréla. Infelíces autem sunt, & inter mórtuos spes illórum est, qui appellavérunt deos ópera mánuum hóminum, aurum & argentum, artis inventiónem, & similitúdines animálium, aut lápidem inútilem opus manûs antíquæ.

LECTIO II. *Cap. 14.*

ITerum álius navigáre cógitans, & per feros fluctus iter fácere incípiens, ligno portante se, fragílius lignum ínvocat. Illud enim cupíditas acquirendi excogitávit, & ártifex sapiéntiâ fabricávit suâ. Tua autem, Pater, providéntia gubernat: quóniam dedisti & in mari viam, & inter fluctus sémitam firmíssimam, ostendens quóniam potens es ex ómnibus salváre, étiam si sine arte áliquis ádeat mare. ¶ Sed & ab inítio cùm perírent supérbi gigantes, spes orbis terrárum ad ratum confúgiens, remísit século semen nativitátis, quæ manu tuâ erat gubernáta. Benedíctum est enim lignum,

per quod fit justítia. Per manus autem quod fit idólum, maledictum est & ipsum, & qui fecit illud: quia ille quidem operátus est: illud autem cùm esset frágile, deus cognominátus est. Simíliter autem ódio sunt Deo, ímpius & impíetas ejus.

℟. I. Commutavérunt veritátem Dei in mendácium: & coluérunt, & serviérunt creatúræ pótiùs quàm Creatóri; *Proptérea trádidit illos Deus in passiónes ignomíniæ. ℣. Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificavérunt, aut grátias egérunt: * Proptérea. *Rom.* 1.

℟. II. Mutavérunt glóriam incorruptíbilis Dei in similitúdinem imáginis corruptíbilis hóminis, & vólucrum, & quadrúpedum, & serpéntium: *Propter quod trádidit illos Deus in desidéria cordis eórum. ℣. Erravérunt Deos æstimantes hæc quæ in animálibus sunt supervácua, infántium insensatórum more viventes. * Propter. *Rom.* 1. *Sap.* 12.

℟. III. Revelátur ira Dei de cœlo, super omnem impietátem hóminum eórum qui veritátem Dei in injustítiâ détinent. * Et sicut non probavérunt Deũ habére in notítiâ, trádidit illos Deus in réprobum sensum. ℣. Non suffécerat errasse eos circa Dei sciéntiam, sed & in magno viventes insciéntiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant. * Et. *Rom.* 1. *Sap.* 14.

℟. IV. Non est símilis tuî, Dómine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitúdine. * Dii, qui cœlos & terram non fecérunt, péreant de terrâ. ℣. Quis non timébit te, ô Rex géntium! tuum est enim decus. * Dii. ℣. Glória. * Dii. *Jerem.* 10.

LECTIO III.

Ex Epístolâ centésimâ séptimâ sancti Bernardi Abbátis. *Edit. Bened.* n. 6.

PONámus hóminem in século, séculi adhuc & suæ carnis amóre detentum: cui nullum adhuc suæ salútis signum eluxerit; si superna eum miserátio dignanter quandóque respéxerit, immiseritque spíritum compunctiónis, quátenus ingemiscat & resipiscat, proponatque de cætero vívere Deo, non século. Tunc is quem prior vita ac própria consciéntia, tamquàm reverâ filium gehennæ, deputáverat ardóribus sempitérnis, ad tantam visitantis se Orientis ex alto dignatiónem respírans, gloriári étiam íncipit præter spem in spe glóriæ filiórum Dei. Jam

se, ô bone Pater, vermis vilíssimus & ódio digníssimus sempiterno, tamen confidit amári, quóniam se sentit amáre : immo quia se amári præsentit, non redamáre confúnditur. Jam ápparet in lúmine tuo, ô inaccessíbilis lux, quid boni penes te, étiam cùm malus esset, míserum manéret homúnculum. Amat proinde non immérito, quia amátus est, sine mérito : amat sine fine, quia sine princípio se cognoscit amátum. Prodit in lucem ad míseri consolatiónem magnum consílium, quod ab ætérno latúerat in sinu æternitátis; quód nolit vidélicet Deus mortem peccatóris, sed magìs ut convertátur & vivat.

℟. Stamus, & gloriámur in spe glóriæ filiórum Dei. Si enim, cùm inimíci essémus, reconciliáti sumus Deo per mortem Fílii ejus : * Multò magìs reconciliáti, salvi érimus in vitâ ipsíus ab irâ per ipsum. ℣. Cùm adhuc peccatóres essémus, secundùm tempus Christus pro nobis mórtuus est : * Multò. ℣. Glória. * Multò. *Rom.* 5.

CANON.
Ex Concílio Tridentíno.
*Sess. 6. Cap. 7.*

JUstificatiónis única formális causa est justítia Dei : non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit, quâ vidélicet ab eo donáti renovámur spíritu mentis nostræ, & non modo reputámur, sed verè justi nominámur & sumus; justítiam in nobis recipientes, unusquisque suam, secundùm mensúram quam Spíritus sanctus partítur síngulis prout vult, & secundùm própriam cujusque dispositiónem & cooperatiónem.

---

FERIA SEXTA.
LECTIO I.
Ex Libro Sapiéntiæ.
*Cap.* 14.

INítium fornicatiónis est exquisítio idolórum, & adinvéntio illórum corrúptio vitæ est. Neque enim erant ab inítio, neque erunt in perpétuum. Supervacúitas enim hóminum advénit in orbem terrárum : acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filii fecit imáginem : & illum qui tunc quasi homo mórtuus fúerat, nunc tamquàm deum cólere cœpit, & constítuit inter servos suos sacra & sacrifícia. Deinde interveniente témpore, convalescente iníquâ consuetúdine, hic error tamquàm lex custodítus est, & tyrannórum império colebantur figmenta. ¶ Provexit ad horum cultúram & hos qui ignorábant, as-

tíficis exímia diligéntia. Ille enim volens placére illi, qui se assúmpsit, elaborávit arte suâ, ut similitúdinem in mélius figuráret. Multitúdo autem hóminum abdúcta per spéciem óperis, eum, qui ante tempus tamquàm homo honorátus fúerat, nunc deum æstimavérunt. Et hæc fuit vitæ humánæ decéptio, quóniam aut afféctui, aut régibus deserviéntes hómines incommunicábile nomen lapídibus & lignis imposuérunt.

*Responsoria ut heri.*

LECTIO II. *Cap.* 14 & 15.

OMnia commísta sunt, sanguis, homicídium, furtum & fíctio, corrúptio & infidélitas, turbátio & perjúrium, tumultus bonórum, Dei immemorátio, animárum inquinátio, nativitátis immutátio, nuptiárum inconstántia, inordinátio mœchíæ & impudicítiæ. Infandórum enim idolórum cultúra, omnis mali causa est, & inítium & finis. ℣ Tu autem Deus noster, suávis & verus es, pátiens & in misericórdiâ dispónens ómnia. Etenim si peccavérimus, tui sumus, sciéntes magnitúdinē tuā: & si non peccavérimus, scimus quóniam apud te sumus computáti. Nosse enim te, consummáta justítia est: & scire justítiam & virtútem tuam, radix est immortalitátis.

LECTIO III.

Ex Epístolâ centésimâ séptimâ sancti Bernardi Abbátis. *Edit. Bened. n.* 8 & 9.

NEmo se amári diffídat, qui jam amat. Libenter Dei amor nostrum, quem prævénit, subséquitur. Nam quómodo redamáre pigébit, quos amávit, & necdum amantes? amávit, inquam, amávit. Habes enim dilectiónis pignus Spíritum, habes & testem fidélem Jesum, & hunc crucifixum. O géminum, ipsumque firmíssimum Dei erga nos amóris argumentum! Christus móritur, & merétur amári. Spíritus áfficit, & facit amári. Ille facit cur amétur, iste ut amétur. Ille suam multam dilectiónem in nobis commendat, iste & dat. In illo cérnimus quod amémus: ab isto súmimus unde amémus. Quanta confúsio, Dei Fílium ingrátis óculis cérnere moriéntem! quod quidem fácilè contingit, si desit Spíritus. Nunc autem quia cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum sanctum qui datus est nobis; amáti amámus, amantes ámpliùs merémur amári. Si enim cùm adhuc inimíci essémus, re-

conciliáti sumus Deo per mortem Fílii ejus: multò magis reconciliáti salviérimus in vitâ ipsíus. Cùm ergo géminum teneámus nostræ salútis indícium, géminam sánguinis & Spíritûs effusiónem; neutra sine álterâ prodest. Nam nec Spíritus datur nisi credéntibus in Crucifixum: nec fides valet si non operátur ex dilectióne. Diléctio autem donum Spíritûs est.

℟. Qui étiam próprio Fílio suo non pepercit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum: * Quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donávit? ℣. Commendat caritátem suam Deus in nobis, quóniam cùm adhuc peccatóres essémus, secundùm tempus Christus pro nobis mórtuus est: * Quómodo. ℣. Glória. * Quómodo. *Rom.* 8 & 5.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 6. *Cap.* 13.

PErseverántiæ munus, de quo scriptum est: Qui perseveráverit usque in finem, hic salvus erit; aliunde habéri non potest, nisi ab eo qui potens est eum qui stat statúere, ut perseveranter stet; & eum qui cadit restitúere: nemo sibi certi áliquid absolútâ certitúdine polliceátur; tametsi in Dei auxílio firmíssimam spem collocáre & repónere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illíus grátiæ defúerint, sicut cœpit opus bonum, ita perfíciet, óperans velle & perfícere.

---

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Libro Sapiéntiæ. *Cap.* 17 & 18.

MAgna sunt judícia tua, Dómine, & inenarrabília verba tua: propter hoc indisciplinátæ ánimæ erravérunt. Dum enim persuásum habent iníqui posse dominári natióni sanctæ: vínculis tenebrárum & longæ noctis compedíti, inclúsi sub tectis, fugitívi perpétuæ providéntiæ jacuérunt. Digni quidem illi carére luce, & pati cárcerem tenebrárum, qui inclúsos custodiébant fílios tuos, per quos incipiébat incorruptum legis lumen século dari. ¶ Cùm cogitárent justórum occídere infantes; & uno expósito fílio & liberáto, in traductiónem illórum, multitúdinem filiórum abstulísti, & páriter illós perdidísti in aquâ válidâ. Illa enim nox ante cógnita est à pátribus nostris, ut verè scientes quibus juramentis credidérunt, animæquióres essent. Suscepta est autem à pópu-

lo tuo sánitas quidem justórum, injustórum autem exterminátio.

*Respon∫oria ut ∫upra, Feria III. pag. 385.*

LECTIO II.

ABsconsè enim ſacrificábant justi púeri bonórum, & justítiæ legem in concórdiâ diſpoſuérunt: ſimíliter & bona & mala receptúros justos, patrum jam decantantes laudes. Reſonábat autem inconvéniens inimicórum vox, & flébilis audiebátur planctus plorátórum infántium. Cum enim quiétum siléntium continéret ómnia, & nox in ſuo curſu médium iter habéret, omnípotens ſermo tuus de cœlo à regálibus sédibus, durus debellátor in médiam extermínii terram proſilívit, gládius acútus inſimulátum impérium tuum portans, & stans replévit ómnia morte, & uſque ad cœlum adtingébat stans in terrâ. ¶ Tunc contínuò viſus ſomniórum malórum turbavérunt illos; & timóres ſupervenérunt inſperáti. Et álius álibi projectus ſemivívus, propter quam moriebátur, cauſam demonstrábat mortis. Viſiónes enim quæ illos turbavérunt, hæc præmonébant, ne inſcii, quare mala patiebantur, perírent.

LECTIO III.

Ex Sermóne tértio sancti Bernardi Abbátis in Annuntiatióne beátæ Maríæ. *Edit. Bened. n. 3.*

SOla ſpes apud te, Dómine, miſeratiónis óbtinet locum; nec óleum miſericórdiæ, niſi in vaſe fidúciæ ponis. Sed est infidélis fidúcia, ſolíus útique maledictiónis capax, cum vidélicet in ſpe peccámus. Quamquàm nec fidúcia illa dicenda ſit, ſed inſenſibílitas quædam, & diſſimulátio perniciósa. Quæ enim fidúcia ei qui perículum non adtendit? aut quod ibi timóris remédium, ubi nec timor ſentítur, nec matéria ipſa timóris? Fidúcia ſolátium est; nec eget ille ſolátio, qui lætátur cùm malè fécerit, & in péſſimis rebus magis exſultat. Rogémus itaque, fratres, respondéri nobis, quantas habeámus iniquitátes & peccáta, ſcélera nostra & delicta nobis deſiderémus osténdi. Scrutémur vias nostras & stúdia nostra; pericúlaque univerſa vígili intentióne pensémus. Dicat quiſque in pavóre ſuo: Vadam ad portas ínferi; ut jam nonniſi in ſolâ Dei miſericórdiâ reſpirémus. Hæc vera hóminis fidúcia, à ſe deficientis, & innitentis Dómino ſuo. Hæc, inquam, vera fidúcia, cui

misericórdia non denegátur, Prophétâ adtestante: Quóniam beneplácitum est Dómino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericórdiâ ejus. Nec parva útique súppetit nobis: in nobis quidem timóris, in ipso autem causa fidúciæ.

℟. Ne adjícias peccátum super peccátum, & ne dicas: Miserátio Dómini magna est; multitúdinis peccatórum meórum miserébitur. Misericórdia enim & ira ab illo citò próximant; * Et in peccatóres réspicit ira illíus. ℣. Beneplácitum est Dómino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericórdiâ ejus: * Et. ℣. Glória. * Et. *Eccli.* 5. *Ps.* 146.

CANON.

Ex Concílio Tridentino. *Sess.* 6. *Cap.* 13.

QUi se exístimant stare, vídeant ne cadant, & cum timóre ac tremóre salútem suam operentur in labóribus, in vigíliis, in eleemósynis, in oratiónibus, & oblatiónibus, in jejúniis, & castitáte. Formidáre enim debent, scientes quòd in spem glóriæ, & nondum in glóriâ renáti sunt; de pugnâ, quæ super est cum carne, cum mundo, cum diábolo, in quâ victóres esse non possunt, nisi cum Dei grátiâ Apóstolo obtémperent, dicenti: Debitóres sumus non carni ut secundùm carnem vivámus; si enim secundùm carnem vixéritis, moriémini: si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Doctrínam sapiéntiæ & disciplínæ scripsit Jesus Fílius Sirach: Beátus qui in istis versátur bonis. Si enim hæc fécerit, ad ómnia valébit. *Eccli.* 50.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 400.

---

## DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

---

### *IN I. NOCTURNO.*

LECTIO I.

Incipit Liber Ecclesiástici. *Cap.* 1.

OMnis sapiéntia à Dómino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante ævum. Arénam maris, & plúviæ guttas, & dies séculi quis dinumerávit? Altitúdinem cœli, & latitúdinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? Sapiéntiam Dei præcedentem ómnia quis investigávit? Prior ómnium creáta est sapiéntia, & intellectus prudéntiæ ab ævo. Fons sapiéntiæ verbum Dei

in excelsis, & ingressus illius mandáta ætérna.

℟. Sapiéntia in multitúdine electórum habébit laudem, dicens: * Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram. ℣. Ex Deo processi & veni, ille me misit. * Ego. *Eccli.* 24. *Joan.* 8.

LECTIO II.

UNus est altíssimus Creátor omnípotens, & rex potens, & metuendus nimis, sedens super thronum illíus & dóminans Deus. Ipse creávit illam in Spíritu sancto, & vidit, & dinumerávit, & mensus est. Et effúdit illam super ómnia ópera sua, & super omnem carnem secundùm datum suum, & præbuit illam diligéntibus se. Timenti Dóminum benè erit in extrémis, & in die defunctiónis suæ benedicétur. Inítium sapiéntiæ timor Dómini, & cum fidélibus in vulvâ concreátus est, cum electis féminis gráditur, & cum justis & fidélibus agnóscitur.

℟. Sapiéntia cùm sit una, ómnia potest, & per natiónes in ánimas sanctas se transfert, * Amícos Dei & Prophétas constítuit: néminem enim díligit Deus, nisi eum qui cum sapiéntiâ inhábitat. ℣. De plenitúdine ejus nos omnes accépimus: * Amícos. *Sap.* 7. *Joan.* 1.

LECTIO III. *Cap.* 1 & 2.

TImor Dómini expellit peccátum: nam qui sine timóre est, non póterit justificári. Ne sis incredíbilis timóri Dómini: & ne accésseris ad illum dúplici corde. Ne fúeris hypócrita in conspectu hóminum, & non scandalizéris in lábiis tuis. Fili accédens ad servitútem Dei, sta in justítiâ & timóre, & præpara ánimam tuam ad tentatiónem. Déprime cor tuum, & sústine; inclína aurem tuam, & súscipe verba intellectûs; & ne festínes in témpore obductiónis. Sústine sustentatiónes Dei: conjúngere Deo, & sústine, ut crescat in novíssimo vita tua.

℟. Omnes qui placuérunt Deo, per multas tribulatiónes transiérunt fidéles: * Illi autem qui tentatiónes non suscepérunt cum timóre Dómini, & impatiéntiam suam contra Dóminum protulérunt, extermináti sunt. ℣. Ecce beatificámus eos qui sustinuérunt. * Illi. *Judith.* 8. *Jac.* 5.

LECTIO IV.

OMne quod tibi applícitum fúerit, áccipe: & in dolóre sústine, & in humilitáte tuâ patiéntiam habe: quóniam in igne probátur aurum & argentum, hómines verò rece-

ptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo, & recuperábit te: & dírige viam tuam, & spera in illum. Serva timórem illíus, & in illo veteráſce. Metuentes Dóminum ſuſtinéte miſericórdiam ejus: & non deflectátis ab illo, ne cadátis.

℟. Exſultábitis, módicum nunc ſi oportet contriſtári in váriis tentatiónibus: * Ut probátio veſtræ fidei multò pretióſior auro quod per ignem probátur, inveniátur in laudem, & glóriam, & honórem, in revelatióne Jeſu Chriſti. ℣. Quem díligit Dóminus caſtígat. In diſciplínâ perſeveráte. * Ut: ℣. Glória. * Ut. *I. Petr.* 1. *Hebr.* 12.

## *IN II. NOCTURNO.*

### Lectio V.

Ex Enchirídio ſancti Auguſtíni Epíſcopi de fide, ſpe & caritáte. *Cap.* 7. *Edit. Bened.*

Ecce tibi eſt Symbolum & Domínica Orátio; quid bréviùs audítur aut légitur? quid facílius memóriæ commendátur? quia enim de peccáto, gravi miſériâ premebátur genus humánum, & divínâ indigébat miſericórdiâ, grátiæ Dei tempus Prophéta prædicens ait: Et erit, omnis qui invocáverit nomen Dómini, ſalvus erit. Propter hoc orátio. Sed Apóſtolus cùm ad ipſam grátiam commendandam hoc prophéticum commemoraſſet teſtimónium, contínuò ſubjécit: Quómodò autem invocábunt, in quem non credidérunt? propter hoc ſymbolum. In his duóbus tria illa intuére: fides credit, ſpes & cáritas orant: ſed ſine fide eſſe non poſſunt: ac per hoc fides orat: proptéreà quippe dictum eſt: Quómodo invocábunt in quem non credidérunt?

℟. Dicit Scriptúra: Omnis qui credit in illum, non confundétur. * Non enim eſt diſtínctio Judæi & Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes qui ínvocant illum. ℣. Omnis quicumque invocáverit nomen Dómini, ſalvus erit. * Non. *Rom.* 10.

### Lectio VI. *Cap.* 7.

Quid autem ſperári poteſt, quod non créditur? Porrò áliquid étiam quod non ſperátur credi poteſt. Quis namque fidélium pœnas non credit impiórum? nec ſperat tamen, & quiſquis eas imminére ſibi credit, ac fugáci motu ánimi exhorret, rectis timére dicitur quàm ſperáre. Eſt itaque fides & malárum rerum, & bonárum; quia & bona creduntur, & mala; & hoc fide bonâ non malâ. Eſt étiam fides &

præteritárum rerum, & præséntium, & futurárum. Item fides & suárum rerum est & alienárum. Spes autem non nisi bonárum rerum est, nec nisi futurárum, & ad eum pertinéntium qui eárum spem gérere perhibétur.

℟. Habentes, fratres, fidúciam, in introitu sanctórum in sánguine Christi, accedámus cum vero corde in plenitúdine fidei. * Teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem; fidélis enim est qui repromísit. ℣. Nos spíritu ex fide, spem justítiæ exspectémus. * Teneámus. *Hebr.* 10. *Galat.* 5.

LECTIO VII.

QUæ cùm ita sint, propter has causas distinguénda erit fides ab spe, sicut vocábulo, ita & rationábili differéntiâ. Nam quod áttinet ad non vidére, sive quæ creduntur, sive quæ sperantur, fidei speíque commúne est. In Epístolâ quippe ad Hebræos, fides esse dicta est convíctio rerum quæ non videntur. De spe quoque ait Apóstolus; Spes quæ vidétur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non vidémus sperámus, per patiéntiam exspectámus. Cùm ergo bona nobis futúra esse creduntur, nihil áliud quàm sperantur. Jam de amóre quid dicam, sine quo fides nihil prodest? Spes vero esse sine amóre non potest. Dénique ut ait Apóstolus Jacóbus, & dæmones credunt & contremiscunt; nec tamen sperant vel amant; sed pótiùs quod sperámus & amámus, ventúrum esse formídant: propter quod Apóstolus Paulus fidem quæ per dilectiónem operátur, approbat atque commendat, quæ útique sine spe non potest esse: proinde nec amor sine spe est, nec sine amóre spes, nec utrumque sine fide.

℟. Quod non vidémus sperámus, & ipsi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei exspectantes, redemptiónem córporis nostri: * Spe enim salvi facti sumus. ℣. Confúgimus ad tenendam propósitá spem: quam sicut ánchoram habémus ánimæ tutam ac firmam. * Spe. *Rom.* 8. *Hebr.* 6.

LECTIO VIII. *Cap.* 114.

EX istâ fidei confessióne, quæ bréviter symbolo continétur, & carnáliter cogitáta lac parvulórum est: spiritáliter autem considerára atque tractáta cibus est fórtium, náscitur spes bona fidélium, cui cáritas sancta comitátur: Sed de iis ómnibus quæ fidéliter sunt credenda, ea tantùm ad spem pértinent quæ

oratióne Domínicâ continentur. Maledíctus enim omnis, sicut divína testantur elóquia, qui spem ponit in hómine: ac per hoc & in se ipso qui spem ponit, hujus maledícti vínculo innéctitur. Ideò non nisi à Dómino Deo pétere debémus, quidquid sperámus nos vel bene operatúros, vel pro bonis opéribus adeptúros.

℞. Ecce qui elongant se à te, Dómine, períbunt; perdidísti omnes qui fornicantur ab ste. * Mihi autem adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam. ℣. Maledíctus homo qui confídit in hómine, & ponit carnem bráchium suum, & à Dómino recédit cor ejus. * Mihi. ℣. Glória. * Mihi. *Ps.* 72. *Jerem.* 17.

## IN III. NOCTURNO.

### LECTIO IX.

Ex Epístolâ cathólicâ beáti Jacóbi Apóstoli. *Cap.* 3.

NOlíte plures magistri fíeri, fratres mei, sciéntes quóniam majus judícium súmitis. In multis enim offéndimus omnes. Si quis in verbo non offéndit; hic perféctus est vir: potest étiam fræno circumdúcere totum corpus. Si autem equis fræna in ora míttimus ad consentiéndum nobis, & omne corpus illórum circumférimus. Ecce & naves, cùm magnæ sint, & à ventis válidis minentur, circumferuntur à módico gubernáculo ubi ímpetus dirigéntis volúerit. Ita & lingua módicum quidem membrum est, & magna exaltat.

℞. Quis est homo qui vult vitam, díligit dies vidére bonos? * Próhibe linguam tuam à malo, & lábia tua ne loquantur dolum. ℣. Ex verbis tuis justificáberis, & ex verbis tuis condemnáberis. * Próhibe. *Ps.* 33. *Matth.* 12.

### LECTIO X.

ECce quantus ignis, quàm magnam silvam incéndit! Et lingua ignis est, univérsitas iniquitátis. Lingua constitúitur in membris nostris, quæ máculat totum corpus, & inflammat rotam nativitátis nostræ, inflammáta à gehennâ. Omnis enim natúra bestiárum, & vólucrum, & serpéntium, & cæterórum domantur, & dómita sunt à natúrâ humánâ: linguam autem nullus hóminum domáre potest: inquiétum malum, plena venéno mortífero.

℞. Quis dabit ori meo custódiam, & super lábia mea signáculum certum, * Ut non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me? ℣. Pone, Dómine, custó-

diam ori meo, & óstium circumstántiæ lábiis meis; non declines cor meum in verba malítiæ. * Ut. Eccli. 22. Ps. 140.

LECTIO XI.

IN ipsâ benedícimus Deū & Patrem: & in ipsâ maledícimus hómines, qui ad similitúdinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procédit benedíctio & maledíctio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. Numquid fons de eódem forámine emánat dulcem & amáram aquam? Numquid potest, fratres mei, ficus uvas fácere, aut vitis ficus? sic neque salsa dulcem potest fácere aquam.

℟. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo de malo thesauro profert malum. * Ex abundántiâ enim cordis os lóquitur. ℣. Quæ procédunt de ore, de corde éxeunt. * Ex. Luc. 6. Matth. 15.

LECTIO XII.

QUis sápiens & disciplinátus inter vos? Ostendat ex bonâ conversatióne operatiónem suam in mansuetúdine sapiéntiæ. Quòd si zelum amárum habétis, & contentiónes sint in córdibus vestris, nolite gloriári, & mendáces esse adversus veritátem. Non est enim ista sapiéntia desursum descendens: sed terréna, animális, diabólica. Ubi enim zelus & conténtio: ibi inconstántia & omne opus pravum. Quæ autem desursum est sapiéntia, primùm quidem pudíca est, deinde pacífica, modesta, suadíbilis, bonis conséntiens, plena misericórdiâ & frúctibus bonis, non júdicans, sine simulatióne. Fructus autem justítiæ in pace seminátur, faciéntibus pacem.

℟. Regnum Dei est justítia, & pax, & gáudium in Spíritu sancto: * Itaque quæ pacis sunt sectémur. ℣. Viæ sapiéntiæ, viæ pulchræ, & omnes sémitæ illius pacíficæ: * Itaque. ℣. Glória. * Itaque. Rom. 14. Prov. 3.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Marcum.

Cap. 7.

EXiens Jesus de finibus Tyri, venit per Sidónem ad mare Galilææ, inter médios fines Decapóleos. Et addúcunt ei surdum & mutum: & deprecabantur eum, ut impónat illi manum. Et apprehendens eum de turbâ seorsum, misit dígitos suos in aurículas ejus: & éxspuens tétigit linguam ejus; & suspíciens in cœlum ingémuit, & ait illi: Ephphéta, quod est adaperíre. Et statim apertæ sunt aures ejus,

& solútum est vínculum linguæ ejus, & loquebátur rectè. Et præcépit illis ne cui dícerent. Quantò autem eis præcipiébat, tantò magis plus prædicábant: & eo ámpliùs admirábantur, dicentes: Bene ómnia fecit: & surdos fecit audíre, & mutos loqui.

*Ad* Benedíctus. *Ant.* Præcépit illis ne cui dícerent: Quantò autem eis præcipiébat, tantò magis plus prædicábant, & eo ámpliùs admirabantur. *Marc.* 7.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

OMnípotens, sempitérne Deus, qui abundántiâ pietátis tuæ & mérita súpplicum excédis & vota: † effunde super nos misericórdiam tuam; * ut dimittas quæ consciéntia métuit, & adjícias quod orátio non præsúmit; Per Dóminum.

C a n o n.

Ex Concílio Vaurensi. *An.* 1368. *Cap.* 1.

TRia quædam sunt, ut tradit Augustínus, quibus Deus rectè cólitur, & per quæ ad Deum, velut quibusdam mentis pássibus, pervenítur: vidélicet fides, spes, cáritas. Per fidem dirígimur in credendo; per caritátem regulámur in amando; per spem in labóribus consolámur.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Bene ómnia fecit: & surdos fecit audíre, & mutos loqui. *Marc.* 7.

---

FERIA SECUNDA.

Lectio I.

Ex Libro Ecclesiástici. *Cap.* 3.

QUi timet Dóminum, honórat parentes, & quasi dóminis sérviet his, qui se genuérunt. Ne glorieris in contumélià patris tui: non enim est tibi glória, ejus confúsio. Glória enim hóminis ex honóre patris sui, & dédecus filii pater sine honóre. Fili, súscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vitâ illíus: & si defécerit sensu, véniam da, & ne spernas eum in virtúte tuâ. ¶ Quantò magnus es, humília te in ómnibus, & coram Deo invénies grátiam: quóniam magna poténtia Dei solíus, & ab humílibus honorátur. Altióra te ne quæsíeris, & fortióra te ne scrutátus fúeris: sed quæ præcépit tibi Deus, illa cógita semper, & in plúribus opéribus ejus ne fúeris curiósus. Non est enim tibi necessárium ea, quæ abscóndita sunt, vidére óculis tuis. In supervácuis rebus noli scrutári multiplíciter, & in plúribus opéribus ejus non eris curiósus.

LECTIO II. *Cap.* 3 & 4.

COr durum habébit malè in novíssimo : & qui amat perículum, in illo períbit. Ignem ardentem exstinguit aqua, & eleemósyna resístit peccátis : & Deus prospéctor est ejus qui reddit grátiam : méminit ejus in pósterum, & in témpore casûs sui invéniet firmaméntum. ¶ Ab ínope ne avertas óculos tuos propter iram : & non relínquas quæréntibus tibi retrò maledícere : maledicéntis enim tibi in amaritúdine ánimæ, exaudiétur deprecátio illíus : exáudiet autem eum, qui fecit illum. Pro ánimâ tuâ ne confundáris dícere verum. Est enim confúsio addúcens peccátum, & est confúsio addúcens glóriam & grátiam. Non confundáris confitéri peccáta tua, & ne subjícias te omni hómini pro peccáto.

℟. I. Filii, obedíte paréntibus per ómnia : * Hoc enim plácitum est in Dómino. ℣. Honóra patrem tuum & matrem tuam, quod est mandátum primũ in promissióne : * Hoc. *Coloss.* 3. *Ephes.* 6.

℟. II. Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. * Humiliámini ígitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in témpore visitatiónis. ℣. Supérbum séquitur humílitas, & húmiles spíritu suscípiet glória. * Humiliámini. *I. Petr.* 5. *Prov.* 29.

℟. III. Eleemósyna ab omni peccáto & à morte líberat, * Et non patiétur ánimam ire in ténebras. ℣. Fidúcia magna erit coram summo Deo eleemósyna ómnibus faciéntibus eam ; * Et non. *Tob.* 4.

℟. IV. Cum viro sancto assíduus esto, * Quemcumque cognóveris observantem timórem Dei, † Qui, cùm titubáveris in ténebris, condolébit tibi. ℣. Consiliárius sit tibi unus de mille : * Quemcumque. ℣. Glória. † Qui cum. *Eccli.* 37 & 6.

LECTIO II.

Ex Enarratióne sancti Augustíni Epíscopi in Psalmum centésimum quadragésimum quartum. *Edit. Bened. n.* 11.

ET spes & desperátio timenda est in peccátis. Vidéte vocem desperantis ad augenda peccáta, & vidéte vocem sperantis ad augenda peccáta, & quómodò utríque voci occurrit providéntia & misericórdia Dei. Despérat ut peccet ; sperat ut peccet. Utrumque metuendum est, utrumque periculósum : væ à desperatióne, væ à perversâ spe. Utríque huic perículo & utríque malo quómodo

occurrit misericórdia Dei? Quid dicis tu, qui desperando volébas peccáre? jam damnandus sum, quare non fácio quidquid volo. Audi Scriptúram: Nolo mortem ímpii, quantùm ut revertátur, & vivat. Hâc voce Dei redúcitur in spē: sed timendus est álius láqueus, ne ipsâ spe ámpliùs peccet. Quid ergo & tu dicébas, qui spe magis peccas? Quando me convértero, ómnia mihi Deus dimittet, fáciam quidquid volo. Audi & tu Scriptúrā: Ne tardes converti ad Dóminum, neque dífferas de die in diem; súbitò enim véniet ira illíus, & in témpore vindíctæ dispérdet te. Noli ergo dícere: Cras me convertam, cras Deo placébo; & ómnia hodierna & hesterna dimittuntur mihi. Verum quidem dicis: Quia Deus conversióni tuæ indulgéntiam promísit: sed dilatióni tuæ diem crástinum non promísit.

℟. An divítias bonitátis Dei, & patiéntiæ, & longanimitátis contemnis? * Ignóras quóniam benígnitas Dei ad pœniténtiam te addúcit? ℣. Dicit Dóminus Deus: Nolo mortem ímpii, sed ut convertátur ímpius à viâ suâ & vivat. * Ignóras. ℣. Glória. * Ignóras. *Rom.* 2. *Ezech.* 33.

CANON.

Ex Concílio Senonensi. *An.* 1528. *Decret.* 3.

FIde justificámur: sed & spe salvi facti sumus, & dimissa sunt Maríæ Magdalénæ peccáta multa, quóniam diléxit multùm.

---

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Libro Ecclesiástici. *Cap.* 5.

NOli adténdere ad possessiónes iníquas, & ne díxeris: Est mihi sufficiens vita: nihil enim próderit in témpore vindíctæ & obductiónis. Ne sequáris in fortitúdine tuâ concupiscéntiam cordis tui: & ne díxeris, Quómodo pótui? aut quis me subjíciet propter facta mea? Deus enim víndicans vindicábit. ¶ Ne díxeris: Peccávi, & quid mihi áccidit triste? Altíssimus enim est pátiens rédditor. De propitiáto peccáto noli esse sine metu, neque adjícias peccátum super peccátum: & ne dicas: Miserátio Dómini magna est, multitúdinis peccatórum meórum miserébitur. Misericórdia enim & ira ab illo citò próximant, & in peccatóres réspicit ira illíus.

LECTIO II. *Cap. 6.*

NOli fieri pro amíco inimícus próximo: impropérium enim & contuméliam malus hæreditábit, & omnis peccátor ínvidus & bilinguis. Multi pacífici sint tibi, & consiliárius sit tibi unus de mille. Si póssides amícum, in tentatióne pósside eum, & ne fácilè credas ei. Est enim amícus secundùm tempus suum, & non permanébit in die tribulatiónis. Est autem amícus sócius mensæ, & non permanébit in die necessitátis. Qui timet Deum, æquè habébit amicítiam bonam: quóniam secundùm illum erit amícus illíus. ¶ In multitúdine presbyterórum prudéntium sta, & sapiéntiæ illórum ex corde conjúngere, ut omnem narratiónem Dei possis audíre, & provérbia laudis non effúgiant à te. Et si víderis sensátum, evígila ad eum, & gradus ostiórum illíus éxterat pes tuus. Cogitátum tuum habe in præceptis Dei, & in mandátis illíus máximè assíduus esto: & ipse dabit tibi cor, & concupiscéntia sapiéntiæ dábitur tibi.

℟. I. Non próderunt divítiæ in die ultiónis: * Justítia autem liberábit à morte. ℣. Thesaurizastis vobis, dívites, iram in novíssimis diébus: * Justítia. *Prov.* 11. *Jac.* 5.

℟. II. Non tardes convérti ad Dóminum, & ne différas de die in diem: * Súbitò enim véniet ira illíus, & in témpore vindíctæ dispérdet te. ℣. Secundùm durítiam tuam & impœnitens cor, thesaurízas tibi iram in die iræ. *Súbitò. *Eccli.* 5. *Rom.* 2.

℟. III. Amíco fidéli nulla est comparátio, * Et non est digna ponderátio auri & argenti contra bonitátem fídei illíus. ℣. Omni témpore díligit qui amícus est: & frater in angústiis comprobátur; * Et. *Eccli.* 6. *Prov.* 17.

℟. IV. Cor boni consílii státue tecum: * Et in ómnibus deprecáre Altíssimū, ut dírigat in veritáte viam tuam. ℣. Ante ómnia ópera verbum verax præcédat te, & ante omnem actum consílium stábile, * Et. ℣ Glória. * Et. *Eccli.* 37.

LECTIO III.

Ex Sermóne décimo sexto sancti Bernardi Abbátis in Psalmum Qui hábitat. *Edit. Bened. n.* 1.

CLamávit ad me, & ego exáudiam eum: hoc planè est testaméntum pacis, hoc pietátis fœdus, hoc pactum misericórdiæ & miseratiónis. Dulcis lex quæ méritum exauditiónis in clamóre constítuit postulatiónis. Clamávit, inquit, ad me, & exáudiam

eum. Méritò non exaudítur qui clamáre dissímulat, aut omnínò non póstulans, aut tépidè póstulans & remissè. Síquidem in Dei áuribus desidérium véhemens clamor magnus; è regióne autem remissâ inténtio, vox submissa. Quando illa penetrábit nubes? Quando audiétur in cœlis? nempe ut clamandum sibi nóverit homo, inter primórdia suæ oratiónis, ipsum quem oratúrus est Patrem in cœlis esse prótinùs admonétur, quòd vidélicet ímpetu quodam Spíritûs illò sibi jaculandam esse memínerit oratiónem. Spíritus est Deus, & in Spíritu clamet necesse est quísquis clamórem suum ad eum desíderat perveníre.

℞. Laudans invocábo Dóminum, & ab inimícis meis salvus ero. * Quóniam tu es, Dómine, spes mea. ℣. Secundùm exspectatiónem meam & spem meam in nullo confundar. * Quóniam. ℣. Glória. * Quóniam. *Ps.* 17 & 90. *Philip.* 1.

## CANON.

Ex Concílio Monguntíno. *An.* 813. *Can.* 2.

SPes in Deum fírmiter à cunctis Christiánis tenenda est. Unde Psálmista commémorat: Speráte in eo omnis congregátio pópuli, & réliqua. Et íterum: Spera in Dómino, & fac bonitátem. Et íterum: Sperantes autem in Dómino misericórdia circúmdabit. Et Apóstolus: Spe enim salvi facti sumus.

---

## FERIA QUARTA.

### LECTIO I.

Ex Libro Ecclesiástici. *Cap.* 7.

NOli quærete à Dómino ducátum, neque à rege cáthedram honóris. Nóli quærere fieri judex, nisi váleas virtúte irrúmpere iniquitátes; ne fortè extiméscas fáciem potentis, & ponas scándalum in æquitáte tuâ. Ne dicas: In multitúdine múnerum meórum respíciet Deus, & offerente me Deo Altíssimo múnera mea suscípiet. Non irrídeas hóminem in amaritúdine ánimæ: est enim qui humíliat & exaltat, circumspector Deus. Noli velle mentíri omne mendácium: assidúitas enim illíus non est bona. In omni virtúte tuâ dílige eum qui te fecit: & minístros ejus ne derelinquas. ¶ Honóra Deum ex totâ ánimâ tuâ, & honorífica Sacerdótes. Et páuperi pórrige manum tuam, ut perficiátur propitiátio & benedíctio tua. Non desis plorántibus in consolatióne, & cum lugéntibus ámbula. Non te pígeat visitáre infirmum: ex his enim

in dilectióne firmáberis. In ómnibus opéribus tuis memoráre novíssima tua, & in ætérnum non peccábis.

LECTIO II.

*Cap.* 8, 9 & 10.

NOn omni hómini cor tuum manifestes; ne fortè ínferat tibi grátiam falsam, & conviciétur tibi. Vírginem ne conspícias, ne fortè scandalizéris in decóre illíus. Averte fáciem tuam à mulíere comptâ, & ne circumspícias spéciem aliénam. Propter spéciem mulíeris multi periérunt, & ex hoc concupiscéntia quasi ignis exardéscit. ¶ Omnis injúriæ próximi ne memíneris, & nihil agas in opéribus injúriæ. Odíbilis coram Deo est & homínibus supérbia. Regnum à gente in gentem transfertur propter injustítias, & injúrias, & contumélias & diversos dolos. Aváro autem nihil est sceléstius. Quid supérbit terra & cinis? Cùm enim moriétur homo, hæreditábit serpentes, & béstias & vermes. Inítium supérbiæ hóminis, apostatáre à Deo. Quóniam ab eo qui fecit illum, recessit cor ejus, quóniam inítium omnis peccáti est supérbia: qui tenúerit illam, adimplébitur maledíctis, & subvertet eum in finem.

℟. I. Falsus testis non erit impunítus; * Et qui lóquitur mendácia, períbit. ℣. Os quod mentítur, occídit ánimam. * Et. *Prov.* 19. *Sap.* 1.

℟. II. Caritáte fraternitátis ínvicem diligentes; gaudére cum gaudéntibus, flere cum fléntibus; * Providentes bona non tantùm coram Deo, sed étiam coram ómnibus homínibus. ℣. Necessitátibus sanctórum communicantes, hospitalitátē sectantes; * Providentes. *Rom.* 12.

℟. III. Pépigi fœdus cum óculis meis, ut ne cogitárem quidem de vírgine. * Quam enim partem habéret in me Deus désuper? numquid perdítio est iníquo? ℣. Non secútum est óculos meos cor meum, & mánibus meis non adhæsit iníquitas. * Quam. *Job.* 31.

℟. IV. Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * Ut quid dilígitis vanitátem & quæritis mendáciū? ℣. Prætérit figúra hujus mundi; * Ut. ℣. Glória. * Ut. *Ps.* 4. *I. Cor.* 7.

LECTIO III.

Ex Sermóne centésimo décimo quinto sancti Augustíni Epíscopi de verbis Evangélii. *Edit. Bened. n.* 1.

CUm nobis Deus suadéret quia oportet semper oráre, & non defícere,

adjécit & ait: Verùmtamen cùm vénerit Fílius hóminis, putas invéniet fidem in terrâ? Si fides déficit, orátio perit. Quis enim orat quod non credit? Unde & Apóstolus beátus, cùm ad orandum exhortarétur, ait: Omnis quicumque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Et ut osténderet fidem fontem esse oratiónis, nec posse ire rivum ubi caput aquæ siccátur, adjunxit atque ait: Quómodo autem invocábunt in quem non credidérunt? Ergo ut orémus, credámus; & ut ipsa non deficiat fides, quâ orámus, orémus. Fides fundit oratiónem, fusa orátio fidei ímpetrat firmitátem.

℟. Credo, Dómine, * Adjuva incredulitátem meam. ℣. Quid orémus sicut oportet nescímus: sed ipse Spíritus póstulat pro nobis. * Adjuva: ℣. Glória. * Adjuva. *Marc.* 9. *Rom.* 8.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess.* 6. *Cap.* 7.

FIdes, nisi ad eam spes accédat & cáritas, neque unit perfectè cum Christo, neque córporis ejus vivum membrum éfficit; quâ ratióne veríssimè dicitur fidem sine opéribus mórtuam & otiósam esse, & in Christo Jesu neque circumcisiónem áliquid valére, neque præpútium; sed fidem quæ per caritátem operátur.

---

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Libro Ecclesiástici. *Cap.* 11 & 13.

NOn laudes virum in spécie suâ, neque spernas hóminem in visu suo. In vestítu ne gloriéris unquam, nec in die honóris tui extolláris: quóniam mirabília ópera Altíssimi solíus, & gloriósa & absconsa, & invísa ópera illíus. Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt. Error & ténebræ peccatóribus concreáta sunt: qui autem exsultant in malis, consenescunt in malo. ¶ In die bonórum ne ímmemor sis malórum: & in die malórum ne ímmemor sis bonórum: quóniam fácile est coram Deo in die óbitûs retribúere unicuíque secundùm vias suas. Qui tetígerit picem inquinábitur ab eâ: & qui communicáverit supérbo índuet supérbiam. Dives locútus est; & omnes tacuérunt, & verbum illíus usque ad nubes perdúcent. Pauper locútus est: & dicunt: quis est hic? & si offénderit, subvertent illum.

ECTIO II. *Cap.* 15 & 16.

DEus ab inítio constí-
tuit hóminem, & re-
uit eum in manu consí-
sui. Adjécit mandáta &
ecepta sua: si volúeris
ndáta serváre, conser-
bunt te, & in perpétuum
em plácitam fácere. Ap-
suit tibi aquam & ignem:
quod volúeris, pórrige
anum tuam. Ante hómi-
m vita & mors, bonum
malum: quod placúerit
, dábitur illi. ¶ Non di-
s: A Deo abscondar, &
summo quis meî me-
orábitur? Ecce cœlum &
li cœlórum, abyssus &
iversa terra, & quæ in
s sunt, in conspectu illíus
mmovebuntur, montes
nul & colles, & funda-
enta terræ: cùm conspé-
rit illa Deus, tremóre
ncutientur. Et in ómni-
is his insensátum est cor:
omne cor intellígitur ab
o: & vias illíus quis in-
lligit?

℟. I. Supérbiam nun-
àm in tuo sensu, aut in
o verbo dominári per-
ittas, * In ipsâ enim iní-
um sumpsit omnis perdí-
o. ℣. Inítium supérbiæ
óminis, apostatáre à Deo;
uóniam ab eo qui fecit
lum recessit cor ejus: qui
núerit illam, subvertet
lum in finem. * In. *Tob.*
. *Eccli.* 10.

℟. II. Nihil mélius est quàm timor Dei; * Et nihil dúlcius quàm respícere in mandátis Dómini. ℣. Tribulátio & angústia in omnem ánimam hóminis operantis malum. * Et. *Eccli.* 23. *Rom.* 2.

℟. III. Némini mandávit Deus ímpiè ágere, & némini dedit spátium peccandi. * Non enim concupíscit multitúdinem filiórum infidélium & inutílium. ℣. Qui injúriam facit, recípiet quod iníquè gessit, & non est personárum accéptio apud Deum. * Non. *Eccli.* 15. *Coloss.* 3.

℟. IV. Oculi Dómini ad timentes eum, * Et † Ipse agnoscit omnem óperam hóminis. ℣. Non est ulla creatúra invisíbilis in conspectu ejus: * Et. ℣. Glória. † Ipse. *Eccli.* 15. *Hebr.* 4.

LECTIO III.

Ex Libro primo sancti Augustíni Epíscopi de diversis quæstiónibus ad Simpliciánum. *Edit. Bened. Quæst.* 11. *n.* 21.

PEtere jubémur ut accipiámus, & quærere ut inveniámus, & pulsáre ut aperiátur nobis. Nonne aliquando ipsa orátio nostra sic tépida est, vel pótiùs frígida, & penè nulla; immò omníno interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolóre advertá-

mus? quia si vel hoc dolémus, jam orámus. Quid ergo áliud osténditur nobis, nisi quia & pétere & quærere, & pulsáre ille concédit, qui ut hæc faciámus, jubet? Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei: quandóquidē nec velle, nec cúrrere, nisi eo movente atque excitante, potérimus.

℟. Si habúeritis fidem, & non hæsitavéritis, ómnia * Quæcumque petiéritis in oratióne credentes, accipiétis. ℣. Omnia possíbilia sunt credenti. * Quæcumque. ℣. Glória. * Quæcumque. *Matth.* 21. *Marc.* 9.

CANON.

Ex Concílio Toletáno undécimo. *An.* 675. *Præf.*

ORandum nobis est & petendum, ut cùm peracto finitóque judício tradíderit Fílius regnum Deo Patri, partícipes nos effíciat regni sui; ut per hanc fidem quâ illi inhæsimus, cum illo sine fine regnémus.

---

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Libro Ecclesiástici.

*Cap.* 17.

DEus creávit de terrâ hóminem, & secundùm imáginem suam fecit illum. Númerum diérum & tempus dedit illi, & dedit illi potestátem eórum quæ sunt super terram. Creávit ex ipso adjutórium símile sibi: consílium, & linguam, & óculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi: & disciplínâ intellectûs replévit illos. ¶ Pósuit óculum suum super corda illórum osténdere illis magnália óperum suórum, ut nomen sanctificatiónis collaudent: & gloriári in mirabílibus illíus, ut magnália enarrent óperum ejus. Testamentum ætemum constítuit cum illis, & justítiam & judícia sua ostendit illis; & dixit illis: Adténdite ab omni iníquo. Et mandávit illis unicuíque de próximo suo. Viæ illórum coram ipso sunt semper, non sunt absconsæ ab óculis ipsíus.

*Responsoria ut heri.*

LECTIO II.

PŒniténtibus autem dedit viam justítiæ, & confirmávit deficientes sustinére, & destinávit illis sortem veritátis. Convértere ad Dóminum, & relinque peccáta tua. Precáre ante fáciem Dómini, & mínue offendícula. Revértere ad Dóminum, & avértere ab injustítiâ tuâ. Non demoréris in erróre impiórum, ante mortem confitére. A mórtuo quasi nihil, perit conféssio.

¶

¶ Quàm magna misericórdia Dómini, & propitiátio illíus converténtibus ad se! Nec enim ómnia possunt esse in homínibus, quóniam non est immortális filius hóminis, & in vanitáte malítiæ placuérunt. Quid lucídius sole? & hic defíciet. Aut quid néquius quàm quod excogitávit caro & sanguis? & hoc arguétur. Virtútem altitúdinis cœli ipse cónspicit: & omnes hómines terra & cinis.

LECTIO III.

Ex Epístolâ sancti Augustíni Epíscopi ad Innocéntium. *Edit. Bened. Epist.* 177. *n.* 4.

QUi orat & dicit: Ne nos ínferas in tentatiónem; non útique id orat ut homo sit, quod est natúrâ: neque id orat ut hábeat líberum arbítrium, quod jam accépit, cùm crearétur ipsa natúra: neque orat remissiónem peccatórum, quia hoc supérius dícitur: Dimitte nobis débita nostra; neque orat ut accípiat mandátum: sed planè orat ut fáciat mandátum. Si enim in tentatiónem indúctus fúerit, hoc est in tentatióne defécerit, facit útique peccátum quod est contra mandátum. Orat ergo ut non peccet, hoc est, ne quid fáciat mali; quod pro Corínthiis orat Apóstolus Paulus, dicens: Orámus autem ad Dóminum, ne quid faciátis mali. Unde satis appáret quid ad non peccandum, id est ad non malè faciendum, quamvis esse non dubitétur arbítrium voluntátis, tamen ejus potestas non sufficiat, nisi adjuvétur infírmitas. Ipsa ígitur orátio, claríssima est grátiæ testificátio.

℟. Dómine Pater & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitátu adversariórum meórum, omne desidérium averte à me. * Et † Animæ irreverenti & infrunítæ ne tradas me: ℣. Ne nos indúcas in tentatiónem. * Et ánimæ. ℣. Glória. † Animæ. *Eccli.* 23. *Matth.* 6.

CANON.

Ex Concílio Milevitáno secundo. *An.* 416. *Can.* 7.

PLácuit, ut quicumque díxerit in oratióne Domínicâ ídeò dícere sanctos: Dimitte nobis débita nostra; ut non pro se ipsis hoc dicant, quia non est jam necessária ista petítio; sed pro áliis qui sunt in suo pópulo peccatóres; & ídeo non dícere unumquemque sanctórum: Dimitte mihi débita mea: sed dimitte nobis débita nostra; ut hoc pro áliis pótiùs, quàm pro se justus pétere intelligátur; Anáthema sit.

## SABBATO.

### Lectio I.

Ex Libro Ecclesiástici.
*Cap.* 18 *&* 19.

NOn impediáris oráre semper, & ne vereáris usque ad mortem justificári : quóniam merces Dei manet in ætérnum. Ante oratiónem præpara ánimam tuam : & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Post concupiscéntias tuas non eas, & à voluntáte tuâ avértere. Operárius ebriósus non locupletábitur : & qui spernit módica, paulátim décidet. Vinum & mulíeres apostatáre fáciunt sapientes & árguunt sensátos. ¶ Córripe amícum ne fortè non intelléxerit, & dicat : Non feci : aut si fécerit, ne íterum addat fácere. Et non omni verbo credas. Est qui lábitur linguâ, sed non ex ánimo. Quis est enim qui non delíquerit in linguâ suâ? Est qui néquiter humíliat se, & interióra ejus plena sunt dolo : & est qui se nímium submittit à multâ humilitáte : & est qui inclínat fáciem suam, & fingit se non vidére quod ignorátum est : & si ab imbecillitáte vírium vetétur peccáre, si invénerit tempus malefaciendi, malefáciet.

### Lectio II

*Cap.* 21, 22 & 2

FIli, peccasti? no
cias iterum : sed
prístinis deprecáre u
dimittantur. Quasi à
cólubri fuge peccáta
accésseris ad illa,
pient te. Quasi rhom
bis acúta omnis iníqu
plagæ illíus non est sá
Quis dabit ori meo c
diam, & super lábia
signáculum certum
non cadam ab ipsis,
gua mea perdat me ?
mine pater & domi
vitæ meæ, ne dereli
me in consílio eórum
finas me cádere in illi
adincrescant ignor
meæ, & multiplic
delícta mea, & pe
mea abundent, & inc
in conspectu advers
rum meórum, & gá
super me inimícus m
Extolléntiam oculórũ
rum ne déderis mihi
omne desidérium ave
me. Aufer à me v
concupiscéntias, & á
irreverenti & infruníta
tradas me.

℟. I. Induímini D
num Jesum Christum,
carnis curam ne fecéri
desidériis. ℣. Non re
peccátum in vestro
táli córpore, ut obe
concupiscéntiis ejus;
*Rom.* 13 *&* 6.

℟. II. Córripe fra
tuum inter te & ipsum

lum : * Si te audíerit, lucrátus eris fratrem tuũ. ℣. Córripe próximum ántequam commíneris ; & da locum timóri Altíssimi : * Si. *Matth.* 18. *Eccli.* 19.

℟. III. Si refugientes coinquinatiónes mundi in cognitióne Dei nostri, his rursus implicáti superantur, * Facta sunt eis posterióra deterióra prióribus. ℣. Mélius erat illis non cognóscere viam justítiæ, quàm post agnitiónem retrorsum convérti ; * Facta. *II. Petr.* 2.

℟. IV. Quámdiu ponam consília in ánimâ meâ, dolórem in corde meo per diem ? * Usquequo exaltábitur inimícus meus super me ? † Réspice & exaudi me, Dómine Deus meus. ℣. Vídeo áliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccáti. * Usquequo. ℣. Glória. † Réspice. *Ps.* 12. *Rom.* 7.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi de Dono perseverántiæ. *Edit. Bened. Cap.* 2, 6, 7.

AN quisquam Sanctórũ est, qui non sibi poscat à Deo ut persevéret in eo ; cùm ipsa oratióne quæ Domínica nuncupátur, quia eam Dóminus dócuit, quando orátur à Sanctis, nihil penè áliud quàm perseverántia posci intelligátur ? Dicat mihi quisquis audet, utrùm Deus dare non possit, quod à se posci imperávit ? Hoc certè qui sapit, non dico décipit, sed insánit. Imperávit autem Deus, ut ei Sancti ejus dicant orantes : Ne ínferas nos in tentatiónem. Quisquis ígitur exaudítur hoc poscens, non infertur in contumáciæ tentatiónem, quâ possit vel dignus sit perseverántiam sanctitátis amíttere. At enim, voluntáte suâ quisque déserit Deum, ut méritò deserátur à Deo. Quis hoc negáverit ? Sed ideò pétimus, ne inferámur in tentatiónem, ut hoc non fiat, & si exaudímur, útique non fit ; quia Deus non permittit ut fiat, cui non frustrà dícitur : Ne nos ínferas in tentatiónem. Tutióres ígitur vívimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte commíttimus. Si ergo ália documenta non essent, hæc Domínica orátio nobis ad causam grátiæ, quam defféndimus, sola sufficeret : quia nihil nobis relíquit, in quo tamquàm in nostro gloriémur. A quo enim, nisi ab illo accípimus, à quo justum est ut petámus ? prorsus in hâc re non operósas disputatiónes exspectet Ecclésia : sed adtendat quotidiánas

oratiónes suas. Orat ut incréduli credant: Deus ergo convertit ad fidem. Orat ut credentes persevérent: Deus ergo donat perseverántiam usque in finem.

℟. Grátias ago Deo meo in omni memóriâ vestrî, semper in cunctis oratiónibus meis pro ómnibus vobis; * Confidens hoc ipsum, quia † Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu. ℣. Hoc oro, ut cáritas vestra magis ac magis abundet in sciéntiâ, & in omni sensu. * Confidens. ℣. Glória. † Qui. *Philip.* 1.

CANON.

Ex Concílio Milevitáno secundo. *An.* 416. *Can.* 8.

PLácuit, ut quicumque verba ipsa Domínicæ oratiónis, ubi dícimus: Dimitte nobis débita nostra, ita volunt à Sanctis dici, ut humíliter, non veráciter, hoc dicátur; anáthema sit. Quis enim ferat orantem, & non homínibus, sed ipsi Dómino mentientem; qui lábiis sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittantur, sed débita non habére.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Sapiéntia, & disciplína, & sciéntia legis apud Deum; diléctio, & viæ bonórum apud ipsum. *Eccli.* 11.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 418.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

## IN I. NOCTURNO.

LECTIO I.

Ex Libro Ecclesiástici. *Cap.* 24.

SApiéntia laudábit ánimam suam, & in Deo honorábitur, & in médio pópuli sui gloriábitur, & in ecclésiis Altíssimi apériet os suum, & in conspectu virtútis illíus gloriábitur, & in médio pópuli sui exaltábitur, & in plenitúdine sanctâ admirábitur, & in multitúdine electórum habébit laudem, & inter benedictos benedicétur, dicens: Ego ex ore Altíssimi, prodívi primogénita ante omnem creatúram: Ego feci in cœlis ut orirétur lumen indefíciens, & sicut nébula texi omnem terram.

℟. Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret à princípio; * Ab ætérno ordináta sum, & ex antíquis ántequam terra fíeret. ℣. Ex Deo processi & veni. * Ab. *Prov.* 8. *Joan.* 8.

LECTIO II.

EGo in altíssimis habitávi, & thronus meus in columnâ nubis. Gyrum cœ-

:uívi sola, & profun-
abyssi penetrávi, in
bus maris ambulávi,
omni terrâ steti: & in
pópulo, & in omni
primátum hábui: &
um excelléntium &
lium corda virtúte
ri: & in his ómnibus
em quæsívi, & in hæ-
te Dómini morábor.
præcépit & dixit mi-
reátor ómnium: &
eávit me, requiévit
ernáculo meo, & di-
ihi: In Jacob inhá-
& in Israel hæreditá-
in electis meis mitte
s.
Pater meus usque mo-
erátur, & ego óperor:
æcumque enim ille
t, hæc & Filius simí-
acit. ℣. Quando præ-
at cœlos áderam;
o eram cuncta com-
s. * Quæcumque.
Prov. 8.

LECTIO III.

inítio & ante sécula
reáta sum, & usque
túrum séculum non
m, & in habitatió-
ctâ coram ipso mini-
. Et sic in Sion firmá-
a, & in civitáte san-
tâ símiliter requiévi,
Jerúsalem potestas
Et radicávi in pópulo
ificáto, & in parte
ei hæréditas illíus,
enitúdine sanctórum
io mea.

℟. Ego sapiéntia hábito in consílio, & erudítis intersum cogitatiónibus; * Ego diligentes me díligo, & qui manè vígilant ad me, invénient me. ℣. Qui habet mandáta mea, & servat ea, ille est qui díligit me; & ego díligam eum, & manifestábo ei meipsum. * Ego. *Prov.* 8. *Joan.* 14.

LECTIO IV.

Ego mater pulchræ dilectiónis, & timóris, & agnitiónis, & sanctæ spei. In me grátia omnis viæ & veritátis, in me omnis spes vitæ & virtútis. Transite ad me omnes qui concupíscitis me, & à generatiónibus meis impleémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, & hæréditas mea super mel & favum. Memória mea in generatiónes seculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient; & qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me non confundétur: & qui operantur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam æternam habébunt.

℟. Qui me invénerit, invéniet vitam, & háuriet salútem à Dómino; * Qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. ℣. Qui credit in me, habet vitam æternam; * Qui. ℣. Glória. * Qui. *Prov.* 8. *Joan.* 6.

## IN II. NOCTURNO.

### LECTIO V.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de Oratióne Domínicâ. *Ed. Baluz.*

INter cætera salutária sua mónita & præcepta divína quibus pópulo suo cónsulit Deus ad salútem, étiã orandi ipse formam dedit, ipse quid precarémur mónuit & instruxit. Qui fecit vívere, dócuit & oráre, benignitáte eâ scílicet quâ & cætera dare & conferre dignátus est, ut, dum prece & oratióne quam Filius dócuit apud Patrem lóquimur, facílius audiámur. Jam prædíxerat horam veníre quando veri adoratóres adórent Patrem in spíritu & veritáte, & implévit quod antè promísit; ut qui spíritum & veritátem de ejus sanctificatióne percépimus, de traditióne quoque ejus verè & spirituáliter adorémus. Quæ enim potest esse magis spirituális orátio, quàm quæ à Christo nobis data est, à quo nobis & Spíritus sanctus missus est? Quæ vera magis apud Patrem precátio, quam quæ à Fílio, qui est Véritas, de ejus ore proláta est? ut áliter oráre quàm dócuit, non ignorántia sola sit, sed & culpa.

℟. Venit hora, & nunc est, quando veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu & veritáte: * Nam & Pater tales quærit qui adórent eum. ℣. Spíritus est Deus, & eos qui adórant eum, in spíritu & veritáte oportet adoráre. * Nam. *Joan.* 4.

### LECTIO VI.

ORémus, ítaque, fratres dilectíssimi, sicut magister Deus dócuit. Amíca & familiáris orátio est Deum de suo rogáre, ad aures ejus ascéndere Christi oratióne. Agnoscat Pater Fílii verba, cùm precem fácimus. Qui hábitat intùs in péctore, ipse sit & in voce. Et cùm ipsum habeámus apud Patrem advocátum pro peccátis nostris, quando peccatóres pro delíctis nostris pétimus, advocáti nostri verba promámus. Nam cùm dicat quia quodcumque petiérimus à Patre in nómine ejus dabit nobis, quantò efficáciùs impetrámus quod pétimus in Christi nómine, si petámus ipsíus oratióne? Sit autem orántibus sermo & precátio cum disciplínâ, quiétem cóntinens & pudórem. Cogitémus nos sub conspectu Dei stare. Placendum est divínis óculis, & hábitu córporis & modo vocis. Nam ut impudentis est clamóribus strépere, ita contrà cóngruit verecundo modestis précibus

oráre. Dénique magistério suo Dóminus secrétò oráre nos præcépit, in ábditis & semótis locis, in cubículis ipsis, quod magis cónvenit fidei; ut sciámus Deum ubíque esse præséntem, audíre omnes & vidére, & majestátis suæ plenitúdine in ábdita quoque & occulta penetráre.

℟. Cùm oráveris, intra in cubículum tuum, & clauso óstio, * Ora Patrem tuum in abscóndito: & Pater tuus qui videt in abscóndito, reddet tibi. ℣. Cùm orátis, non éritis sicut hypócritæ, qui amant in synagógis & in ángulis plateárum stantes oráre, ut videantur ab homínibus. * Ora. *Matth. 6.*

LECTIO VII.

ET quando in unum cum frátribus convenímus, & sacrifícia divína cum Dei sacerdóte celebrámus, verecúndiæ & disciplínæ mémores esse debémus, non passìm ventiláre preces nostras incónditis vócibus, nec petitiónem commendandam modestè, Deo tumultuósâ loquacitáte jactáre, quia Deus non vocis, sed cordis audítor est, nec admonendus est clamóribus qui cogitatiónes hóminum videt. Adórans autem nec illud ignóret quemádmodum in templo cum Pharisæo Publicánus oráverit, non allevátis in cœlum impudenter óculis, nec mánibus insolenter eréctis, sed pectus suum pulsans, & peccáta intùs inclúsa contestans divínæ misericórdiæ implorábat auxílium. Et cùm sibi Pharisæus placéret, sanctificári hic magis méruit qui sic rogávit, qui spem salútis non in fidúciâ innocéntiæ suæ pósuit, cùm innocens nemo sit: sed peccáta confessus humíliter orávit; & exaudívit orantem qui humílibus ignoscit.

℟. Publicánus à longè stans, nolébat nec óculos ad cœlum leváre: sed percutiébat pectus suum, dicens: Deus, propítius esto mihi peccatóri. * Dico vobis, descendit hic justificátus in domum suam. ℣. Orátio humiliantis se nubes penetrábit, & non discédet, donec Altíssimus adspíciat. * Dico. *Luc.* 18. *Eccli.* 35.

LECTIO VIII.

ANte ómnia pacis Doctor atque unitátis Magister singillátim nóluit & privátim precem fieri, ut quis cùm precátur, non pro se tantùm precétur. Non enim dícimus: Pater meus qui es in cœlis, nec: Panem meum da mihi hódie; nec dimitti sibi tantùm unusquisque débitum

póstulat, aut ut in tentatiónem non inducátur, atque à malo liberétur, pro se solo rogat. Pública est nobis & commúnis orátio; & quando orámus, non pro uno, sed pro toto pópulo orámus, quia totus pópulus unum sumus. Deus pacis & concórdiæ Magister, qui dócuit unitátem, sic oráre unum pro ómnibus vóluit quómodo in uno omnes ipse portávit: quia Deus, qui inhabitáre facit unánimes in domo, non admittit in divínam & ætérnam domum, nisi eos apud quos est unánimis orátio.

℞. Multi unum corpus sumus in Christo: sínguli autem alter altérius membra. * Etenim in uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti sumus: ut pro ínvicem sollícita sint membra. ℣. Oráte ergo pro ínvicem, ut salvémini. * Etenim. ℣. Glória. * Etenim. *Rom.* 12. *I. Cor.* 12. *Jac.* 5.

## IN III. NOCTURNO.

### Lectio IX.

Ex Epístolâ cathólicâ beáti Jacóbi Apóstoli.

*Cap.* 4.

UNde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiscéntiis vestris quæ mílitant in membris vestris? Concupíscitis, & non habétis, occíditis & zelátis, & non potéstis adipísci: litigátis & belligerátis, & non habétis, propter quod non postulátis. Pétitis, & non accípitis, eo quòd malè petátis: ut in concupiscéntiis vestris insumátis.

℞. Nolíte dilígere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: * Quóniam omne quod est in mundo, concupiscéntia carnis est, & concupiscéntia oculórum & supérbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. ℣. Si quis díligit mundum, non est cáritas Patris in eo. * Quóniam. *I. Joan.* 2.

### Lectio X.

ADúlteri, nescítis quia amicítia hujus mundi, inimíca est Dei? Quicumque ergo volúerit amícus esse séculi hujus, inimícus Dei constitúitur. An putátis quia inániter Scriptúra dicat: Ad invídiam concupíscit spíritus qui hábitat in vobis? Majórem autem dat grátiam. Propter quod dicit: Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. Súbditi ergo estóte Deo, resístite autem diábolo & fúgiet à vobis.

℞. Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. * Humiliámini ígitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in témpore visitatiónis. ℣. Supérbum séquitur humílitas:

t húmilem spíritu suscíiet glória. * Humiliámini. I. Petr. 5. Prov. 29.

LECTIO XI.

APpropinquáte Deo, & appropinquábit vobis. Emundáte manus, peccatóres; & purificáte corda, dúplices ánimo. Míseri estóte, & lugéte, et ploráte: risus vester in luctum convertátur, & gáudium in mœrórem. Humiliámini in conspectu Dómini, & exaltábit vos. Nolite detráhere altérutrum, fratres. Qui détrahit fratri, aut qui júdicat fratrem suum, détrahit legi, & júdicat legem. Si autem júdicas legem, non es factor legis, sed judex. Unus est legislátor, & judex, qui potest pérdere, & liberáre.

℟. Nolíte judicáre, ut non judicémini: * In quo enim judício judicavéritis, judicabímini. ℣. Judícium sine misericórdiâ illi qui non fecit misericórdiam: * In quo. Matth. 7. Jac. 2.

LECTIO XII.

TU autem quis es, qui júdicas próximum? Ecce nunc qui dícitis: Hódie aut crástino íbimus in illam civitátem, & faciémus ibi quidem annum, & mercábimur, & lucrum faciémus: qui ignorátis quid erit in crástino. Quæ est enim vita vestra? vapor est ad módicum parens, & deinceps exterminábitur; pro eo ut dicátis: Si Dóminus volúerit; & : vixérimus, faciémus hoc aut illud. Nunc autem exsultátis in supérbiis vestris. Omnis exsultátio talis, maligna est. Scienti ígitur bonum fácere, & non facienti, peccátum est illi.

℟. Bonum facientes, non deficiámus; témpore enim suo metémus, non deficientes. * Ergo dum tempus habémus, operémur bonum. ℣. Omnes mórimur, & quasi aquæ dilábimur in terram, quæ non revertuntur. * Ergo. ℣. Glória. * Ergo. Gal. 6. II. Reg. 14.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

Cap. 10.

COnversus Jesus ad discípulos suos, dixit: Beáti óculi qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis, quòd multi Prophétæ & reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, & non vidérunt; & audíre quæ audítis, & non audiérunt. Et ecce quidam Legisperítus surrexit tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo vitam ætérnam possidébo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quómodo legis? Ille respondens di-

xit : Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ ánimâ tuâ, & ex ómnibus víribus tuis, & ex omni mente tuâ: & próximum tuum ficut teipsum. Dixitque illi: Rectè respondisti: hoc fac, & vives. Ille autem volens justificáre seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus próximus? Suscípiens autē Jesus, dixit: Homo quidam descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, & íncidit in latrónes, qui étiam despoliavérunt eum, & plagis impósitis, abiérunt, semivívo relicto. Accidit autem ut sacerdos quidam descénderet eâdem viâ; & viso illo prætérivit. Simíliter & levíta, cùm esset secus locum, & vidéret eum, pertránsiit. Samaritánus autem quidam iter fáciens, venit secus eum; & videns eum, misericórdiâ motus est. Et appróPians alligávit vúlnera ejus, infundens óleum & vinum: & impónens illum in jumentum suum, duxit in stábulum, & curam ejus egit. Et álterâ die prótulit duos denários, & dedit stabulário, & ait: Curam illíus habe, & quodcumque supererogáveris, ego cùm rediero, reddam tibi. Quis horum trium vidétur tibi próximus fuisse illi qui íncidit in latrónes? At ille dixit: Qui fecit misericórdiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade & tu fac simíliter.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Legisperitus tentans Jesum dixit: Magister, quid faciendo vitam ætemam possidébo? At ille respondens dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quómodo legis? Qui respondens dixit: Díliges Dóminum Deum tuum. *Luc.* 10.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

OMnípotens & miséricors Deus, de cujus múnere venit, ut tibi à fidélibus tuis digne & laudabíliter serviátur: † tríbue, quæsumus, nobis, * ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Bituricensi. *An.* 1584. *Tit.* I.

MOdis ómnibus nobis adorandus, colendus, & invocandus est Deus, in votis & necessitátibus nostris. Vera autem adorátio, in spíritu & in veritáte esse debet: in spíritu quidem adórant, qui mentis affectu Deum colunt; in veritáte, qui cultu exterióre & piis opéribus mentis affectum testantur & éxprimunt: Perfecta ígitur adorátio est, cùm ánimâ simul & córpore, divíno obséquio mancipámur.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ ánimâ tuâ, & ex ómnibus víribus tuis, & ex omni mente tuâ; & próximum tuum sicut teípsum. Hoc fac, & vives. *Luc.* 10.

---

FERIA SECUNDA.

LECTIO I.

Ex Libro Ecclesiástici.

*Cap.* 24.

LEgem mandávit Móyses in præceptis justitiárum, & hæreditátem dómui Jacob, & Israel promissiónes. Pósuit David púero suo excitáre regem ex ipso fortíssimum, & in throno honóris sedentem in sempitérnum. Qui implet quasi Phison sapiéntiam, & sicut Tigris in diébus novórum. Qui adimplet quasi Euphrátes sensum. ¶ Ego sapiéntia quasi trames aquæ immensæ de flúvio, exívi de paradíso. Doctrínam quasi antelucánum illúmino ómnibus, & enarrábo illam usque ad longínquum. Penetrábo omnes inferióres partes terræ, & inspíciam omnes dormientes, & illuminábo omnes sperantes in Dómino. Adhuc doctrínam quasi prophetíam effundam, & relínquam illam quæréntibus sapiéntiam, & non désinam in progénies illórum usque in ævum sánctum.

*Respensoria ut heri in I. Nocturno, pag.* 412.

LECTIO II. *Cap.* 24. & 28.

IN tribus plácitum est spíritui meo, quæ sunt probáta coram Deo & homínibus. Concórdia fratrum, & amor proximórum, & vir & múlier bene sibi consentientes. Tres spécies odívit ánima mea, & ággravor valde ánimæ illórum: páuperem supérbum; dívitem mendácem; senem fátuum & insensátum. A muliere inítium factum est peccáti, & per illam omnes mórimur: ¶ Qui vindicári vult, à Dómino invéniet vindíctam, & peccáta illíus servans servábit. Homo hómini resérvat iram, & à Deo quærit medélam? Ipse cùm caro sit, resérvat iram, & propitiatiónem petit à Deo? Quis exorábit pro peccátis illíus? Memento novissimórum, & désine inimicári.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de Oratióne Domínicâ. *Ed. Baluz.*

QUália sunt Oratiónis Domínicæ sacramenta, quàm multa, quàm magna, bréviter in sermóne collecta! Sed in virtúte spiritá-

liter copióſa, ut nihil omninò prætermiſſum ſit, quod non in précibus atque orationibus noſtris cœleſtis doctrinæ compéndio comprehendátur. Sic, ait, oráte: Pater noſter qui es in cœlis. Homo novus, renátus, & Deo ſuo per grátiam ejus reſtitútus, Pater primo in loco dicit, quia filius eſſe jam cœpit. Qui ergo crédidit in nómine ejus, & factus eſt Dei filius, hinc debet incípere, ut & grátias agat & profiteátur ſe Dei filium, dum nóminat patrem ſibi eſſe in cœlis Deum; conteſtétur quoque inter prima ſtatim nativitátis ſuæ verba renuntiaſſe ſe terréno & carnáli patri, & Patrem ſolum noſſe ſe & habére cœpiſſe. Dóminus in Evangélio ſuo præcépit ne vocémus nobis patrem in terrâ, quòd ſit ſcílicet nobis unus pater qui eſt in cœlis. Nec hoc ſolùm animadvertere & intellígere debémus quòd appellémus patrem qui ſit in cœlis, ſed conjúngimus & dicimus: Pater noſter, id eſt eórum qui credunt, eórum qui per eum ſanctificáti, & grátiæ ſpiritális nativitáte reparáti, filii Dei eſſe cœpérunt. Quanta Dómini indulgéntia, quanta circa nos dignatiónis ejus & bonitátis ubertas; qui ſic nos volúerit oratiónem celebráre, in conſpectu Dei, ut Deum Patrem vocémus, & ut eſt Chriſtus Dei filius, ſic & nos Dei filios nuncupémus? Quod nomen nemo noſtrùm in oratióne audéret adtíngere, niſi ipſe nobis ſic permiſiſſet oráre. Meminiſſe ítaque & ſcire debémus quia quando patrem Deum dícimus, quaſi filii Dei ágere debémus, ut quómodo nos nobis placémus de Deo patre, ſic ſibi pláceat & ille de nobis. Conversémur quaſi Dei templa, ut Deum in nobis conſtet habitáre. Nec ſit dégener actus noſter à ſpíritu, ut qui cœleſtes & ſpiritáles eſſe cœpimus, non niſi ſpiritália & cœléſtia cogitémus & agámus.

℟. Filius honórat patrem, & ſervus Dóminum: * Si ergo pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi Dóminus ego ſum, ubi eſt timor meus? dicit Dóminus exercítuū. ℣. Patrem invocátis eum, qui ſine acceptióne perſonárum júdicat ſecundùm uniuſcujuſque opus. * Si ergo. ℣. Glória. * Si ergo. *Malach.* 1. *I. Petr.* 1.

CANON.

Ex Concílio Bituricenſi. *An.* 1584. *Tit.* 1. *Cap.* 1.

Adorantes & ad oratiónem ſtantes, videant ut omnis aliéna cogitátio abſcédat, nec quicquàm

tunc ánimus cógitet, præter id solum quod precátur.

---

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Libro Ecclesiástici.

*Cap.* 28 & 30.

SUsurro & bilinguis maledíctus: multos enim turbábit pacem habentes. Multi cecidérunt in ore gládii, sed non sic quasi qui interiérunt per linguam suam. Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audíre, & ori tuo fácito óstia & seras. ¶ Qui díligit filium suum, assíduat illi flagella; ut lætétur in novíssimo suo, & non palpet proximórum óstia. Lacta filium, & paventem te fáciet: lude cum eo, & contristábit te. Non corrídeas illi, ne dóleas, & in novíssimo obstupescent dentes tui. Non des illi potestátem in juventúte, & ne despícias cogitátus illius.

LECTIO II.

*Cap.* 30, 31 & 32.

MIserére ánimæ tuæ placens Deo, & cóntine. Cóngrega cor tuum in sanctitáte ejus, & tristítiam longè repelle à te. Multos enim occídit tristítia, & non est utílitas in illâ. Zelus & iracúndia mínuunt dies, & ante tempus senectam addúcet cogitátus. ¶ Beátus dives, qui inventus est sine máculâ, & qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúniâ & thesauris. Quis est hic, & laudábimus eum? fecit enim mirabília in vitâ suâ. Qui probátus est in illo, & perfectus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, & non est transgressus: fácere mala, & non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, & eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum. Fili, sine consílio nihil fácias, & post factum non pœnitébis. In omni ópere tuo crede ex fide ánimæ tuæ, hoc est enim conservátio mandatórum. Qui credit Deo, attendit mandátis; & qui confídit in illo, non minorábitur.

℟. I. Ne témerè quid loquáris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermónem coram Deo: Deus enim in cœlo, & tu super terram: * Idcirco sint pauci sermónes tui. ℣. Si quis putat se religiósum esse non refrænans linguam suam, sed sedúcens cor suum, hujus vana est relígio; * Idcirco. *Ecclesi.* 5. *Jac.* 1.

℟. II. Noli subtráhere à púero disciplínam: * Si enim percússeris eum virgâ, non moriétur, & áni-

mam ejus ab inferno liberábis. ℣. Curva cervícem ejus in juventúte, & tunde látera ejus dum infans est ; * Si. *Prov.* 23. *Eccli.* 30.

℟. III. Tristítiam non des ánimæ tuæ, & * Non afflígas temetipsum in consílio tuo. ℣. Séculi tristítia mortem operátur. * Non. *Eccli.* 30. *II. Cor.* 7.

℟. IV. Non próderunt divítiæ in die ultiónis ; * Justítia autem liberábit à morte. ℣. Qui confídit in divítiis suis, córruet. * Justítia. ℣. Glória. * Justítia. *Prov.* 11.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de Oratióne Domínicâ. *Ed. Baluz.*

POst hoc dícimus : Sanctificétur nomen tuum. Non quod optémus Deo ut sanctificétur oratiónibus nostris ; sed quòd petámus ab eo ut nomen ejus sanctificátur in nobis. Cæterùm à quo Deus sanctificátur, qui ipse sanctíficat? Sed quia ipse dixit : Sancti estóte, quóniam & ego Sanctus sum, id pétimus & rogámus ut qui in baptísmo sanctificáti sumus, in eo quod esse cœpimus perseverémus : & hoc quotídie deprecámur ; opus est enim nobis quotidiánâ sanctificatióne, ut qui quotídie delínquimus, delicta nostra sanctificatióne assíduâ repurgémus. Séquitur in oratióne : Advéniat regnum tuum. Regnum étiã Dei repræsentári nobis pétimus, sicuti & nomen ejus ut in nobis sanctificétur postulámus. Nam Deus quando non regnat, aut apud Deum quando íncipit quod & semper fuit & esse non désinit ? Nostrum regnum pétimus adveníre à Deo nobis repromissum, Christi sánguine & passióne quæsítum ; ut qui in século ante servívimus, postmodum Christo dominante regnémus. Potest verò & ipse Christus esse regnum Dei, quem veníre quotídie cupímus, cujus adventus ut citò repræsentétur optámus. Nam cùm resurréctio ipse nostra sit, quia in ipso resúrgimus ; sic & regnum Dei potest ipse intélligi, quia in illo regnatúri sumus.

℟. Occísus es, Dómine, & redemísti nos Deo, in sánguine tuo, & fecísti nos Deo nostro regnum & sacerdótes : * Et regnábimus super terram. ℣. Dómine Deus, custódi partem tuam, & sanctífica. * Et. ℣. Glória, * Et. *Apoc.* 2. *II. Mach.* 1.

CANON.

Ex Concílio Bituricensi. *An.* 1584. *tit.* 1. *Can.* 2.

CHristus Dóminus pacis & concórdiæ magister, qui dócuit unitá-

rem, sic oráre unum pro ómnibus vóluit, ut omnes in uno ipse portávit: facit habitáre unánimes in domo, & Apóstolos dócuit unanímiter perseveráre in oratióne: & qui dixit: Ubi duo aut tres fuerint congregáti in nómine meo, in médio sum eórum, quómodo non áderit multitúdini fidélium ad honórem & glóriam ejus congregátæ? Ut itaque pública & commúnis orátio ritè & solémniter fiat, psallant omnes clérici uno ore & concentu cum choro.

---

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Libro Ecclesiástici.

*Cap.* 33.

QUare dies diem súperat, & íterum lux lucem, & annus annum à sole? A Dómini sciéntiâ separáti sunt, facto sole, & præceptum custodiente. Et immutávit témpora, & dies festos ipsórum, & in illis dies festos celebravérunt ad horam. Ex ipsis exaltávit & magnificávit Deus, & ex ipsis pósuit in númerum diérum. ¶ Et omnes hómines de solo & ex terrâ, unde creátus est Adam. In multitúdine disciplínæ Dóminus separávit eos, & immutávit vias eórum. Ex ipsis benedixit & exaltávit: & ex ipsis sanctificávit, & ad se applicávit: & ex ipsis maledixit, & humiliávit, & convertit illos à separatióne ipsórũ. Quasi lutum figuli in manu ipsíus, plasmáre illud & dispónere. Omnes viæ ejus secundùm dispositiónem ejus: sic homo in manu illíus qui se fecit, & reddet illi secundùm judícium suum.

LECTIO II. *Cap.* 34.

DOna iniquórum non probat Altíssimus, nec réspicit in oblatiónes iniquórum, nec in multitúdine sacrificiórum eórum propitiábitur peccátis. Qui offert sacrifícium ex substántiâ páuperum, quasi qui víctimat fílium in conspectu patris sui. Panis egéntium vita páuperum est: qui defraudat illum, homo sánguinis est. Qui aufert in sudóre panem, quasi qui occídit próximum suum. ¶ Qui effundit sánguinem, & qui fraudem facit mercenário, fratres sunt. Qui baptizátur à mórtuo, & íterum tangit eum, quid próficit lavátio illíus? Sic homo qui jejúnat in peccátis suis: & íterum éadem fáciens, quid próficit humiliándo se? oratiónem illíus quis exáudiet?

℟. I. Juxta voluntátem suam facit Deus tam in virtútibus cœli, quàm in

habitatóribus terræ, * Et non est qui resistat mánui ejus, & dicat ei: Quare fecisti? ℣. Omnia quæcumque vóluit, Dóminus fecit in cœlo & in terrâ. * Et. *Dan.* 4. *Ps.* 134.

℟. II. Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? * An non habet potestátem figulus luti, ex eâdem massâ fácere áliud quidem vas in honórem, áliud verò in contuméliam? ℣. Ecce sicut lutum figuli, sic vos in manu meâ. * An non. *Rom.* 9. *Jerem.* 18.

℟. III. Oblátio justi impinguat altáre, * Et odor suavitátis est in conspectu Altíssimi. ℣. Sacrificium justi acceptum est, * Et. *Eccli.* 35.

℟. IV. Si refugientes coinquinatiónes mundi in cognitióne Dómini nostri, his rursus implicáti superantur: * Facta sunt eis posterióra deterióra prióribus. ℣. Cóntigit eis illud veri provérbii: canis reversus ad vómitum suum. * Facta. ℣. Glória. * Facta. *II. Petr.* 2.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de Oratióne Domínicâ. *Ed. Baluz.*

DIcimus: Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terrâ, non ut Deus fáciat quod vult, sed ut nos fácere possímus quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit quóminùs quod velit fáciat? Sed quia nobis à diábolo obsístitur quóminùs per ómnia noster ánimus atque actus Deo obsequátur, orámus & pétimus, ut fiat in nobis voluntas Dei, quæ ut fiat in nobis opus est Dei voluntáte: id est, ope ejus & protectióne; quia nemo suis víribus fortis est: sed Dei indulgéntiâ & misericórdiâ tutus est. Voluntas autem Dei est quam Christus & fecit & dócuit. Humílitas in conversatióne, stabílitas in fide, verecúndia in verbis, in factis justítia, in opéribus misericórdia, in móribus disciplína, injúriam fácere non nosse, & factam posse toleráre, cum frátribus pacem tenére, Deum toto corde dilígere. Fieri autem pétimus voluntátem Dei in cœlo & in terrâ, quod utrumque ad consummatiónem nostræ incolumitátis pértinet & salútis. Potest & sic intélligi, ut quóniam mandat & monet Dóminus etiam inimícos dilígere, & pro iis quoque qui nos persequuntur oráre, petámus & pro illis qui adhuc in terrâ sunt, & necdum cæléstes esse cœpérunt, ut circa illos voluntas Dei fiat quam Christus hóminem

conservando & redintegrando perfécit.

℟. Notam fac mihi, Dómine, viam in quâ ámbulem; doce me fácere voluntátem tuam: * Quia Deus meus es tu. ℣. Non mea volúntas, sed tua fiat. * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Ps.* 142. *Luc.* 22.

CANON.

Ex Concílio Bituricensi. *An.* 1584. *tit.* 2.

EX fide náscitur vera adorátio, & quasi ab illâ fovétur: postquàm enim edocti miráculo discípuli crediderunt Jesum esse Christum, accessérunt & adoravérunt eum, dicentes: Verè Dei filius es. Et Christus ad cæcum illuminátum, ait: Credis-ne in filium Dei? Cæcus autem: Quis est, Dómine, ut credam in eum? Respondit Jesus: Vidisti eum; & qui tecum lóquitur, ipse est. Ad hæc prótinùs ille; Credo, Dómine: & adorávit eum.

---

# FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Libro Ecclesiástici. *Cap.* 35.

QUi consérvat legem, multíplicat oblatiónem. Sacrifícium salutáre est adténdere mandátis, & discédere ab omni iniquitáte. Et propitiatiónem litáre sacrifícii super injustítias, & deprecátio pro peccátis recédere ab injustítiâ. Retríbuet grátiam, qui offert similáginem: & qui facit misericórdiam, offert sacrifícium. ¶ Non accípiet Dóminus persónam in páuperem, & deprecatiónem læsi exáudiet. Non despíciet preces pupilli: nec víduam, si effundat loquélam gémitûs. Nonne lácrymæ víduæ ad maxillam descendunt, & exclamátio ejus super deducentem eas? A maxillâ enim ascendunt usque ad cœlum, & Dóminus exaudítor non delectábitur in illis.

LECTIO II. *Cap.* 36.

COngrega, Dómine, omnes tribus Jacob: ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnália tua: & hæreditábis eos sicut ab inítio. Miserére plebi tuæ, super quam invocátum est nomen tuum: & Israel quem coæquasti primogénito tuo. Miserére civitáti sanctificatiónis tuæ Jerúsalem, civitáti requiéi tuæ. Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, & glóriâ tuâ pópulum tuum. ¶ Da testimónium his qui ab inítio creatúræ tuæ sunt, & súscita prædicatiónes quas locúti sunt in nómine tuo prophétæ prióres. Da mercédem sustinéntibus te, ut

prophétæ tui fidéles inveniantur: & exaudi oratiónes servórum tuórum secundùm benedictiónem Aaron de pópulo tuo, & dírige nos in viam justítiæ, & sciant omnes qui hábitant terram, quia tu es Deus conspéctor seculórum.

℟. I. Numquid vult Dóminus holocausta & víctimas, & non pótiùs ut obediátur voci Dómini? * Quóniam quasi peccátum ariolandi est repugnáre: & quasi scelus idololátriæ nolle acquiéscere. ℣. Mélior est obediéntia quàm víctimæ: * Quóniam. *I. Reg.* 15.

℟. II. Orátio humiliantis se nubes penetrábit; * Et Dóminus non elongábit; sed judicábit justos & fáciet judícium. ℣. Non consolábitur, & non discédet donec Altíssimus adspíciat. * Et. *Eccli.* 35.

℟. III. Sicut in conspectu eórum sanctificátus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificáberis in eis, * Ut cognoscant te, sicut & nos cognóvimus. ℣. Véniet ex Sion, qui erípiat, & avertat impietátem à Jacob. * Ut. *Eccli.* 36. *Rom.* 11.

℟. IV. Dabis veritátem Jacob, misericórdiã Abraham, quæ jurasti pátribus nostris à diébus antíquis; * Ut cognoscant quia non est Deus nisi tu, & enarrent mirabília tua. ℣. Festína tempus, & meménto finis; * Ut. ℣. Glória. * Ut. *Mich.* 7. *Eccli.* 36.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de Oratióne Domínicâ. *Ed. Baluz.*

PRocedente oratióne postulámus & dícimus: Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie. Quod potest & spirituáliter & simplíciter intélligi; quia & uterque intellectus utilitáte divínâ próficit ad salútem. Nam panis vitæ Christus est, & panis hic ómnium non est, sed noster est. Et quómodo dícimus: Pater noster, quia intelligéntium & credéntium pater est, sic & panem nostrum vocámus, quia Christus eórum qui corpus ejus contingunt panis est. Nunc autem panem dari nobis quotídie postulámus, ne qui in Christo sumus, & Eucharístiam quotídie ad cibum salútis accépimus, intercedente áliquo gravióre delicto, dum abstenti & non communicantes à cœlesti pane prohibémur, à Christi córpore separémur. Potest verò & sic intélligi, ut qui século renuntiávimus, & divítias ejus & pompas fide grátiæ spiri-

tális abjécimus, cibum nobis tantum petámus & victum. Mérito ergo Christi discípulus victum sibi in in diem póstulat, qui de crástino cogitáre prohibétur; quia & contrárium sibi sit & repugnans, ut quærámus in século diu vívere qui pétimus regnum Dei velóciter adveníre. Quæréntibus regnum & justítiam Dei, ómnia promittit appóni. Nam cùm Dei sint ómnia, habenti Deum nihil déerit, si Deo ipse non desit.

℟. Pater meus dat vobis panem de cœlo verum: panis enim Dei est qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. * Dómine, semper da nobis panem hunc. ℣. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. * Dómine. ℣. Glória. * Dómine. *Joan.* 6.

CANON.
Ex Concílio Bituricensi.
*An.* 1584. *Tit.* 2.

Fidem divus Paulus défínit substántiam rerum sperandárum, argumentum non apparéntium. Res vero sperandæ, sunt res cœlestes & invisíbiles. Orígo autem fídei ex Deo est: nam, fides est donum Dei; & Dóminus: Nemo venit ad me, nisi pater meus tráxerit illum; & íterum Dóminus ad Petrum: Caro & sanguis non revelávit tibi, sed pater meus cœlestis; fides autem est Christianórum victória: nam fide víncimus mundum.

FERIA SEXTA.
LECTIO I.
Ex Libro Ecclesiástici.
*Cap.* 39 & 40.

Bona bonis creáta sunt ab inítio, sic nequíssimis bona & mala. Sunt spíritûs, qui ad vindíctam creáti sunt, & in furóre suo confirmavérunt torménta sua. Ignis, grando, fames & mors, ómnia hæc ad vindíctam creáta sunt: bestiárum dentes, & scórpii, & serpentes, & rhomphæa víndicans in extermínium ímpios. Omnia ópera Dómini bona, & omne opus horâ suâ subministrábit. Non est dícere: Hoc illo néquiùs est: ómnia enim in témpore suo comprobabuntur. Et nunc in omni corde & ore collaudáte, & benedícite nomen Dómini. ¶ Occupátio magna creáta est ómnibus homínibus, & jugum grave super fílios Adam à die éxitûs de ventre matris eórum usque in diem sepultúræ in matrem ómnium. Cogitatiónes eórum, & timóres cordis, adinvéntio exspectatiónis, & dies finitiónis: à residente super sedem gloriósam, usque ad humiliátum in terrâ & ci-

nere: furor, zelus, tumultus, fluctuátio, & timor mortis, iracúndia persevérans, & conténtio.

LECTIO II. *Cap.* 41.

O Mors, quàm amára est memória tua hómini pacem habenti in substántiis suis; viro quiéto, & cujus viæ directæ sunt in ómnibus, & adhuc valenti accípere cibum! O mors, bonum est judícium tuum hómini indigenti, & qui minorátur víribus, defécto ætáte, & cui de ómnibus cura est, & incredíbili, qui perdit patiéntiam! ¶ Væ vobis, viri ímpii, qui dereliquístis legem Dómini Altíssimi. Et si nati fuéritis, in maledictióne nascémini: & si mórtui fuéritis, in maledictióne erit pars vestra. Omnia quæ de terrâ sunt, in terram convertentur: sic ímpii à maledicto in perditiónem.

℞. I. Omnia sanctis in bona; * Sic & ímpiis & peccatóribus in mala convertentur. ℣. Diligéntibus Deum omnia cooperantur in bonum, * Sic. *Eccli.* 39. *Rom.* 8.

℞. II. Non est justus quisquam. * Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt; non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum. ℣. Omnes peccavérunt, & egent glóriâ Dei. * Omnes. *Rom.* 3.

℞. III. Erunt ímpii decidentes sine honóre, & in contumélià inter mórtuos in perpétuum. * Justi autem in perpétuum vivent, & apud Dóminum est merces eórum. ℣. Mors peccatórum péssima. * Justi. *Sap.* 4 & 5. *Ps.* 33.

℞. IV. Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * Utquid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium? ℣. Omnis caro fœnum; & omnis glória ejus tamquàm flos fœni. * Utquid. ℣. Glória. * Utquid. *Ps.* 4. *I. Petr.* 1.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de Oratióne Domínicâ. *Ed. Baluz.*

POst hæc & pro peccátis nostris deprecámur, dicentes: Et remitte nobis débita nostra, sicut & nos remíttimus debitóribus nostris. Post subsídium cibi, pétitur & vénia delicti; ut qui à Deo páscitur, in Deo vivat, nec tantùm præsenti & temporáli vitæ, sed & ætérnæ consulátur, ad quã veníri potest si peccáta donentur. Quàm necessáriè autem, quam providenter & salutáriter admonémur quòd peccatóres sumus, qui pro peccátis rogáre compéllimur, ut dum indulgéntia de Deo pétitur, consciéntiæ suæ ánimus re-

cordétur. Ne quis sibi quasi innócens pláceat, & se extollendo plus péreat, instrúitur, & docétur peccáre se quotídie, dum quotídie pro peccátis jubétur oráre. Adjunxit planè & áddidit legem, certâ nos conditióne & sponsióne constringens, ut sic nobis dimitti débita postulémus, secundùm quod & ipsi debitóribus nostris dimíttimus, sciéntes impetrári non posse quod pro peccátis pétimus, nisi & ipsi circa debitóres nostros pária fecérimus.

℟. Cùm stábitis ad orandum, dimíttite si quid habétis adversùs áliquem: ut & Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccáta vestra; * Quòd si vos non dimiséritis, nec Pater vester dimittet vobis peccáta vestra. ℣. Si dimiséritis homínibus peccáta eórum: dimittet & vobis Pater vester cœlestis delícta vestra. *Quòd. ℣. Glória. *Quòd. *Marc.* 11. *Matth.* 6.

C A N O N.

Ex Concílio Bituricensi, *An.* 1584. *Tit.* 2.

ORandus est Dóminus, ut det nobis fidem, eam áugeat, succurrat nostræ incredulitáti, nobis fidéles verbi sui dispensatóres suppéditet, per quos fides docétur & audítur. Fides enim ex audítu.

S A B B A T O.

L E C T I O I.

Ex Libro Ecclesiástici. *Cap.* 42 & 43.

MEmor ero óperum Dómini, & quæ vidi annuntiábo. In sermónibus Dómini ópera ejus. Altitúdinis firmaméntum pulchritúdo Dei est, spécies cœli in visióne glóriæ. Sol in adspectu annúntians in éxitu, vas admirábile, opus Excelsi. Tripliciter sol exúrens montes, rádios ígneos exsufflans, & refulgens rádiis suis obcæcat óculos. Magnus Dóminus qui fecit illum, & in sermónibus ejus festinávit iter. Et luna in ómnibus in témpore suo, osténsio témporis & signum ævi. ¶ Spécies cœli glória stellárum, mundum illúminans in excelsis Dóminus. Vide arcum, & bénedic eum qui fecit illum: valde speciósus est in splendóre suo. Gyrávit cœlum in circúitu glóriæ suæ, manus Excelsi aperuérunt illum. Império suo accelerávit nivem & accélerat coruscatiónes emíttere judícii sui. Proptéreà aperti sunt thesauri, & evolavérunt nébulæ sicut aves.

L E C T I O II.

IN conspectu ejus commovebuntur montes, & in voluntáte ejus adspirábit

Notus. Vox tonítrui ejus verberábit terram, tempestas Aquilónis, & congregátio spíritûs: & sicut avis depónens ad sedendum, adspergit nivem, & sicut locusta demergens descensus ejus; pulchritúdinem candóris ejus admirábitur óculus, & super imbrem ejus expavescet cor. Gelu sicut salem effundet super terram: & dum geláverit, fiet tamquàm cacúmina tríbuli. Et devorábit montes, & exúret desertum, & extinguet víride sicut igne. In sermóne ejus síluit ventus, & cogitatióne suâ placávit abyssum, & plantávit in illâ Dóminus ínsulas. ¶ Qui navígant mare, enarrent perícula ejus: & audientes áuribus nostris admirábimur. Illic præclára ópera & mirabília: vária bestiárum génera, & ómnium pécorum, & creatúra belluárum. Terríbilis Dóminus, & magnus vehementer, & mirábilis poténtia ipsíus. Glorificantes Dóminum quantumcumque potuéritis, supervalébit enim adhuc, & admirábilis magnificéntia ejus.

℞. I. Cœli enarrant glóriam Dei, * Et ópera mánuum ejus annúntiat firmamentum. ℣. In sole pósuit tabernáculum suum; * Et. *Ps.* 18.

℞. II. Delectasti me, Dómine, in factúrâ tuâ, * Et in opéribus mánuum tuárum exsultábo. ℣. Memor ero ab inítio mirabílium tuórum. * Et. *Ps.* 91 *&* 76.

℞. III. Quis Deus magnus sicut Deus noster? * Tu es Deus qui facis mirabília. ℣. Tu terríbilis es, & quis resistet tibi? * Tu. *Ps.* 76 *&* 75.

℞. IV. Quàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine! ómnia in sapiéntiâ fecisti: * Impléta est terra possessióne tuâ. ℣. Dómine Deus meus, magnificátus es vehementer: * Impléta. ℣. Glória. * Impléta. *Ps.* 103.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de Oratióne Domínicâ. *Ed. Baluz.*

ILlud quoque necessárié ádmonet Dóminus ut in oratióne dicámus: Et ne nos patiáris indúci in tentatiónem. Quâ in parte osténditur nihil contrà nos adversárium posse, nisi Deus ante permíserit; ut omnis timor noster, & devótio, atque observátio ad Deum convertátur, quando in tentatiónibus nostris nihil malo líceat, nisi potestas inde tribuátur: datur autem potestas adversùs nos malo secundùm nostra peccáta. Potestas verò duplíci-

ter adversis nos datur, vel ad pœnam, cùm delínquimus, vel ad glóriam, cùm probámur. Quando autem rogámus ne in tentatiónem veniámus, admonémur infirmitátis & imbecillitátis nostræ, dum sic rogámus, ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbè atque arroganter áliquid assúmat. Quando autem dícimus: Líbera nos à malo, nihil rémanet quod ultrà adhuc débeat postulári, quando semel protectiónem Dei adversus malum petámus; quâ impetrátâ, contra ómnia quæ diábolus & mundus operantur secúri stamus & tuti. Quis enim ei de século metus est, cui in século Deus tutor est?

℟. Qui se exístimat stare, vídeat ne cadat. * Fidélis autem Deus est, qui non patiétur vos tentári supra id quod potestis: sed fáciet étiam cum tentatióne proventum ut possítis sustinére. ℣. Vigiláte, & oráte ut non intrétis in tentatiónem: spíritus quidem promptus est, caro autem infirma. * Fidélis. ℣. Glória. * Fidélis. *I. Cor.* 10. *Marc.* 14.

CANON.

Ex Concílio Senonensi.

*An.* 1528. *Decret. Mor. Can.* 1.

ORandus benigníssimus Deus, ut qui nostris iniquitátibus offensus hactenus in puppi dormitasse vidétur, exsurgat, & dissipentur inimíci ejus; Sanctíssimum Dóminum nostrum Papam & statum hierárchicum Ecclésiæ in perfectâ caritáte contíneat; & Christianíssimum Regem nostrum, ac suprémum Dóminum, incólumem nobis servet, votorumque cómpotem efficiat; ut commissus illi pópulus Deum únicum pacis autórem agnoscat, & in agendis illi grátiis totus ínhiet & inardescat.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Cóntigit ut Tobías fieret cæcus: hanc autem tentatiónem ídeo permísit Dóminus evenire illi, ut pósteris darétur exemplum patiéntiæ ejus, sicut & sancti Job. *Tob.* 2.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 437.

---

## DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

---

### *IN I. NOCTURNO.*

LECTIO I.

Incipit Liber Tobíæ.

*Cap.* 1.

TObías ex tribu & civitáte Népthali, cùm captus esset in diébus Salmánasar regis Assyriórum, in captivitáte tamen pósitus, viam veritátis non deséruit, ita ut ómnia,

quæ habére póterat, quotídie concaptívis frátribus impertíret. Cùmque esset júnior ómnibus in tribu Népthali, nihil tamen puerile gessit in ópere. Dénique cùm irent omnes ad vítulos áureos quos Jeróboam fécerat rex Israel, hic solus fugiébat consórtia ómnium, sed pergébat in Jerúsalem ad templum Dómini, & ibi adorábat Dóminum Deum Israel, ómnia primitíva sua & décimas suas fidéliter ófferens. Hæc & his simília secundùm legem Dei puérulus observábat.

℟. Bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dei. * Bonum est viro, cùm portáverit jugum ab adolescéntiâ suâ. ℣. Adolescens juxta viam suam, étiam cùm senúerit, non recédet ab eâ. * Bonum. *Thren.* 3. *Prov.* 22.

LECTIO II.

CUm verò factus esset vir, accépit uxórem Annam de tribu suâ, genuitque ex eâ filium, nomen suum impónens ei, quem ab infántiâ timére Deum dócuit, & abstinére ab omni peccáto. Igitur, cùm per captivitátem devenisset cum uxóre suâ, & filio in civitátem Níniven cum omni tribu suâ, iste custodívit ánimam suam. Et quóniam memor fuit Dómini in toto corde suo, dedit illi Deus grátiam in conspectu Salmánasar regis, & dedit illi potestátem quòcumque vellet ire, habens libertátem quæcumque fácere voluisset. Pergébat ergo ad omnes, qui erant in captivitáte, & mónita salútis dabat eis.

℟. Quis permansit in mandátis Dei, & derelictus est? * Quóniam pius & miséricors est, & protéctor est ómnibus exquiréntibus se in veritáte. ℣. Novit Dóminus pios de tentatióne erípere. * Quóniam. *Eccli.* 2. *II. Petr.* 2.

LECTIO III.

POst multum verò témporis, mórtuo Salmánasar rege, cùm regnáret Sennácherib filius ejus pro eo, & filios Israel exósos habéret in conspectu suo: Tobías quotídie pergébat per omnem cognatiónem suam, & consolabátur eos, dividebatque unicuíque, prout póterat, de facultátibus suis: esurientes alébat, nudísque vestimenta præbébat, & mórtuis atque occísis sepultúram sollícitus exhibébat.

℟. Totâ die miserétur justus & cómmodat: * Et semen illíus in benedictióne erit. ℣. Dispersit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in séculum séculi; * Et. *Ps.* 36 & 111.

LECTIO IV.

DEinde cùm reversus esset rex Sennácherib fúgiens à Judæâ plagam, quam circa eum fécerat Deus propter blasphémiam suam, & irátus multos occíderet ex filiis Israel, Tobías sepeliébat córpora eórum. At ubi nuntiátum est regi, jussit eum occídi, & tulit omnem substántiã ejus. Tobías verò cum filio suo, & cum uxóre fúgiens, nudus látuit, quia multi diligébant eum. Post dies verò quadraginta quinque occidérunt regem filii ipsíus, & reversus est Tobías in domum suam, omnisque facultas ejus restitúta est ei.

℟. Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum; & de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum. * Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum; & erípiet eos. ℣. Qui patiuntur secundùm voluntátem Dei, fidéli Creatóri commendent ánimas suas in benefactis. * Immittet. ℣. Glória. * Immittet. *Ps.* 33. *I. Petr.* 4.

*IN II. NOCTURNO.*

LECTIO V.

Ex Tractátu septuagésimo tértio sancti Augustíni Epíscopi in Joannem. *Edit. Bened. n.* 2 & 3.

QUómodo intelligendũ est: Quodcumque petiéritis in nómine meo, hoc fáciam? non ait: petiéritis utcumque, sed: in nómine meo. Qui promísit ergo tam magnum benefícium, quid vocátur? útique Christus Jesus: Christus signíficat Regem, Jesus signíficat Salvatórem; non útique nos salvos fáciet quicumque Rex, sed Rex Salvátor: ac per hoc quodcumque pétimus advérsùs utilitátem salútis, non pétimus in nómine Salvatóris. Et tamen ipse Salvátor est, non solùm quando facit quod pétimus, verùm étiam quando non facit: quóniam quod videt peti contra salútem, non faciendo pótiùs se exhibet Salvatórem: novit enim médicus quid pro suâ, quid contra suam salútem poscat ægrótus; & ideò contrária poscentis non facit voluntátem, ut fáciat sanitátẽ. Quapropter quando vólumus ut fáciat quodcumque pétimus, non utcumque, sed in nómine ejus petámus, hoc est in nómine Salvatóris petámus.

℟. Usque modo non petístis quidquam in nómine meo. * Pétite & accipiétis, ut gáudium vestrum sit plenum. ℣. Amen dico vobis, si quid petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vobis. * Pétite. *Joan.* 16.

LECTIO VI.

Ex Enarratióne ejusdem in Psalmum centésimum octávum. *n.* 9.

DE Judâ traditóre dícitur: Et orátio ejus

fiat in peccátum, quóniam non est justa orátio, nisi per Christum, quem véndidit immanitáte peccáti. Orátio autem quæ non fit per Christum, non solùm non potest delére peccátũ, sed étiam ipsa fit in peccátum. Quando autem Judas ita oráre potúerit, ut orátio ejus fieret in peccátum, quæri potest. Credo, ántequam Dóminum tráderet, & de illo tradendo jam cogitáret: non enim jam póterat oráre per Christum. Nam posteáquam illum trádidit, eumque pœnítuit, si per Christum oráret, indulgéntiam rogáret; si indulgéntiam rogáret, spem habéret; si spem habéret, misericórdiam speráret; si misericórdiam speráret, non sibi desperatióne collum ligáret.

℟. Orátio ejus fiat in peccátum, * Pro eo quòd non est recordátus fácere misericórdiam, & persecútus est hóminem inopem. ℣. Dilexit maledictiónem, & véniet ei; & nóluit benedictiónem, & elongábitur ab eo. * Pro eo. *Ps.* 108.

LECTIO VII.

Ex Sermóne ejusdem octogésimo tértio de verbis Evangélii. *Matth. n.* 2.

DUo sunt ópera misericórdiæ quæ nos líberant, quæ bréviter ipse Dóminus pósuit in Evangélio. Dimittite, & dimittétur vobis; date, & dábitur vobis. Dimíttite, & dimittétur vobis, ad ignoscendum pértinet. Date, & dábitur vobis, ad præstandum beneficium pértinet. Quod ait de ignoscendo; & tu vis tibi ignosci quod peccas, & habes álium cui tu possis ignóscere. Rursus quod pértinet ad tribuendum beneficium; petit te mendícus, & tu es Dei mendícus. Omnes enim quando orámus, mendíci Dei sumus; ante jánuam magni patris-famílias stamus, immo étiam prostérnimur, súpplices ingemíscimus áliquid volentes accípere, & ipsum áliquid, ipse Deus est.

℟. Cùm stábitis ad orandum, dimíttite si quis habétis adversùs áliquem; ut Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccáta vestra. * Eâdem quippe mensúrâ quâ mensi fuéritis, remetiétur vobis. ℣. Dimíttite, & dimittémini; date, & dábitur vobis. * Eâdem. *Marc.* 11. *Luc.* 6.

LECTIO VIII.

Ex Enarratióne ejusdem in Psalmum trigésimum séptimum. *n.* 14.

DEsidérium tuum orátio tua est: & si contínuum desidérium, contí-

a orátio. Non enim fru-
a dixit Apóstolus, sine in-
missióne oráte. Num-
id sine intermissióne ge-
flectimus, corpus pro-
rnimus, aut manus le-
mus, ut dicat, sine in-
missióne oráte? Aut si
dícimus nos oráre, hoc
to sine intermissióne non
ssumus fácere. Est ália in-
ior sine intermissióne
ítio, quæ est desidérium.
uidquid áliud agas, si
síderas illud sábbatum,
n intermittis oráre, si
n vis intermíttere oráre,
li intermíttere desiderá-
Contínuum desidérium
um, contínua vox tua
. Tacébis si amáre de-
teris. Frigus caritátis, si-
ntium cordis est: flagrán-
caritátis, clamor cordis
. Si semper manet cári-
, semper clamas; si
nper clamas, semper de-
eras; si desíderas, ré-
iem recordáris. Si autem
st desidérium, inest &
nitus. Non semper pér-
nit ad aures hóminum,
l nunquàm recédit ab áu-
us Dei.

℟. Desidérium páupe-
n exaudívit Dóminus.
Præparatiónem cordis
rum audívit auris tua.
Voluntátem timéntium
fáciet, & deprecatió-
m eórum exáudiet, &
vos fáciet eos. * Præpa-
iónem. ℣. Glória. * Præ-
atiónem. *Ps. 9 & 144.*

## IN III. NOCTURNO.

### LECTIO IX.

Ex Epístolâ cathólicâ beáti Jacóbi Apóstoli. *Cap. 5.*

AGite nunc, dívites, ploráte ululantes in misériis vestris, quæ advénient vobis. Divítiæ vestræ putrefactæ sunt: & vestiménta vestra à tíneis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginávit: & ærúgo eórum in testimónium vobis erit, & manducábit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novíssimis diébus. Ecce merces operariórum, qui messuérunt regiónes vestras, quæ fraudáta est à vobis, clamat: & clamor eórum in aures Dómini sábaoth introívit. Epuláti estis super terram, & in luxúriis enutrístis corda vestra in die occisiónis. Addixístis, & occidístis justum, & non réstitit vobis.

℟. Væ ei, qui multíplicat non sua; qui cóngregat avarítiam malam dómui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, & liberári se putat de manu mali. * Quia lapis de paríete clamábit: & lignum quod inter junctúras ædificiórum est, respondébit. ℣. Væ qui ædíficat civitátem in sanguínibus, & præparat urbem in iniquitáte. * Quia. *Habac. 2.*

LECTIO X.

PAtientes ígitur estóte, fratres, usque ad adventum Dómini. Ecce agrícola exspectat pretiósum fructum terræ, patienter ferens donec accípiat temporáneum, & serótinum. Patientes ígitur estóte & vos, & confirmáte corda vestra: quóniam adventus Dómini appropinquávit. Nolíte ingemíscere, fratres, in altérutrum, ut non judicémini. Ecce judex ante jánuam adsistit. Exemplum accípite, fratres, éxitûs mali, labóris, & patiéntiæ, Prophétas, qui locúti sunt in nómine Dómini. Ecce beatificámus eos, qui sustinuérunt. Sufferéntiam Job audistis, & finem Dómini vidistis, quóniam miséricors Dóminus est, & miserátor.

℟. Nolíte amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. * Patiéntia enim vobis necessária est: ut voluntátem Dei facientes, reportétis promissiónem. ℣. Recogitáte eum, qui talem sustínuit à peccatóribus adversùm semetipsum contradictiónem, ut ne fatigémini, ánimis vestris deficientes. * Patiéntia. *Hebr.* 10 *&* 12.

LECTIO XI.

ANte ómnia autem, fratres mei, nolíte juráre, neque per cœlum, neque per terram, neque áliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester: Est, est: Non, non: ut non sub judício decidátis. Tristátur áliquis vestrûm? oret. Æquo ánimo est? psallat. Infirmátur quis in vobis? indúcat Presbyteros Ecclésiæ, & orent super eum, ungentes eum óleo in nómine Dómini: & orátio fídei salvábit infirmum, & alleviábit eum Dóminus: & si in peccátis sit, remittentur ei.

℟. Orábitis me, & ego exáudiam vos: quærétis me, & inveniétis, * Cùm quæsiéritis me, in toto corde vestro. ℣. Pétite, & dábitur vobis: quærite, & inveniétis; * Cùm. *Jerem.* 29. *Luc.* 11.

LECTIO XII.

COnfitémini ergo altérutrum peccáta vestra, & oráte pro ínvicem, ut salvémini: multum enim valet deprecátio justi assídua. Elías homo erat símilis nobis passíbilis: & oratióne orávit ut non plúeret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum orávit: & cœlum dedit plúviam, & terra dedit fructum suum. Fratres mei, si quis ex vobis erráverit à veritáte, & convérterit quis eum; scire debet

quóniam qui converti fécerit peccatórem ab erróre viæ ſuæ, ſalvábit ánimam ejus à morte, & opériet multitúdinem peccatórum.

℟. Teneámus ſpei noſtræ confeſſiónem indeclinábilem; fidélis enim eſt qui repromíſit, * Et conſiderémus ínvicem in provocatiónem caritátis & bonórum óperum. ℣. Quæ ædificatiónis ſunt, in ínvicem cuſtodiámus. * Et. ℣. Glória. * Et. *Hebr.* 10. *Rom.* 14.

EVANGELIUM.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecùndùm Lucam. *Cap.* 17.

DUm iret Jeſus in Jerúſalem, transíbat per médiam Samaríam & Galilæam. Et cùm ingrederétur quoddam caſtellum, occurrérunt ei decem viri lepróſi, qui ſtetérunt à longè: & levavérunt vocem, dicentes: Jeſu præceptor, miſerére noſtrî. Quos ut vidit, dixit: Ite, oſténdite vos ſacerdótibus. Et factum eſt, dum irent, mundáti ſunt. Unus autem ex illis ut vidit quia mundátus eſt, regreſſus eſt, cum magnâ voce magníficans Deum, & cécidit in fáciem ante pedes ejus, grátias agens: & hic erat Samaritánus. Reſpondens autem Jeſus, dixit: Nonne decem mundáti ſunt? & novem ubi ſunt? Non eſt inventus qui redíret, & daret glóriam Deo, niſi hic alienígena: Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te ſalvum fecit.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Jeſus dixit: Nonne decem mundáti ſunt? & novem ubi ſunt? non eſt inventus, qui redíret, & daret glóriam Deo, niſi hic alienígena. *Luc.* 17.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

OMnípotens, ſempitérne Deus, da nobis fídei, ſpei, & caritátis augmentum: † & ut mereámur ádſequi quod promittis, * fac nos amáre quod præcipis; Per Dóminum.

CANON.

Ex Conſtitutiónibus quæ dicuntur Apoſtólicæ. *Lib.* 7. *Cap.* 18. *IV. Sec.*

NOn accédas ad precatiónem in die malítiæ tuæ, priuſquàm amárum ánimum depónas; hæc eſt via vitæ: útinam vos intra eam reperiámini per Jeſum Chriſtum Dóminum noſtrum.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Ait Samaritáno Jeſus: Surge, vade: quia fides tua te ſalvum fecit. *Luc.* 17.

## FERIA SECUNDA.

### LECTIO I.

Ex Libro Tobíæ. *Cap.* 2.

POst hæc verò, cùm esset dies festus Dómini, & factum esset prándium bonum in domo Tobíæ dixit filio suo: Vade, & adduc áliquos de tribu nostrâ, timentes Deum, ut epulentur nobiscum. Cùmque abiisset, reversus nuntiávit ei, unum ex filiis Israel jugulátum jacére in platéâ. Statimque exsíliens de accúbitu suo, relinquens prándium, jejúnus pervénit ad corpus: tollensque illud portávit ad domum suam occultè, ut, dum sol occubuisset, cautè sepelíret eum. ¶ Cùmque occultasset corpus, manducávit panem cum luctu & tremóre, mémorans illum sermónem, quem dixit Dóminus per Amos Prophétam: Dies festi vestri convertentur in lamentatiónem & luctum. Cùm verò sol occubuisset, ábiit, & sepelívit eum. Arguébant autem eum omnes próximi ejus, dicentes: Jam hujus rei causâ intérfici jussus es, & vix effugisti mortis impérium, & íterum sépelis mórtuos? Sed Tobías plus timens Deum, quàm regem, rapiébat córpora occisórum, & occultábat in domo suâ, & médiis nóctibus sepeliébat ea.

### LECTIO II.

COntigit autem ut quâdam die fatigátus à sepultúrâ, véniens in domum suam, jactasset se juxta paríetem, & obdormisset, & ex nido hirúndinum dormienti illi cálida stércora incíderent super óculos ejus, fieretque cæcus. Hanc autem tentatiónem ídeo permísit Dóminus evenire illi, ut pósteris darétur exemplum patiéntiæ ejus, sicut & sancti Job. Nam cùm ab infántiâ suâ semper Deum timúerit, & mandáta ejus custodíerit, non est contristátus contra Deum, quòd plaga cæcitátis evénerit ei: sed immóbilis in Dei timóre permansit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ suæ. ¶ Nam sicut beáto Job insultábant reges, ita isti parentes & cognáti ejus irridébant vitam ejus, dicentes: Ubi est spes tua, pro quâ eleemósynas & sepultúras faciébas? Tobías verò increpábat eos, dicens: Nolíte ita loqui: quóniam filii sanctórum sumus, & vitam illam exspectámus, quam Deus datúrus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

℟. I. Bonum facientes, non deficiámus: témpore enim suo metémus non deficientes. * Ergo dum tem-

pus habémus, operémur bonum ad omnes. ℣. Reddet Deus iis qui, secundùm patiéntiam boni óperis, glóriam & incorruptiónem quærunt, vitam ætérnam. * Ergo. *Galat.* 6. *Rom.* 2.

℟. II. Omnis disciplína in præsenti quidem vidétur non esse gáudii, sed mœróris: * Póstea autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam, reddet justítiæ. ℣. Tribulátio patiéntiam operátur; * Póstea. *Hebr.* 12. *Rom.* 5.

℟. III. Noli neglígere disciplínam Dómini, neque fatigéris, dum ab eo argúeris; * Quem enim díligit Dóminus, castígat. ℣. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentátio probáret te; * Quem. *Hebr.* 12. *Tob.* 12.

℟. IV. Non delectáris, Dómine, in perditiónibus nostris; quia * Post tempestátem tranquillum facis, & post lacrymatiónem & fletum, exsultatiónem infundis. ℣. Tu flagellas & salvas, dedúcis ad ínferos & redúcis. * Post. ℣. Glória. * Post. *Tob.* 3 & 13.

LECTIO III.

Ex Tractátu quarto sancti Augustíni Epíscopi in Epístolam Joannis. *n.* 5 & 6. *Edit. Bened.*

VIsúri sumus quamdam visiónem, fratres, quam nec óculus vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascendit. Quid ergo nos érimus? quóniam vidébimus eum sícuti est. Quómodo pótuit lingua sónuit: cætera corde cogitentur. Redeámus ergo ad illam unctiónem ipsíus, redeámus ad illam unctiónem quæ intùs docet quod loqui non póssumus, & quia modò vidére non potestis, officium vestrum in desidério sit. Tota vita Christiáni boni, sanctum desidérium est. Quod autem desíderas nondum vides, sed desiderando capax effíceris, ut cùm vénerit quod vídeas, impleáris. Deus differendo extendit desidérium, desiderando extendit ánimum, extendendo facit capácem. Desiderémus ergo, fratres, quia implendi sumus.

℟. Beáti mundo corde: * Quóniam ipsi Deum vidébunt. ℣. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectántibus te. * Quóniam. ℣. Glória. * Quóniam. *Matth.* 5. *Isai.* 64.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 132.

STudendum solerter est, ut cùm Ecclésiam, vel ad divínæ laudis débita solvenda, vel ad Missárum

ſolémnia intrámus, ſemper Angélicæ præséntiæ mémores, cum timóre & veneratióne competenti, cœleſte compleámus officium.

---

FERIA TERTIA.

LECTIO I.

Ex Libro Tobíæ. *Cap.* 3.

TUnc Tobías ingémuit, & cœpit oráre cum lácrymis, dicens: Juſtus es Dómine, & ómnia judícia tua juſta ſunt, & omnes viæ tuæ, miſericórdia, & véritas, & judícium. Et nunc, Dómine, memor eſto meî, & ne vindíctam ſumas de peccátis meis, neque reminiſcáris delícta mea, vel parentum meórum. Quóniam non obedívimus præceptis tuis, ídeo tráditi ſumus in direptiónem, & captivitátem, & mortem, & in fábulam, & in impropérium ómnibus natiónibus, in quibus diſperſíſti nos. ¶ Eâdem ítaque die cóntigit ut Sara filia Raguélis in Rages civitáte Medórum, & ipſa audíret impropérium ab unâ ex ancillis patris ſui, quóniam trádita fúerat ſeptem viris, & dæmónium nómine Aſmodæus occíderat eos, mox ut ingreſſi fuiſſent ad eam. Perrexit in ſupérius cubículum domûs ſuæ; & tribus diébus, & tribus nóctibus non manducávit, neque bibit: ſed in oratióne perſiſtens cum lácrymis deprecabátur Deû; ut ab iſto impropério liberáret eam.

*Reſponſoria ut heri.*

LECTIO II.

FActum eſt autem die tértiâ, dum compléret oratiónem, benedícens Dóminum, dixit: Benedíctum eſt nomen tuum, Deus patrum noſtrórum: qui cùm irátus fúeris, miſericórdiam fácies, & in témpore tribulatiónis peccáta dimittis his, qui ínvocant te. Tu ſcis, Dómine, quia nunquam concupívi virum, & mundam ſervávi ánimam meam ab omni concupiſcéntiâ. Virum autem cum timóre tuo, non cum libídine meâ conſenſi ſuſcípere: &, aut ego indígna fui illis, aut illi fórſitan me non fuérunt digni: quia forſitan viro álii conſervaſti me. Non eſt enim in hóminis poteſtáte consílium tuum. ¶ Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quòd vita ejus, ſi in probatióne fúerit, coronábitur: ſi autem in tribulatióne fúerit, liberábitur: & ſi in correptióne fúerit, ad miſericórdiam tuam veníre licébit. Sit nómen tuum, Deus Iſrael, benedíctum in ſécula. In illo témpore exaudítæ ſunt preces ambórum in conſpectu glóriæ ſummi Dei:

& missus est Angelus Dómini sanctus Ráphael, ut curáret eos ambos, quorum uno témpore sunt oratiónes in conspectu Dómini recitátæ.

LECTIO III.

Ex Sermóne sexagésimo primo sancti Augustíni Epíscopi de verbis Evangélii. *Matth. n.* 4, 6, 7, 8.

SI vis habére justítiam, esto mendícus Dei qui dicit tibi: Pete, quære, pulsa; qui petit áccipit; quærens ínvenit; pulsanti aperiétur. Hortátur ut petas; negábit quod petis? Dabit bonus, qui nos hortátur ut petámus, cui dísplicet si non petámus: sed cùm aliquando tárdiùs dat, commendat dona, non negat; diu desideráta dúlciùs obtinentur; citò autem data vilescunt. Pete, quære, insta: petendo & quærendo crescis, ut cápias. Servat tibi Deus, quod non vult citò dare; ut & tu discas magna magnè desideráre. Inde oportet semper oráre & non deficere. Si ergo mendícos suos nos fecit Deus, monendo nos & hortando & jubendo ut petámus, quærámus, pulsémus; attendámus & nos qui à nobis petunt. Pétimus nos, à quo pétimus? qui pétimus? quid pétimus? à quo, vel qui, vel quid pétimus? pétimus à Deo bono; pétimus hómines mali, pétimus autem justítiam unde simus boni. Hoc ergo pétimus quod in ætérnum habeámus: quo cùm saturáti fuérimus, ultériùs non egeámus. Sed pétitur & à nobis: mendíci enim Dei sumus: ut agnoscat ille mendícos suos, agnoscámus & nos nostros, sed & ibi étiam cogitémus, quando pétitur à nobis, qui petunt, à quibus petunt, quid petunt. Qui petunt? hómines; A quibus petunt? ab homínibus. Exceptâ substántiâ facultátum, tales sunt qui petunt, quales sunt à quibus petunt. Ambo infírmi, míseram vitam inchoantes, ideò ambo plorantes.

℟. Non impediáris oráre semper, & ne vereáris usque ad mortem justificári: * Quóniam merces Dei manet in ætérnum. ℣. Oportet semper oráre, & non defícere. * Quóniam. ℣. Glória. * Quóniam. *Eccli.* 18. *Luc.* 18.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Can.* 132.

SOlerti indústriâ nobis observandum est, ne quid in Ecclésiâ Dei ineptum, ne quid perversum, ne quid indecens, aut cogitatióne, aut verbis, aut

áctibus perpetrémus, quátenus & conspectu Angelórum digni efficiámur; & Dóminus ad nos véniens, non quod condemnet in nobis, sed pótius quod remúneret, invéniat.

FERIA QUARTA.

LECTIO I.

Ex Libro Tobíæ. *Cap.* 4.

IGitur cùm Tobías putáret oratiónem suã exaudíri ut mori potuisset, vocávit ad se Tobíam fílium suum, dixitque ei: Audi, fili mi, verba oris mei, & ea in corde tuo, quasi fundamentum cónstrue. Cùm accéperit Deus ánimam meam, corpus meum sépeli: & honórem habébis matri tuæ ómnibus diébus vitæ ejus. Cùm autem & ipsa compléverit tempus vitæ suæ, sepélias eam circa me. Omnibus autem diébus vitæ tuæ in mente habéto Deum: & cave ne aliquando peccáto conséntias, & prætermittas præcepta Dómini Dei nostri. ¶ Ex substántiâ tuâ fac eleemósynam, & noli avértere fáciem tuam ab ullo páupere: ita enim fiet ut nec à te avertátur fácies Dómini. Quómodo potúeris, ita esto miséricors. Si multum tibi fúerit, abundanter tríbue: si exíguum tibi fúerit, étiam exíguum libenter impertíri stude. Fidúcia magna erit coram summo Deo eleemósyna ómnibus faciéntibus eam.

LECTIO II.

SUpérbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominári permittas: in ipsâ enim inítium sumpsit omnis perdítio. Quicumque tibi áliquid operátus fúerit, statim ei mercédem restítue, & merces mercenárii tui apud te omníno non remáneat. Quod ab álio óderis fieri tibi, vide ne tu aliquando álteri fácias. ¶ Consílium semper à sapiente perquíre. Omni témpore bénedic Deum: & pete ab eo, ut vias tuas dírigat, & ómnia consília tua in ipso permáneant. Indico étiam tibi, fili mi, dedisse me decem talenta argenti, dum adhuc infántulus esses, Gabélo, in Rages civitáte Medórum, & chirógraphum ejus apud me hábeo: & ídeo perquíre quómodo ad eum pervénias, & recípias ab eo suprà memorátum pondus argenti, & restítuas ei chirógraphum suum.

℟. I. Honóra patrem tuum & matrem tuam, quod est mandátum primũ in promissióne: * Ut bene sit tibi, & sis longævus super terram. ℣. Memento quóniam nisi per illos natus non fuisses; & retríbue

illis quómodo & illi tibi. * Ut. *Ephes.* 6. *Eccli.* 7.

℞. II. Ignem ardentem exstinguit aqua, & eleemósyna resístit peccátis: * Et Deus prospéctor est ejus qui reddit grátiam. ℣. Fœnerátur Dómino qui miserétur páuperis; * Et. *Eccli.* 3. *Prov.* 19.

℞. III. Inítium omnis peccáti est supérbia: * Qui tenúerit illam, adimplébitur maledíctis, & subvertet eum in finem. ℣. Odíbilis coram Deo est & homínibus supérbia: * Qui. *Eccli.* 10.

℞. IV. Noli timére, fili mi: páuperem quidem vitam gérimus; sed * Multa bona habébimus, si timuérimus Deum, & recessérimus ab omni peccáto, & fecérimus bene. ℣. Nonne Deus elégit páuperes in hoc mundo, dívites in fide, & hærédes regni quod repromísit Deus diligéntibus se? * Multa. ℣. Glória. * Multa. *Tob.* 4. *Jac.* 2.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de Oratióne Domínicâ. *Ed. Baluz.*

QUando stamus ad oratiónem, vigiláre & incúmbere ad preces toto corde debémus. Cogitátio omnis carnális & seculáris abscédat, nec quidquam tunc ánimus quàm id solùm cógitet quod precátur. Ideò & sacerdos ante oratiónem præfatióne præmissâ parat fratrum mentes dicendo: Sursùm corda; ut dum respondet plebs: Habémus ad Dóminum, admoneátur nihil áliud se quàm Dóminum cogitáre debére. Claudátur contra adversárium pectus, & soli Deo páteat, nec ad se hostem Dei témpore oratiónis adíre patiátur. Obrépit enim frequenter & pénetrat, & subtíliter fallens preces nostras à Deo ávocat, ut áliud habeámus in corde, áliud in voce, quando intentióne sincérâ Dóminum débeat non vocis sonus, sed ánimus & sensus oráre. Quæ autem segnítia est alienári, & rapi ineptis cogitatiónibus & prophánis cùm Dóminum deprecáris, quasi sit áliud quod magis débeas cogitáre, quàm quod cum Deo lóqueris? Quómodo te audíri à Deo póstulas, cùm te ipse non áudias? vis esse Deum mémorem tuî cùm rogas, quando tu ipse memor tuî non sis?

℞. Ante oratiónem præpara ánimam tuam; * Et noli esse quasi homo qui tentat Deum. ℣. Cóngrega cor tuum in sanctitáte ejus. * Et. ℣. Glória. * Et. *Eccli.* 18 & 30.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi. *An.* 816. *Can.* 133.

TAles ad legendum, cantandum, & psallendum in Ecclésiâ constituantur, qui non superbè, sed humíliter débitas Dómino laudes persolvant; & suavitáte lectiónis ac melódiæ & doctos demúlceant, & minus doctos erúdiant; plusque velint in lectióne vel cantu pópuli ædificatiónem, quàm populárem vaníssimam adulatiónem. Qui verò hæc doctè perágere néqueunt, erudiantur priùs à magistris: & instructi, hæc adimplére stúdeant, ut audientes ædificent.

---

FERIA QUINTA.

LECTIO I.

Ex Libro Tobíæ. *Cap.* 5.

TUnc egressus Tobías, invénit júvenem spléndidum, stantem præcinctum & quasi parátum ad ambulandum. Et ignórans quòd Angelus Dei esset, salutávit eum, & dixit: Unde te habémus, bone júvenis? At ille respondit: Ex filiis Israel. Et Tobías dixit ei: Nosti viam, quæ ducit in regiónem Medórum? Cui respondit: Novi; & ómnia itínera ejus frequenter ambulávi, & mansi apud Gabélum fratrem nostrum. Cui Tobías ait: Sústine me, óbsecro, donec hæc ipsa núntiem patri meo. ¶ Tunc ingressus Tobías, indicávit universa hæc patri suo. Super quæ admirátus pater, rogávit ut introíret ad eum. Ingressus ítaque salutávit eum, & dixit: Gáudium tibi sit semper. Et ait Tobías: Quale gáudium mihi erit, qui in ténebris sédeo, & lumen cœli non vídeo? Cui ait júvenis: Forti ánimo esto, in próximo est ut à Deo curéris.

*Responsoria ut suprà, Feriâ II. pág.* 438.

LECTIO II.

DIxit ítaque illi Tobías: Numquid póteris perdúcere filium meum ad Gabélum? Dixit autem illi Angelus: Ego sanum ducam, & sanum redúcam filium tuum. Respondens autem Tobías, ait: Bene ambulétis, & sit Deus in itínere vestro, & Angelus ejus comitétur vobiscum. Tunc parátis ómnibus, quæ erant in viâ portanda, fecit Tobías vale patri suo & matri suæ, & ambulavérunt ambo simul. ¶ Cùmque profecti essent, cœpit mater ejus flere, & dícere: Báculum senectútis nostræ tulisti, & transmisisti à nobis. Dixitque ei Tobías: Noli flere, salvus pervéniet filius noster, & salvus

revertétur ad nos, & óculi tui vidébunt illum. Credo enim quòd Angelus Dei bonus comitétur ei, & bene dispónat ómnia quæ circa eùm geruntur; ita ut cum gáudio revertátur ad nos. Ad hanc vocem cessávit mater ejus flere, & tácuit.

LECTIO III.

Ex Enarratióne sancti Augustíni Epíscopi in Psalmum octogésimum quintum. *Edit. Bened. n.* 7.

ADtendat quisque & vídeat quanta aguntur in corde humáno, quemádmodùm ipsæ plerumque oratiónes impediantur vanis cogitatiónibus, ita ut vix stet cor ad Deum suum, & vult se tenére ut stet, & quodam modo fugit à se, nec ínvenit cancellos quibus se inclúdat, aut óbices quosdam quibus retíneat avolatiónes suas, & vagos quosdam motus, & stet jocundári à Deo suo. Vix est ut occurrat talis orátio inter multas oratiónes. Tólerat Deus tot corda precántium, & diversas res cogitántium; omitto dícere aliquando perversas & inimícas Deo; ipsas supérfluas cogitáre injúria est ejus, cum quo loqui cœperas. Orátio tua locútio est ad Deum. Quando legis, Deus tibi lóquitur; quando oras, Deo lóqueris. Sed quid? Desperandum est de génere humáno, & dicendum jam ad damnatiónem pertinére omnem hóminem, cui subrépserit áliqua cogitátio oranti, & interrúperit oratiónem ipsíus. Si hoc dixérimus, fratres, quæ spes remáneat non vídeo. Porrò quia est áliqua spes ad Deum, quia magna est ejus misericórdia; dicámus ei: Jocunda ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine levávi ánimam meam. Et quómodo eam levávi? Quómodo pótui, quómodo tu vires dedisti quómodo eam fugientem apprehéndere válui? Quia tu suávis es, Dómine, ac mitis, mitis es, tólerans me. Ex ægritúdine défluo, cura & stabo; confirma & firmus ero: donec autem fácias, tóleras me, quia tu suávis es, Dómine, & mitis.

℟. Cor meum derelíquit me, * Ne projícias me, Dómine, à fácie tuâ. ℣. Ut jumentum factus sum apud te. * Ne. ℣. Glória. * Ne. *Ps.* 39, 50 & 72.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *An.* 1563. *Sess.* 25.

MAndat sancta Synodus ómnibus docendi munus curamque sustinéntibus, ut juxta Cathólicæ & Apostólicæ Ecclésiæ usum à primævis Christiánæ Religiónis tempóribus rece-

ptum fidéles diligenter ínstruant, docentes eos Sanctos unà cum Christo regnantes oratiónes suas pro homínibus Deo offerre; bonum atque útile esse suppliciter eos invocáre; & ob benefícia impetranda à Deo per Fílium ejus Jesum Christum Dóminum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvátor est, ad eórum oratiónes, opem, auxíliumque confúgere.

---

FERIA SEXTA.

LECTIO I.

Ex Libro Tobíæ. *Cap.* 6.

PRofectus est autem Tobías, & mansit primâ mansióne juxta flúvium Tigris. Et exívit ut laváret pedes suos, & ecce piscis immánis exívit ad devorandum eum. Quem expavescens Tobías clamávit voce magnâ, dicens: Dómine, invádit me. Et dixit ei Angelus: Apprehende bránchiam ejus, & trahe eum ad te. Quod cùm fecisset, dixit ei Angelus: Exéntera hunc piscem, & cor ejus, & fel, & jecur repóne tibi: sunt enim hæc necessária ad medicamenta utíliter. ¶ Et dixit ei Tobías: Ubi vis ut maneámus? Respondensque Angelus, ait: Est hìc Ráguel nómine, vir propinquus de tribu tuâ, & hic habet fíliam nómine Saram, sed neque másculum, neque féminam ullam habet áliam præter eâ. Tibi debétur omnis substántia ejus, & opórtet eam te accípere cónjugem. Pete ergo eam à patre ejus, & dabit tibi eam in uxórem.

LECTIO II.

TUnc respondit Tobías, & dixit: Audio quia trádita est septem viris, & mórtui sunt: sed & hoc audívi, quia dæmónium occídit illos. Tímeo ergo, ne fortè & mihi hæc evéniant: & cùm sim únicus paréntibus meis, depónam senectútem illórum cum tristítiâ ad ínferos. ¶ Tunc Angelus Ráphael dixit ei: Audi me, & ostendam tibi qui sunt, quibus prævalére potest dæmónium. Hi namque qui conjúgium ita suscípiunt, ut Deum à se, & à suâ mente exclúdant, habet potestátem dæmónium super eos. Tu autem cùm accéperis eam, ingressus cubículum, per tres dies cóntinens esto ab eâ, & nihil áliud, nisi oratiónibus vacábis cum eâ. Transactâ autem tértiâ nocte, accípies vírginem cum timóre Dómini, amóre filiórum magìs quàm libídine ductus, ut in sémine Abrahæ benedictiónem in fíliis consequáris.

℞. I. Rectos fáciet Dóminus cursus tuos, * Ità-

nera autem tua in pace prodúcet. ℣. Angelis suis mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis; * Itínera. *Prov.* 4. *Ps.* 90.

℟. II. Páuperem quidem vitam gérimus; sed * Multa bona habébimus, si timuérimus Deum, & recessérimus ab omni peccáto, & fecérimus bene. ℣. Nonne Deus elégit páuperes in hoc mundo, dívites in fide, & hærédes regni quod repromísit Deus diligéntibus se? * Multa. *Tob.* 4. *Jac.* 2.

℟. III. Bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dei. * Bonum est viro, cùm portáverit jugum ab adolescéntiâ suâ. ℣. Adolescens juxta viam suam, étiam cùm senúerit, non recédet ab eâ. * Bonum. *Thren.* 3. *Prov.* 22.

℟. IV. Fílii sanctórum sumus, * Et † Vitam illam exspectámus, quam Deus datúrus est his qui fidem suam nunquam mutant ab eo. ℣. Gloriámur in spe glóriæ filiórum Dei; * Et. ℣. Glória. † Vitam. *Tob.* 2. *Rom.* 5.

LECTIO III.

Ex Libro secundo sancti Augustíni Epíscopi de diversis Quæstiónibus ad Simpliciánum. *Quæst.* 4. *Edit. Bened.*

SCriptum est: Intrávit David, & sedit ante Dóminum: quid áliud intelligendum est, nisi quia sedit in conspectu Dómini? Nisi forte quòd sedens orávit hoc movet: cùm & sanctus Elías hoc fécerit, quando plúviam orando impetrávit. Quibus admonémur exemplis, non esse præscriptum quómodò corpus constituátur ad orandum, dum ánimus Deo præsens péragat intentiónem suam. Cùm autem non quæritur, sed infertur appetítus orandi, hoc est, cùm áliquid repentè venit in mentem, quo supplicandi moveátur affectus gemítibus inenarrabílibus, quocumque modo invénerit hóminem, non est útique differenda orátio, ut quærámus quò secedámus, aut ubi stémus, aut ubi prosternámur. Gignit enim sibi mentis inténtio solitúdinem, & sæpe étiam oblivíscitur vel ad quam cœli partem, vel in quâ positióne córporis membra illud tempus invénerit.

℟. Orátio humiliantis se nubes penetrábit; & donec propinquet, non consolábitur: * Et non discédet donec Altíssimus adspíciat, & † Dóminus non elongábit justos, ℣. Dómine omnípotens, ánima in angústiis, & spíritus ánxius clamat ad te. * Et non. ℣. Glória. † Dóminus. *Eccli.* 35. *Baruch*, 3.

CANON.

Ex Concílio Tridentíno. *Sess. 25.*

MAndat sancta Synodus ómnibus docendi curam sustinéntibus, ut illos dóceant, qui negant Sanctos ætérnâ felicitáte in cœlo fruéntes invocandos esse; aut qui ádserunt vel illos pro homínibus non oráre, vel eórum, ut pro nobis étiam síngulis orent, invocatiónem esse idololatríam, vel pugnáre cum verbo Dei, adversaríque honóri uníus Mediatóris Dei & hóminum Jesu Christi, vel stultum esse in cœlo regnántibus voce vel mente supplicáre; ímpiè sentíre.

---

SABBATO.

LECTIO I.

Ex Libro Tobíæ. *Cap. 7.*

INgressi sunt autem ad Raguélem, & suscépit eos Ráguel cum gáudio. Intuensque Tobíam Ráguel, dixit Annæ uxóri suæ: Quàm símilis est júvenis iste consobríno meo! Et cùm hæc dixisset, ait: Unde estis júvenes fratres nostri? At illi dixérunt: Ex tribu Néphthali sumus, ex captivitáte Nínive. Dixitque illis Ráguel: Nostis Tobíam fratrem meum? Qui dixérunt: Nóvimus. ¶ Cùmque multa bona loquerétur de eo, dixit Angelus ad Raguélem: Tobías, de quo intérrogas, pater istíus est. Et misit se Ráguel, & cum lácrymis osculátus est eum, & plorans supra collum ejus, dixit: Benedíctio sit tibi, fili mi, quia boni & óptimi viri fílius es. Et Anna uxor ejus, & Sara ipsórum filia lacrymátæ sunt.

*Responsoria ut heri.*

LECTIO II.

POstquam autem locúti sunt, præcépit Ráguel parári convívium. Cùmque hortarétur eos discúmbere ad prándium, Tobías dixit: Hic ego hódie non manducábo neque bibam, nisi priùs petitiónem meam confírmes, & promittas mihi dare Saram fíliam tuam. Quo audíto verbo, Ráguel expávit: & cùm nutáret, & non daret petenti ullum respónsum. Dixit ei Angelus: Noli timére dare eam isti, quóniam huic timenti Deum debétur conjux filia tua: proptérea álius non pótuit habére illam. ¶ Tunc dixit Ráguel: Non dúbito quòd Deus preces & lácrymas meas in conspectu suo admíserit. Et credo quóniam ídeo fecit vos veníre ad me, ut ista conjungerétur cognatióni suæ secundùm legem Móy-

℟. Et apprehendens déxteram filiæ suæ, dextræ Tobíæ trádidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob vobiscum sit, & ipse conjungat vos, impleatque benedictiónem suam in vobis.

LECTIO III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de Oratióne Domínicâ. *Ed. Bal.*

ORantes non infructuósis nec nudis précibus ad Deum véniant: inéfficax petítio est, cùm precátur Deum stérilis orátio. Nam cùm omnis arbor non fáciens fructum excidátur & in ignem mittátur, útique & sermo non habens fructum promeréri Deum non potest, quia nullâ est operatióne fœcundus. Et ídeò Scriptúra divína ínstruit dicens: Bona est orátio cum jejúnio & eleemósynâ. Nam qui in die judícii præmium pro opéribus & eleemósynis redditúrus est, hódie quoque ad oratiónem cum operatióne venienti benignus audítor est. Adesse se repromittit, & audíre ac protégere se eos dicit qui injustítiæ nodos de corde solventes, & eleemósynas circa doméstĭcos Dei secundùm ejus præcepta facientes, dum áudiunt quod Deus præcipit fieri, ipsi quoque à Deo merentur audíri. Beátus Apóstolus Paulus in necessitáte pressúræ adjútus à frátribus, ópera bona quæ fiunt, sacrifícia Dei dixit esse. Nam quando quis miserétur páuperis, Deum fœnerat; & qui dat mínimis, Deo donat, spirituáliter Deo suavitátis odórem sacríficat.

℟. Frange esurienti panem tuum, & egénos vagosque induc in domum tuam; cum víderis nudum, óperi eum. * Tunc invocábis, & † Dóminus exáudiet; clamábis, & dicet: Ecce adsum. ℣. Cùm effúderis esurienti, & ánimam afflictam repléveris, orietur in ténebris lux tua. * Tunc. ℣. Glória. † Dóminus. *Isai.* 58.

CANON.

Ex Concílio Narbonensi. *An.* 1551. *Can.* 1.

ORatiónes Sanctórum nunc cum Christo regnántium, præcípuè Vírginis Maríæ, nobis & omni pópulo Christiáno profutúras, ut orthodoxa mater tradit Ecclésia, exútâ omni hæsitatióne confitémur. Quare sanctíssimam Dei genitrícem Maríam, omnesque Sanctos & Sanctas venerandos & invocandos, ut ritus & sanctæ Románæ Ecclésiæ præceptiónes docent, profitémur,

& decérnimus; præcipimusque, ut idem Christiani omnes credant.

*Ad* Magnificat. *Ant.* Adspícite quæ fecit nobiscum Deus, & cum timóre & tremóre confitémini illi: Regemque sæculórum exaltáte in opéribus vestris. *Tob.* 13.

COLLECTA. *Sacr. Gelasf.*

CUstodi, Dómine, quæsumus, Ecclésiam tuam propitiatióne perpétua: † & quia sine te labitur humána mortálitas, * tuis semper auxíliis & abstrahátur a noxiis, & ad salutária dirigátur; Per Dóminum.







# PROPRIUM SANCTORUM.

## *PARS ÆSTIVALIS.*

## FESTA MAII.

### *Die XXI.*

S. MARIÆ ÆGYPTIÆ, *Pœnitentis*, COMMEMORATIO.

*Ant.* Revértere, aversátrix, ait Dóminus, & non avertam fáciem meam; quia sanctus ego sum, & non irascar in perpétuum. *Jerem.* 3.

℣. Miserátor & miséricors Dóminus: ℟. Longánimis, & multùm miséricors. *Ps.* 102.

COLLECTA. *Brev. Paris.*

LArgíre nobis, miséricors Deus, † ut beáta María Ægyptia, quæ te super ómnia diligendo, suórum accépit véniam delictórum, * pœniténtiæ salutáris donum nobis obtíneat; Per Dóminum.

### *Die XXVI.*

S. AUGUSTINI, CANTUAR. EPISCOPI, ANGL. APOSTOLI, *COMMEMORATIO.*

*Collecta*, Omnípotens Deus, qui. *de Communi Pontificum*, *pag.* xxxvj.

## FESTA JUNII.

### *Die II.*

SS. POTHINI, LUGDUN. EPISCOPI, BLANDINÆ, VIRGINIS, ET SOCIORUM MART.

*Omnia de Communi plurium Martyrum, exceptis quæ sequuntur.*

## Lectio III.

Ex Epístolâ Ecclesiárum Viennensis & Lugdunensis ad Ecclésias Asiæ & Phrygiæ. *Apud Euseb. Hist. Eccl. Lib. 5. Cap. 1 & seq. Edit. Valesf.*

Beatíssimus Pothínus, qui Episcopátum Lugdunensis Ecclésiæ administrábat, nonagenário major, & córpore ádmodum infirmo, sed præ cupiditáte imminentis Martyrii mirábili alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal perlátus à milítibus, prosequéntibus ipsum magistrátibus civitátis, & universâ plebe váriis eum acclamatiónibus impetente, tamquàm ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Interrogátus à Præside, quisnam esset Christianórum Deus, respondit: Si dignus fúeris, cognosces. Post hæc inhumánè raptátus atque innúmeris plagis affectus est; cùm ii quidem qui própiùs adstábant, cálcibus & pugnis illum contumeliósè appéterent; qui verò lóngiùs distábant, quidquid ad manum erat in ipsum conjícerent; omnes dénique gravíssimi piáculi reos se existimárent, nisi pro suâ quisque parte ei petulanter insultárent. Quippe hoc modo injúriam deórũ suórum ultúros se arbitrabantur. Exinde vix adhuc spirans, in cárcerem projectus est; tandemque post bíduum ánimam exhalávit. Alii sanctíssimi Mártyres ex utrâque Ecclésiâ Viennensi & Lugdunensi ducti sunt ad béstias in amphitheátrum; & máximo certámine perfuncti, tandem jugulári sunt. Blandína verò ancilla ad palum suspensa, béstiis objecta est. Quæ cùm in crucis spéciem suspensa cernerétur, Deóque intentíssimè supplicáret, máximam alacritátem addébat certántibus; quippe qui sub soróris persónâ cérnerent illum qui pro ipsis crucifixus est. Cùmque nulla tunc béstia corpus ejus adtigisset, depósita ex stípite, in cárcerem conjícitur, in áliud certámen reserváta. Ultimo tandem spectaculórum die, Blandína rursus illáta est; & post flagra, post ferárum vellicatiónes, post sartáginem, retículo inclúsa, tauro objecta est, à quo diu in altum jactáta, tandem & ipsa víctimæ instar juguláta est. Qui quidem Mártyres Christum imitári tantópere studuérunt, ut quàmvis sæpiùs Martyrium subiissent, tamen nec seipsos Mártyres prædicárent, nec à nobis ita se appellári paterentur. Martyrii enim appellatiónem libentíssimè concedébant Christo, útpote fido verόque testi & primogénito mortuórum.

vitæque cœlestis príncipi & autóri. Simul profúsis lácrymis obsecrábant fratres ut contínuæ ad Deum preces fierent, quo tandem ipsi perfectum finem adipisci mererentur. Passi sunt anno décimo séptimo Marci Aurélii Imperatóris. Itē hâc die, Diocletiáno & Maximiáno in Christiános sæviéntibus, pro Christi fide cápite truncáti sunt Marcellínus Ecclésiæ Románæ présbyter, & Petrus exorcista, quorum laudes célebrat sanctus Dámasus Papa, & quotídie nomen in altáris sacrifício commemorátur.

℟. Vicérunt propter sánguinem Agni, & propter verbum testimónii sui, & non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem: * Proptérea † Lætámini, cœli, & qui habitátis in eis. ℣. Módico dolóre sustentáto, sub testamento ætérnæ vitæ effecti sunt. * Proptérea. ℣. Glória. † Lætámini. *Apoc.* 12. *II. Mac.* 7.

Collecta. *Miss. Goth.*

DEus, fidélium insuperábilis fortitúdo, qui inter mundánæ conversatiónis adversa, Sanctórum tuórum nos glorificatióne consoláris; † illam quæ in beátis Martyribus tuis Pothíno Pontífice, Blandínâ Vírgine & Sóciis flagrávit fortis diléctio, * benignus in nobis adspíra; Per Dóminum.

*Commemoratio* SS. Marcellini & Petri, Mart.

Collecta. *Brev. Paris.*

DA nobis, omnípotens Deus, inter hujus vitæ discrímina, contínuum grátiæ tuæ præsídium † qui sanctis Martyribus Marcellíno & Petro fidei tuæ constántiam, * ut hostem antíquum víncerent, contulísti; Per Dóminum.

---

*Die V.*

S. BONIFACII, MOGUNTINI EPISCOPI ET MARTYRIS,

*Commemoratio.*

*Collecta.* Deus, cujus grátiâ. *de Communi unius Martyris Pontif. pag.* xvj.

---

*Die VII.*

S. NORBERTI, MAGDEBURGENSIS EPISC.

*Commemoratio.*

*Collecta.* Omnípotens Deus, qui. *de Communi Pontificum, pag.* xxxvj.

---

*Die XI.*

S. BARNABÆ, APOSTOLI.

*Festivitas III. Classis.*

---

AD I. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. MUltitúdinis credéntium erat cor unum & ánima una: nec quis-

quam eórum quæ possidébat, áliquid suum esse dicébat: sed erant illis ómnia commúnia. *Act.* 4.

II. Virtúte magnâ reddébant Apóstoli testimónium resurrectiónis Jesu Christi Dómini nostri. *Act.* 4.

III. Grátia magna erat in ómnibus illis, neque quisquam egens erat inter illos. *Act.* 4.

IV. Quotquot possessóres agrórum aut domórum erant, vendentes afferébant prétia eórum quæ vendébant, & ponébant ante pedes Apostolórum. *Act.* 4.

Lectio. *Deut.* 33.

Qui dixit patri suo & matri suæ: Néscio vos; † & frátribus suis: Ignóro vos: & nesciérunt filios suos; * hi custodiérunt elóquium tuum, & pactum tuum servavérunt.

℟. *br.* Dóminus pars hæreditátis meæ: * Tu es qui restítues hæreditátem meam mihi. ℟. Dóminus. ℣. Etenim hæréditas mea præclára est mihi. * Tu es. ℣. Glória. ℟. Dóminus. *Ps.* 15.

Hymnus. *S. V.*

Cœlo datur quiéscere,
Terris relictis, Bárnaba:
Solemnis hæc affert tuis
Finem dies labóribus.

Quem propter, agro véndito,
Opes cadúcas déseris,
Magno rependens fœnore
En fundus ipse fit tuus.

Tu sacra per jejúnia,
Tu públicas inter preces,
Jubente sancto Spíritu,
Christi creáris núntius.

Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Beátus qui intélligit super egénum & páuperem; ℟. In die malâ liberábit eum Dóminus. *Ps.* 40.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Joseph, qui cognominátus est Bárnabas ab Apóstolis, cùm habéret agrum, véndidit eum, & áttulit prétium, & pósuit ante pedes Apostolórum. *Act.* 4.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 460.

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Caput córporis Ecclésiæ Dóminum; * Veníte, adorémus. *Coloss.* 1.

*Hymnus*, Cœlo datur, *ut ad I. Vesperas.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Bárnabas apprehensum Saulum duxit ad Apóstolos: & narrávit illis quómodò in viâ vidísset Dóminum, & quia locútus est ei. *Act.* 9.

II. Quidam ex iis qui dispersi fúerant à tribulatióne quæ facta fúerat sub Stéphano, cùm introissent Antiochíam, loquebantùr & ad Græcos, annuntiantes Dóminum Jesum. *Act.* 11.

III. Erat manus Dómini cum eis: multúsque númerus credéntium convérsus est ad Dóminum. *Act.* 11.

IV. Misérunt Apóstoli Bárnabam usque ad Antiochíam; qui cùm pervenísset, & vidísset grátiam Dei, gavísus est. *Act.* 11.

V. Proféctus est Bárnabas Tarsum, ut quæreret Saulum; quem cùm invenísset, perduxit Antiochíam. *Act.* 11.

VI. Annum totum conversáti in Ecclésiâ, docuérunt turbam multam; ita ut cognominarentur discípuli Christiáni. *Act.* 11.

℣. Ego in Dómino gaudébo, ℟. Et exsultábo in Deo Jesu meo. *Habac.* 3.

*Lectiones cum* ℟℟. *de Scripturâ occurrente.*

## *IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Bárnabas hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino: quia erat vir bonus, & plenus Spíritu sancto, & fide. *Act.* 11.

II. Disseminabátur verbum Dómini: & audientes Gentes gavísæ sunt, & glorificábant verbum Dómini. *Act.* 13.

III. Judæi autem excitavérunt persecutiónem in Paulum & Bárnabam, & ejecérunt eos de fínibus suis. *Act.* 13.

IV. Bárnabas & Paulus venérunt Icónium; & illic fiduciáliter agébant in Dómino, testimónium perhibente verbo grátiæ suæ. *Act.* 13 & 14.

V. Cùm factus esset ímpetus Gentílium & Judæórum, ut contuméliis afficerent & lapidárent eos, confugérunt ad civitátes Lycaóniæ, Lystram & Derben, & ibi evangelizantes erant. *Act.* 14.

VI. Reversi sunt Bárnabas & Paulus per civitátes, confirmantes ánimas discipulórum, exhortantésque ut permanérent in fide. *Act.* 14.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis, sed nómini tuo da glóriam, ℟. Super misericórdiâ tuâ & veritáte tuâ. *Ps.* 113.

## LECTIO V.

Ex Demonstratióne sancti Joannis Chrysóstomi contra Judæos & Gentíles, quòd Christus sit Deus. *Edit. Bened. n.* 13.

PEr Apóstolos, seu per piscatóres idiótas, illiterátos, hanc Ecclésiam ædificávit Dóminus, quæ à fínibus usque ad fines terræ exténditur. Neque hoc

solùm mirábile est: quòd idiótæ, páuperes, pauci, ignóbiles, illiteráti ac viles, altérius linguæ, despicabilésque hómines, quibus totíus orbis emendátio commissa fúerat, non illud in pace fécerint, sed innúmeris úndique bellis exagitáti. Per síngulas quippe gentes & urbes, per síngulas étiã domos bella contra ipsos movebantur.

℟. Tradémini à paréntibus, & frátribus, & cognátis, & amícis, & morte afficient ex vobis: * Et éritis ódio ómnibus propter nomen meum. ℣. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum; * Et éritis. *Luc.* 21. *Matth.* 10.

LECTIO VI.

Ingressa namque doctrína, filiumque à patre sæpe dívidens, nurum à socru, fratrem à fratre, servum à dómino, súbditum à príncipe, virum ab uxóre, uxórem à viro, patrem à filiis; non enim simul omnes credébant; quotidiánas inimicítias, bella frequéntia, mille mortes ipsis inducébat, efficiebatque ut sese mútuò quasi commúnes hostes aversarentur. Etenim eos pellébant universi, reges, príncipes, idiótæ, líberi, servi, pópuli, civitátes. Neque illos tantùm; sed quod grávius erat, neóphytos in fide quos illi instituébant.

℟. Nolíte arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram. Veni enim separáre hóminem adversùs patrem suum, & filiam adversùs matrem suam; * Et inimíci hóminis, doméstici ejus. ℣. Nolíte crédere amíco: quia filius contuméliam facit patri, & fília consurgit adversùs matrem suam; * Et. *Matth.* 10. *Mich.* 7.

LECTIO VII.

Commúne namque bellum & doctóribus & discípulis excitabátur, quippe cùm doctrína illa & régiis sanctiónibus & consuetúdini adversári viderétur. Síquidem hortabantur ut ab idólis absísterent, aras despícerent, quas & patres & majóres eórum coluerant, ab impúris dogmátibus resilírent, rídérent solemnitátes, initiatiónes respúerent, quæ ipsis máximè tremenda & formidabília videbantur: pró quibus ánimam dare maluissent, quàm eórum dicta admíttere, & in natum ex Maríâ crédere, qui ad præsidis tribúnal ductus, sputis dehonestátus, innúmeraque passus, exsecrandâ morte affectus, sepultusque resurrexisset. Quodque stupendum erat, cruciátus ómnibus noti erant, flagella

gella nempe, cólaphi, contumélíæ oris sputo dehonestáti, plagæ, crux, sepultúra quasi grátiæ nómine impetráta: sed quæ ad resurrectiónem spectábant non item; solis enim discípulis post resurrectiónem suam appáruit.

℟. Oportébat Christum pati, & resúrgere à mórtuis tértiâ die: & prædicári in nómine ejus pœniténtiam. * Vos autem testes estis horum. ℣. Vobis datum est nosse mystérium regni Dei; * Vos autem. *Luc.* 24. *Marc.* 4.

Lectio VIII.

Attamen hæc dicendo persuadébant, & sic Ecclésiam ædificábant. Quo pacto & quâ ratióne? Virtúte jubentis: ipse namque viam parábat, ipse ómnia difficília facília reddébat. Nisi enim divína quædam virtus hæc perpetrasset, ne vel princípium quidem aut exórdium hæc habuissent. Quo enim id modo fieri potuisset? Verùm is qui díxerat: Fiat cœlum, & opus exhíbuit; lúceat sol, & astrum ostendit; quique ómnia verbo operátus est; ille étiam has Ecclésias plantávit. Et verbum illud: Ædificábo Ecclésiam meã, hæc ómnia operátum est. Tália quippe sunt verba Dei, ópera éxhibent: ópera mirabília atque stupenda.

℟. Non est investigátio sapiéntiæ ejus; qui dat lasso virtútem, * Et † His qui non sunt, fortitúdinem & robur multíplicat. ℣. Infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia; * Et his. ℣. Glória. † His qui. *Isai.* 40. *I. Cor.* 1.

IN III. NOCTURNO.

*Cantica, Ant. & ℣. ut in Communi Apostolorum, pag.* iij.

Lectio IX.

Ex Actibus Apostolórum.

*Cap.* 13.

Erant in Ecclésiâ quæ erat Antiochíæ, prophétæ & doctóres, in quibus Bárnabas, & Simon qui vocabátur Niger, & Lúcius Cyrenensis, & Mánahen qui erat Heródis tetrarchæ collactáneus, & Saulus. Ministrántibus autem illis Dómino & jejunántibus, dixit illis Spíritus sanctus: Segregáte mihi Saulum & Bárnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimisérunt illos.

℟. Ecce ego & púeri mei, quos dedit mihi Dóminus * In signum, & in portentum Israel à Dómino exercítuum, qui hábitat in monte Sion. ℣. Pater, sicut tu me misisti in mundum, &

ego misi eos; * In signum. *Isai.* 8. *Joan.* 17.

LECTIO X.

PAulus & Bárnabas venérunt Antiochíam Pisídiæ: secúti sunt multi Judæórum & coléntium advenárum Paulum & Bárnabam: qui loquentes suadébant eis ut permanérent in grátiâ Dei. Sequenti verò sábbato, pene universa cívitas convénit audíre verbum Dei. Videntes autem turbas Judæi, repléti sunt zelo & contradicébant his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes.

℞. Mementóte sermónis mei, quem ego dixi vobis: * Non est servus major dómino suo. Si me persecúti sunt, & vos persequentur. ℣. Locúti sunt adversùm me linguâ dolósâ, & sermónibus ódii circumdedérunt me. * Non est. *Joan.* 15. *Ps.* 108.

LECTIO XI.

TUnc constanter Paulus & Bárnabas dixérunt: Vobis oportébat primùm loqui verbum Dei, sed quóniam repéllitis illud, & indignos vos judicátis ætérnæ vitæ, ecce convértimur ad Gentes. Sic enim præcépit nobis Dóminus: Pósui te in lucem Géntium, ut sis in salútem usque ad extrémum terræ. Audientes autem Gentes gavísæ sunt, & glorificábant verbum Dómini: & credidérunt quotquot erant præordináti ad vitam ætérnam.

℞. Dedi te in lucem Géntium, * Ut aperíres óculos cæcórum, & edúceres de domo cárceris sedentes in ténebris. ℣. Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob: ecce dedi te in lucem Géntium, * Ut aperíres. *Isai.* 42 & 49.

LECTIO XII.

DIsseminabátur autem verbum Dómini per universam regiónem. Judæi autem concitavérunt mulíeres religiósas & honestas, & primos civitátis, & excitavérunt persecutiónem in Paulum & Bárnabam; & ejecérunt eos de finibus suis. At illi excusso púlvere pedum in eos, venérunt Icónium. Discípuli quoque replebantur gáudio & Spíritu sancto.

℞. In mundo pressúram habébitis: * Sed † Confídite; ego vici mundum. ℣. Quia de mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo, proptérea odit vos mundus: * Sed. ℣. Glória. † Confídite. *Joan.* 16 & 15.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Cap.* 10.

DIxit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio

lupórum : estóte ergo prudentes sicut serpentes, & símplices sicut columbæ. Cavéte autem ab homínibus. Tradent enim vos in concíliis, & in synagógis suis flagellábunt vos : & ad præsides & ad reges ducémini propter me, in testimónium illis & Géntibus. Cùm autem tradent vos, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini : dábitur enim vobis in illâ horâ quid loquámini. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium : & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient : & éritis ódio ómnibus propter nomen meum. Qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

## AD LAUDES.

### *Antiphonæ.*

I. Barnabas & Paulus cùm constituissent per síngulas Ecclésias Presbyteros, & orassent cum jejunatiónibus, commendavérunt eos Dómino, in quem credidérunt. *Act.* 14.

II. Cùm venissent Antiochíam, unde erant tráditi grátiæ Dei, in opus quod complevérunt, retulérunt quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset Géntibus óstium fidei. *Act.* 14.

III. Descendentes quidam de Judæâ, docébant: quia nisi circumcidámini, non potestis salvári. Facta est ergo sedítio non mínima Paulo & Bárnabæ adversùs illos. *Act.* 15.

IV. Statútum est ut ascénderent Paulus & Bárnabas ad Apóstolos; illi ergo deducti ab Ecclésiâ, pertransíbant narrantes conversiónẽ Géntium. *Act.* 15.

V. Cùm venissent Jerosólymam, suscepti sunt ab Ecclésiâ, & ab Apóstolis, & senióribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis. *Act.* 15.

### Lectio. *Act.* 15.

Tacuit omnis multitúdo, & audiébant Bárnabam & Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa & prodígia in Géntibus per eos.

℟. *br.* In Deo * Laudábimur totâ die. ℟. In Deo. ℣. Et in nómine tuo confitébimur in séculum. * Laudábimur. ℣. Glória. ℟. In Deo. *Ps.* 43.

### Hymnus. *S. V.*

Quas non adis mundi plagas,
Pauli labórum párticeps?
Vos unus ambo spíritus,
Vos una junxit cáritas.

Quam vestra gens Christi fidem
Luci rebellis réppulit,
Nil hæsitantes bárbaris
Portastis illam Géntibus.

Fac, Christe, nostris sętuum
Cùm lumen offert méntibus,
Amóre ne noctis suæ
Cœleste donum réspuant.
Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Annúntient nomen Dómini, & laudem ejus in Jerúsalem; ℟. In conveniendo pópulos in unum. *Ps.* 101.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Jacóbus, Cephas & Joannes dextras dedérunt mihi & Bárnabæ societátis; ut nos in Gentes, ipsi autem in Circumcisiónem: tantùm ut páuperum mémores essémus. *Gal.* 2.

COLLECTA. *Brev. Paris.*

DEus, qui beátum Bárnabam plenum fide & Spíritu sancto ad opus conversiónis Géntium assúmere dignátus es: † concéde propítius; * ut mémores labóris & caritátis ejus, dignè Evangélio Christi, quod prædicávit, conversári mereámur; Per eumdem Dóminum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Rom.* 9.

GEntes quæ non sectabantur justítiam, apprehendérunt justítiam; justítiam autem quæ ex fide est. † Israel verò sectando legem justítiæ, in legem justítiæ non pervénit. * Quare? quia non ex fide, sed quasi ex opéribus.

℣. In conspectu Géntium revelávit justítiam suam: ℟. Recordátus est misericórdiæ suæ. *Ps.* 97.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Gal.* 2.

SUbintroiérunt falsi fratres exploráre libertátem nostram quam habémus in Christo Jesu, ut nos in servitútem redigerent: † quibus neque ad horam céssimus subjectióne, * ut véritas Evangélii permáneat apud vos.

℣. Confirmáta est super nos misericórdia Dómini: ℟. Et véritas ejus manet in ætérnum. *Ps.* 116.

AD NONAM.

LECTIO. *II. Cor.* 4.

ABdicámus occulta dedécoris, non ambulantes in astútiâ, neque adulterantes verbum Dei; † sed in manifestatióne veritátis commendantes nosmetipsos, * ad omnem consciéntiam hóminum coram Deo.

℣. In beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum, ℟. Quia Dómini est assúmptio nostra. *Ps.* 88.

II. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

)Lácuit Apóstolis & senióribus, viros ere Antiochíam cum o & Bárnabâ, scri-es per manus eórum. 15.

. Descendérunt Antio-m; & congregátâ mul-line, tradidérunt epí-m: quam cùm legis-gavísi sunt super con-iône. *Act.* 15.

L. Paulus & Bárnabas orabantur Antiochíæ, ntès, & evangelizan-um áliis plúribus ver-Dómini. *Act.* 15.

.. Bárnabas assumpto co, navigávit in Cy-1; Paulus verò electo perambulábat Syriam. 15.

ECTIO. *II. Cor.* 2.

Eo grátias, qui sem-per triumphat nos in sto Jesu, † & odórem iæ suæ * manifestat ios in omni loco.

. *br.* Iníquè non égi-* In testamento tuo, iine. ℟. Iníquè. ℣. Et recessit cor nostrum; ℣. Glória. ℟. Iníquè. 13.

*ymnus*, Quas non *ut ad Laudes.*

. Dedisti nos tamquàm escárum, ℟. Et in ibus dispersisti nos. 13.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Bárnabas & Paulus tradidérunt ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi. *Act.* 15.

---

*Die XIX.*

SS. GERVASII *ET PROTASII,* MARTYRUM,

*Commemoratio.*

*Collecta*, Omnípotens.... qui Sanctis tuis. *de Communi plurium Martyrum*, *pag.* xxvj.

---

*Die XXI.*

S. BASILII MAGNI, EPISCOPI ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

*Omnia de Communi Doctorum, exceptis quæ sequuntur.*

LECTIO III.

*Ex Scriptis sancti Basilii & ex aliis Autoribus.*

Basílius Cæsaréæ in Cappadóciâ natus, propter doctrínæ & morum excelléntiam cognomento Magnus, jam inde ab infántiâ, ab áviâ Macrínâ in rectâ fide instrúitur, quam illa à Gregório Thaumaturgo Neocæsariensi Epíscopo accéperat. Ab Eusébio Cæsaréæ in Cappadóciâ Epíscopo présbyter li-

cèt invítus consecrátur. Ob cujus póstea malévolum in se ánimum, in Ponti solitúdinem se recépit: unde Cæsaréam revocátus est aliquantò post, ut Eusébium in persecutióne Valentis imperatóris Ariáni laborantem, in Ecclésiæ administratióne adjuváret. In summâ annónæ penúriâ, páuperes Cæsaréæ in unum coactos sustentávit, suis étiam mánibus cibos ministrans, quos verbi divíni pábulo condiébat. Eusébio inter manus ejus defuncto subrogátus est. Valente iterum in Cathólicos sæviente, Modestum ejus præfectum extréma sibi minitantem tantâ libertáte repressit, ut pertérritus ille díxerit: Nemo me ad hanc usque diem ita est allocútus, nec pari verbórum libertáte. Cui Basílius: Neque enim fortasse in Epíscopum incidisti. Admirátus tantam ánimi fortitúdinem Modestus Valentem adit: Imperátor, inquit, ab hujus Ecclésiæ antístite victi sumus: minis supérior est, sermónibus firmior, verbórum blandítiis fórtior. His percussus Valens semel & íterum venit in Ecclésiam, ut Basílio factam injúriam sarcíret. Dona ab eo obláta accépit Basílius plus cónsulens Ecclésiæ paci quàm legum Ecclesiasticárum severitáti. Mónachis leges sanctíssimas totíque Ecclésiæ probátas pósuit. Nihil propter labóres contínuos de vitæ asperitáte remísit. Stratus erat humi léctulus, assíduæ vigíliæ; panis & sal pro obsónio, & aqua pro potu. Ex quâ vivendi ratióne graves morbos contraxit; quibus confectus óbiit primâ die Januárii, has inter voces: In manus tuas commendo spíritum meum. Illi paulò post óbitum consecrátum fuisse festum diem refert frater ejus sanctus Gregórius Nyssénus.

℟. Qui habet sermónem meum, loquátur sermónem meum verè; quid páleis ad tríticum, dicit Dóminus? Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dóminus, * Et quasi málleus cónterens petram? ℣. Vivus est sermo Dei & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancípiti; * Et quasi. ℣. Glória. * Et quasi. *Jerem.* 23. *Hebr.* 4.

Collecta. *Sacr. Leon.*

Excita, Dómine, in Ecclésiâ tuâ spíritum cui beátus Basílius Epíscopus & Doctor servívit; † ut eódem nos replente, studeámus amáre quod amávit, * & ópere exercére quod dócuit; Per Dóminum..... in unitáte ejusdem.

*Die XXII.*

S. PAULINI NOLANI, EPISCOPI,

*Commemoratio.*

*Ant.* Beátus dives, qui inventus est sine mácula, & qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia & thesáuris. *Eccli.* 31.

℣. Júnior fui, étenim sénui: ℟. Et non vidi justum derelíctum, nec semen ejus quærens panem. *Ps.* 36.

Collecta. *Brev. Sueſſ.*

OMnípotens & miséricors Deus, qui beátum Paulínum misericórdiæ opéribus tuâ grátiâ fœcundasti: † da, quæsumus, ut ejus exemplo egéntium necessitátibus succurrentes, * misericórdiam tuam consequámur; Per Dóminum.

*Die XXIII.*

IN VIGILIA NATIVITATIS S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Collecta. *Sacr. Greg.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat, † & beáti Joannis præcursóris hortamenta sectando, * ad eum quem prædixit, secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum; Qui tecum.

*Die XXIV.*

*IN NATIVITATE*

S. JOANNIS BAPTISTÆ.

*Festivitas I. Classis.*

AD I. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. CUm sacerdótio fungerétur Zacharías in órdine vicis suæ, appáruit illi Angelus Dómini stans à dextris altáris incensi. *Luc.* 1.

II. Ne tímeas, Zacharía, quóniam exaudíta est deprecátio tua: & uxor tua Elísabeth páriet tibi fílium. *Luc.* 1.

III. Vocábis nomen ejus Joannem: & erit gáudium tibi & exsultátio, & multi in nativitáte ejus gaudébunt. *Luc.* 1.

IV. Vinum & síceram non bibet, & Spíritu sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ. *Luc.* 1.

Lectio. *Malach.* 4.

ECce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus & horríbilis; † & convertet cor patrum ad fílios, & cor filiórum ad patres eórum: * ne forte véniam & percútiam terram anathémate.

℟. *br.* Ipse præcédet ante Dóminum, * In spí-

ritu & virtúte Elíæ. ℟. Ipse. ℣. Paráre Dómino plebem perfectam; * In spíritu. ℣. Glória. ℟. Ipse. *Luc.* 1.

HYMNUS. *C.*

CHriste, prolapsi reparátor orbis,
Ut tuum casto celebrémus omnes
Ore Baptistam, maculas profáni.
Elue cordis.

Hunc paratúrum Dómino sequenti
Sémitam prisci cecinére Vates:
Vátibus cunctis fuit ipse major,
Júdice Christo.

Hic & inclúsus genitrícis alvo
Sentit exsultans Dominum latentem;
Jamque cœlesti trepidat veníre
Obvius Agno.

Quid fide pendes dubiâ, Sacerdos?
Muta torpébit tibi vox: at infans
Prótinus nascens patriæ resolvet
Víncula linguæ.

Quin repromissam, súbitus Prophéta,
Cernis humáno generi salútem;
Núntias pacem, reserasque fatis
Grándibus ora.

Gaudet admírans pópulus stupetque:
Quis puer, clamant, erit iste, cujus
Se statim prodit manifesta tantis
Glória signis?

Laus sit æternæ sua Trinitáti,
Quæ novam mundo paritúra lucem,
Prævium Soli vóluit Joannem
Súrgere sidus. Amen.

℣. Suscepisti me, Dómine, de útero matris meæ: ℟. Confitébor tibi, quia mirabília ópera tua. *Ps.* 138.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Dixit Zacharías ad Angelum: Unde hoc sciam? & respondens Angelus, dixit ei: Ecce eris tacens, & non póteris loqui, usque in diem quo hæc fiant, pro eo quòd non credidisti verbis meis. *Luc.* 1.

*Collecta infrà ad Laudes, pag. 471.*

AD OFFICIUM NOCT.

*In Psal.* Veníte. *Ant.* Agnum Dei à Joanne demonstrátum; * Veníte, adorémus. *Joan.* 1.

HYMNUS. *C.*

EXiit cunis pretiósus infans
Munus Excelsi: venit ut tenello
Córpori robur, nova dìtat intus
Grátia mentem.

Jamque conventus fugiens profános,
Hórridis blandâ procul urbe lustris,
Mílitem Christo parat, innocentes
Sævus in artus.

Cinctus hirsúti spoliis caméli,
Arido vitam toleráre victu
Gaudet: insulsas medicans agresti
Melle locustas.

Scílicet, sacrâ stimulante flammâ,
Pérfidam natus renováre gentem,
Ad patrum mentes revocábit olim
Corda nepótum.

Qui creat mundum sit honos Parenti:
Laus tibi compar, Reparátor orbis:
Æquus ambórum sit honos per omne
Tempus Amóri.
Amen.

## IN I. NOCTURNO.

*Ant.* I. Ego sum Dóminus, formátor tuus ex útero: súscitans verbum servi sui, & consílium nuntiórum suórum complens. *Is.* 44.

II. Priúsquàm te formárem in útero, novi te; & ántequam exíres de vulvâ, sanctificávi te. *Jer.* 1.

III. Dóminus ab útero auxiliátor tuus; noli timére, serve meus, & rectíssime, quem elégi. *Isai.* 44.

IV. Noli dícere: Puer sum; quóniam ad ómnia, quæ mittam te, ibis; & universa quæcumque mandávero tibi loquéris. *Jerem.* 1.

V. Servávi te & dedi te in fœdus pópuli; ut suscitáres terram. *Isai.* 49.

VI. Ecce Dóminus Deus auxiliátor meus: Quis ex vobis timens Dóminum, áudiens vocem servi sui? *Isai.* 50.

℣. Tu es, Dómine, qui extraxisti me de ventre, ℟. Spes mea ab ubéribus matris meæ. *Ps.* 21.

*Lectiones cum* ℟℟. *de Scripturâ occurrente.*

## IN II. NOCTURNO.

*Ant.* I. Zacharías & uxor illíus Elízabeth erant justi ante Deum, incedentes in ómnibus mandátis Dómini. *Luc.* 1.

II. Elízabeth concépit Filium in senectúte suâ; quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. *Luc.* 1.

III. Elízabeth implétum est tempus pariendi, & péperit fílium. *Luc.* 1.

IV. Venérunt circumcídere púerum; & póstulans pugillárem pater ejus scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. *Luc.* 1.

V. Puer crescébat, & confortabátur spíritu: & erat in desertis usque in diem ostensiónis suæ ad Israel. *Luc.* 1.

VI. Fuit homo missus à Deo cui nomen erat Joannes: non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine. *Joan.* 1.

℣. Ecce dabit voci suæ Dóminus. ℟. Vocem virtútis. *Ps.* 67.

LECTIO V.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi. *Serm.* 293. *In Nativit. S. Joann. Bapt.* 7. *Edit. Bened. n.* 1 *&* 2.

NAtivitátem Joannis quodam modo consecrátam obsérvat Ecclésia: nec invenítur ullus in Pátribus, cujus nativitátem solémniter celebrémus. Celebrámus Joannis, celebrámus & Christi: hoc vacáre non potest, & si fortè à nobis pro tantæ rei dignitáte minùs explicátur, fructuósiùs tamen & áltiùs cogitátur. Vidétur Joannes interjectus quidam limes Testamentórum duórum, véteris & novi. Nam eum esse, ut dixi, quodam modo límitem Dóminus ipse testátur dicens: Lex & Prophétæ usque ad Joannem Baptistam. Sústinet ergo persónam vetustátis, & præcónium novitátis: propter persónam vetustátis, de sénibus náscitur; propter persónam novitátis, in viscéribus matris, Prophéta declarátur.

℟. Ipse præcédet ante Dóminum in spíritu & virtúte Elíæ, * Ut convertat corda patrum in filios, & incrédulos ad prudéntiam justórum, paráre Dómino plebem perfectam. ℣. Omnes Prophétæ & lex usque ad Joannem prophetavérunt; & si vultis recípere, ipse est Elías qui ventúrus est; * Ut. *Luc.* 1. *Matth.* 11.

LECTIO VI. *n.* 2 *&* 3.

NOndum enim natus ad sanctæ Maríæ adventum, exsultávit in útero matris. Jam ibi designátus erat: cujus præcursor esset osténditur, antequam ab eo viderétur. Divína sunt hæc, & mensúram humánæ fragilitátis excédunt. Postrémò náscitur, áccipit nomen, lingua sólvitur patris. Hoc quod factum est, refer ad significatiónem rerum, & vide magnum mystérium. Zacharías tacet, & amittit vocem, donec Joannes nascerétur præcursor Dómini, & aperíret vocem. Quid est siléntium Zacharíæ, nisi prophetía latens, & ante prædicatiónem Christi quodam modo occulta & clausa? Aperítur illíus adventu, clara fit ventúro eo qui prophetabátur. Sólvitur lingua, quia náscitur vox. Vox Joannes, Dóminus

autem in princípio erat Verbum. Joannes vox ad tempus; Christus Verbum in princípio ætérnum.

℟. Apertum est os Zacharíæ, & replétus est Spíritu sancto, & prophetávit, dicens: Tu puer, Prophéta Altíssimi vocáberis: * Præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus. ℣. Scriptus es in judíciis témporum lenire iracúndiam Dómini, & restitúere tribus Jacob: * Præíbis. *Luc.* 1. *Eccli.* 48.

LECTIO VII. *n.* 4 *&* 6.

IN natis mulíerum, sicut dixit ipse Christus, nemo exsúrrexit major Joanne Baptistâ. Si hoc hómine nullus erat major homo, qui major est illo, plus est quàm homo. Magnum testimónium Christi de se ipso, sed lippiéntibus & infírmis óculis parùm de se testificátur dies. Infírmi óculi diem expavescunt, lucernam ferunt; ídeo præmísit lucernam dies ventúrus. Parávi, inquit, lucernam Christo meo; Joannem Salvatóri præcónem, júdici præcursórem ventúro, futúro amícum sponso. Quis ergo testimónium huic perhíbeat diéi laténti in quâdam nube carnis? Da lucernam, testétur dié. Dicit Joannes de Christo; Non sum dignus, inquit, corrígiam calceamenti ejus sólvere. Quanta dicit de Christo! quàm præclára! quàm excelsa! quam digna! si tamen de illo áliquid ab áliquo dignè dícitur.

℟. Joannes testimónium pérhibet de Christo: & clamat dicens: Qui post me ventúrus est, ante me factus est, quia prior me erat; * Et de plenitúdine ejus nos omnes accépimus. ℣. Lex per Móysen data est; grátia & véritas per Jesum Christum facta est; * Et. *Joan.* 1.

LECTIO VIII. *n.* 6 *&* 7.

HAbébat discípulos Joannes, habébat & Christus: quasi extra docébat, sed testis inhærébat. Quod in núptiis humánis honro hómini paranymphus est, hoc est Joannes Christo, & idem Deus Christus sponsus, mediátor Dei & hóminum; sed in quantum homo. Nam in quantum Deus non mediátor, sed æquális Patri, hoc idem quod Pater, cum Patre unus Deus.

℟. Non sum ego Christus, sed missus sum ante illum. Qui habet sponsam sponsus est: amícus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gáudio gaudet propter vocem sponsi. * Hoc ergo gáudium meum implétum est. ℣. Pater díligit Fílium; & ómnia dedit in manu ejus. * Hoc. ℣. Glória. * Hoc. *Joan.* 3.

## IN III. NOCTURNO.

I. Canticum. *Isai.* 40.

*Prophetia de Joannis Baptistæ præcursioris Messiæ prædicatione.*

VOx clamantis in deserto : † Paráte viam Dómini, * rectas fácite in solitúdine sémitas Dei nostri.

Omnis vallis exaltábitur, * & omnis mons & collis humiliábitur ;.

Et erunt prava in directa, * & áspera in vias planas.

Et revelábitur glória Dómini, * & vidébit omnis caro páriter quod os Dómini locútum est.

II. Canticum.

OMnis caro fœnum, * omnis glória ejus quasi flos agri.

Exsiccátum est fœnum, & cécidit flos, * quia spíritus Dómini sufflávit in eo.

Verè fœnum est pópulus : * exsiccátum est fœnum, & cécidit flos ;.

Verbum autem Dómini nostri * manet in æternum.

III. Canticum.

SUper montem excelsum ascende, * tu, qui evangelízas Sion :.

Exalta in fortitúdine vocem tuam * qui evangelízas Jerúsalem.

Exalta, noli timére ; * dic civitátibus Juda :. Ecce Deus vester :.

Ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet, * & bráchium ejus dominábitur :

Ecce merces ejus cum eo, * & opus illíus coram illo.

Sicut pastor gregem suum pascet ; * in bráchio suo congregábit agnos,

Et in sinu suo levábit, * fœtas ipse portábit.

*Ant.* A ventre matris consecrátus est prophéta, evértere, & erúere ; & pérdere, & íterùm renováre. *Eccli.* 49.

℣. Vox Dómini super aquas : ℟. Vox Dómini concutientis desertum. *Ps.* 28.

LECTIO IX.

Ex Actibus Apostolórum.

*Cap.* 13.

SUrgens Paulus, & manu siléntium indícens, ait : Viri Israelítæ, & qui timétis Deum, audíte :. Deus plebis Israel elégit patres nostros, & plebem exaltávit cùm essent íncolæ in terrâ Ægypti, & in bráchio excelso eduxit eos ex eâ, & per quadraginta annórum tempus mores eórum sustínuit in deserto. Et déstruens gentes septem in terrâ Chánaan, sorte distríbuit eis terram eórum, quasi post quadragintos & quinquaginta annos, & post hæc dedit júdices usque ad Sámuel Prophétam.

℟. Jurávit Dóminus ad

Abraham patrem nostrum, datúrum se nobis: * Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, serviámus illi, in sanctitáte & justítiâ, coram ipso, ómnibus diébus nostris. ℣. Fecit salútem ex inimícis nostris, & de manu ómnium qui odérunt nos; * Ut. *Luc.* 1.

Lectio X.

ET exinde postulavérunt regem; & dedit illis Deus Saül filium Cis, virum de tribu Bénjamin annis quadraginta. Et amóto illo, suscitávit illis David regem: cui testimónium pérhibens dixit: Invéni David filium Jesse, virum secundùm cor meum, qui fáciet omnes voluntátes meas.

℟. Jurávit Dóminus David veritátem, & non frustrábitur eam: * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. ℣. Erexit cornu salútis nobis, in domo David púeri sui, sicut locútus est; * De. *Ps.* 131. *Luc.* 1.

Lectio XI.

HUjus Deus ex sémine secundùm promissiónem eduxit Israel Salvatórem Jesum, prædicante Joanne ante fáciem advéntûs ejus, baptismum pœniténtiæ omni pópulo Israel. Cùm impléret autem Joannes cursum suum, dicébat: Quem me arbitrámini esse, non sum ego; sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calceamenta pedum sólvere. Viri fratres, filii géneris Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salútis hujus missum est.

℟. Factum est verbum Dómini super Joannem Zacharíæ filium, in deserto; * Et venit in omnem regiónem Jordánis, prædicans baptismum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum. ℣. Hic est qui dictus est per Isaíam Prophétam: Vox clamantis in deserto: Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas ejus. * Et. *Luc.* 3. *Matth.* 3.

Lectio XII. *Cap.* 19.

FActum est autem, cùm Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragrátis superióribus pártibus veníret Ephesum, & inveníret quosdam discípulos: dixitque ad eos: Si Spíritum sanctum accepistis credentes? At illi dixérunt ad eum: Sed neque si Spíritus sanctus est audívimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizáti estis? Qui dixérunt: In Joannis baptísmate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizávit baptismo pœniténtiæ pópulum, dicens: In eum qui ventúrus esset post ipsum, ut créderent, hoc est, in Jesum. His audítis bapti-

záti sunt in nómine Dómini Jesu.

℟. Ego quidem baptízo in aquâ in pœniténtiam; qui autem post me ventúrus est, fórtior me est; * Ipse vos baptizábit in Spíritu Sancto & igni. ℣. Ipse est qui post me ventúrus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrígiam calceamenti; * Ipse. ℣. Glória. * Ipse. *Matth.* 3. *Joan.* 1.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Cap.* 1.

ELísabeth implétum est tempus pariendi, & péperit filium. Et audiérunt vicíni, & cognáti ejus, quia magnificávit Dóminus misericórdiam suam cum illâ, & congratulabantur ei. Et factum est in die octávo, venérunt circumcídere púerum, & vocábant eum nómine patris sui Zacharíam. Et respondens mater ejus dixit: Nequáquam, sed vocábitur Joannes. Et dixérunt ad illam: Quia nemo est in cognatióne tuâ, qui vocétur hoc nómine. Innuébant autem patri ejus, quem vellet vocári eum. Et póstulans pugillárem, scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. Et miráti sunt univérsi. Apertum est autem íllico os ejus, & lingua ejus, & loquebátur benedícens Deum. Et factus est timor super omnes vicínos eórum: & super ómnia montána Judææ divulgabántur ómnia verba hæc: & posuérunt omnes qui audíerant in corde suo, dicentes: Quis putas, puer iste erit? étenim manus Dómini erat cum illo. Et Zacharías pater ejus replétus est Spíritu sancto, & prophetávit dicens: Benedíctus Dóminus Deus Israel, quia visitávit & fecit redemptiónem plebis suæ.

AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. EXistimante pópulo de Joanne, ne fortè esset Christus, respondit: Véniet fórtior me, cujus non sum dignus sólvere corrígiam calceamentórum. *Luc.* 3.

II. Conféssus est: Non sum ego Christus: ego vox clamantis in deserto: Dirígite viam Dómini. *Joan.* 1.

III. Prædicábat dicens: Ego baptizávi vos aquâ; ille verò baptizábit vos Spíritu sancto. *Marc.* 1.

IV. Vidit Jesum, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi. Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est. *Joan.* 1.

V. Lex & Prophétæ usque ad Joannem: ex eo regnum Dei evangelizátur. *Luc.* 16.

Lectio. *Act.* 19.

JOannes baptizávit baptísmo pœniténtiæ pópulum, dicens: † In eum qui ventúrus esset post ipsum, ut créderent, * hoc est in Jesum.

℟. *br.* Vox clamantis in deserto: * Paráte viam Dómini. ℟. Vox. ℣. Rectas fácite in solitúdine sémitas Dei nostri. * Paráte. ℣. Glória. ℟. Vox. *Isai.* 40.

Hymnus. C.

NUnc suis tandem novus è latébris
Prodit Elías, populísque Christum
Clamat, exprόbrans sua viperínæ
Crímina proli.

En Deus judex, Deus en propinquat
Véntilans fruges: súperis recondet
Tríticum cellis, paleásque diros
Tradet in ignes.

Hujus adventu rigidum superbi
Déprimant montes caput: erigantur
Vállium passim cava; corrigantur
Prava viárum.

Sancte Præcursor, date præco lucis,
Excitet somno tua vox inertes:
Ut graves olim fugiámus Agni
Víndicis iras.

Summa laus Patri, genitóque Verbo;
Æquus amborum sit honos Amóri
Qui sacrum Christi púgilem potenter
Ungit & armat.
Amen.

℣. Os meum annuntiábit justítiam tuam, ℟. Totâ die salutáre tuum. *Ps.* 70.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Tu puer, Prophéta Altíssimi vocáberis; præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus. *Luc.* 1.

Collecta. *Sacr. Leon.*

DEus, qui præsentem diem honorábilem nobis in beáti Joannis Nativitáte fecisti: † da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum, * & ómnium fidélium mentes dirige in viam salútis & pacis ætérnæ; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Canon.

Ex Epístolâ Hadriáni Papæ. *An.* 787. *apud S. Gregorium. Lib.* 9. *Epist.*

QUantæ virtútis Præcursor nostri Redemptóris fuit nóvimus, qui per sacrum elóquium non solùm plusquàm Prophéta, sed étiam Angelus vocátur.

AD TERTIAM.

Lectio. *Isai.* 52.

GAudéte & laudáte simul, desérta Jerúsalem, quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem. † Parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntium; * & vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri.

℣. Recordátus est misericórdiæ suæ, ℟. Et veritátis suæ dómui Israel. *Ps.* 97.

AD SEXTAM.

Lectio. *Luc.* 3.

DIcébat Joannes ad turbas, quæ exíbant ut baptizarentur ab ipso: † Genímina viperárum quis ostendit vobis fugere à ventúrâ irâ? * fácite ergo fructus dignos pœniténtiæ.

℣. Docébo iníquos vias tuas; ℟. Et ímpii ad te convertentur. *Ps.* 50.

AD NONAM.

Lectio. *Luc.* 3.

NE cœpéritis dícere: Patrem habémus Abraham. † Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapídibus istis * suscitáre filios Abrahæ.

℣. Justítiam tuam non abscóndi in corde meo; ℟. Veritátem tuam & salutáre tuum dixi. *Ps.* 39.

AD II. VESPERAS.

*Psalmi de Dominicâ.*

*Antiphonæ.*

I. CŒpit Jesus dícere ad turbas de Joanne: Quid existis vidére? Prophétam? Etiam dico vobis, & plusquàm Prophétam. *Matth.* 11.

II. Hic est de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te. *Matth.* 11.

III. Amen dico vobis: non surrexit inter natos mulíerum major Joanne Baptistâ. *Matth.* 11.

IV. Si vultis recípere, ipse est Elías qui ventúrus est. *Matth.* 11.

Lectio. *Joan.* 1.

QUi misit me baptizáre in aquâ, ille mihi dixit: † Super quem víderis Spíritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spíritu sancto. * Et ego vidi, & testimónium perhíbui quia hic est Filius Dei.

℟. *br.* Qui post me ventúrus est, * Fórtior me est. ℟. Qui. ℣. Ipse vos baptizábit in Spíritu sancto & igni. * Fórtior. ℣. Glória. ℟. Qui post. *Matth.* 3.

Hymnus. *C.*

QUid moras nectis? Domino jubenti
Cede: qui sacro lavat igne corda,

Hic tuis ardet manibus, Joannes,
Amne lavári.

Quis fuit sensus tibi, cùm vidéres
Súpplicis ritu, dare colla pronum
Cui pedum summo repu- tes honóri
Sólvere lora?

Cernis ut, nimbo ru- tilante, Christo
Spíritus, Patris comitan- te voce,
Incubat, sese Triadisque tota
Pandit imágo.

Díligens instas operi mi- nister:
Víctimam mundi scelus auferentem
Prædicas Agnum, digitó- que fidus
Indice monstras.

Immemor laudis pro- priæ, magistro
Débitos Christo properas alumnos
Réddere: ardébas minui: decébat
Créscere Christum.

Nec fidem vitâ sat erit probasse:
Víndicem læsi rigidum pu- dóris
Te manet carcer: Domi- no cruentâ
Morte præíbis.

Lætus æternum celebret Parentem
Orbis, æternum celebret Parentis
Fílium: par sit tibi laus per omne,
Spíritus, ævum.
Amen:

℣. Loquébar de testimó- niis tuis in conspectu re- gum, ℟. Et non confundé- bar. *Ps.* 118.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Joannes testimónium per- híbuit veritáti; ille erat lucerna ardens & lucens. *Joan.* 5.

---

## *Die XXV.*

### S. PROSPERI AQUITANI, *Commemoratio.*

*Collecta*, Deus, qui es miséricors. *de Communi Justorum, pag.* lxvj.

---

## *Die XXVI.*

### SS. JOANNIS *ET PAULI,* MARTYRUM, *Commemoratio.*

*De Communi plurium Martyrum.*

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

QUæsumus, omnípotens Deus, † ut nos gemi- náta lætítia hodiernæ festi- vitátis excípiat, quæ de beatórum Joannis & Pauli glorificatióne procédit, * quos éadem fides & pássio verè fecit esse germános; Per Dóminum.

## *Die XXVIII.*

## S. Irenæi, Lugd. Episc. et Mart.

*Omnia de Communi unius Martyris, exceptis quæ sequuntur.*

### Lectio III.

Ex Epístolâ sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris ad Florínum. *Edit. Bened.*

Vidi te, cum adhuc puer essem, in inferióre Asiâ apud Polycarpum, cùm in imperatóriâ aulâ spléndidè ágeres, & illi te probáre conaréris. Nam ea quæ tunc gesta sunt, méliùs memóriâ téneo, quàm quæ nuper accidérunt, (quippe quæ púeri díscimus, simul cum ánimo ipso coalescunt, eíque pénitus inhærent) ádeo ut & locum dícere possim in quo sedens beátus Polycarpus disserébat, processus quoque ejus, & ingressus, vitæque modum, & córporis spéciem, sermónes dénique quos ad multitúdinem habébat; & familiárem consuetúdinem, quæ illi cum Joanne, ac réliquis qui Dóminum víderant, intercessit, ut narrábat, & quáliter dicta eórum commemorábat: quæque de Dómino ex ipsis audíerat, de miráculis illius étiam, ac de doctrínâ, quæ ab iis, qui Verbum vitæ ipsi conspéxerant, accéperat Polycarpus; quáliter referébat cuncta Scriptúris cónsona. Hæc jam tunc témporis per Dei cleméntiam, quæ mihi óbtigit, studiósè audiébam, non in chartâ sed in corde meo ea consignans, semperque Dei grátiam exactè ea mente revolvo. Atque in conspectu Dómini contestári possum, beátum illum & Apostólicum Presbyterum, si tale quid audivisset, (scílicet quòd Deus sit cónditor malórũ) exclamatúrum sanè, ac obturátis áuribus suis pro more dictúrum fuisse: Deus bone, quæ me in témpora reservasti, ut hæc sustinérem! atque ex loco ipso effugitúrum, in quo sedens vel stans, ejúsmodi sermónes audivisset. (Irenæum ut æmulatórem testamenti Christi commendant Mártyres Lugdunenses in suâ ad Eleuthérium Papam Epístolâ. Sed & Hierónymus in caput sexagésimum quintum Isaíæ eum virum Apostólicum, Epíscopum & Mártyrem appellat).

℟. Præcípio tibi coram Deo, ut serves mandátum sine máculâ, irreprehensíbile. * Depósitum custódi, devítans profánas vocum novitátes, & oppositiónes falsi nóminis sciéntiæ. ℣. Ne transgrediáris términos an-

tiquos, quos posuérunt patres tui. * Depósitum. ℣. Glória. * Depósitum. I. Tim. 6. Prov. 22.

*Collecta*, Deus, cujus grátia. *de Communi unius Martyris*, *pag.* xvj.

*Commemoratio Vigiliæ* SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Collecta. *Sacr. Greg.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus; † ut nullis nos permittas perturbatiónibus cóncuti, * quos in Apostólicæ conféssiónis petrâ solidasti; Per Dóminum.

---

## *Die XXIX.*

## SS. PETRI et PAULI, Apostolorum.

*Festivitas I. Classis.*

---

### AD I. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. REspíciens Joannes Jesum, dicit: Ecce Agnus Dei. Et audiérunt eum duo discípuli loquentem, & secúti sunt Jesum. *Joan.* 1.

II. Erat Andreas frater Simónis Petri, unus ex duóbus qui audíerant à Joanne, & secúti fúerant Jesum. *Joan.* 1.

III. Invénit hic primùm fratrem suum Simónem, & dicit ei: Invénimus Messíam: & adduxit eum ad Jesum. *Joan.* 1.

IV. Intúitus Simónem Jesus, dixit: Tu es Simon fílius Jona: tu vocáberis Cephas, quod interpretátur Petrus. *Joan.* 1.

Lectio. *I. Cor.* 1.

QUæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia; † & ignobília mundi & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret; * ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus.

℟. *br.* Dóminus súscitat de púlvere egénum; * Ut sóliũ glóriæ téneat. ℟. Dóminus. ℣. Et de stércore élevat páuperem; * Ut. ℣. Glória. ℟. Dóminus. *I. Reg.* 2.

Hymnus. *C.*

QUos junxit unus, vita dum mansit, labor,
Quos una clarat morte palma mártyres,
Ambo sacráti príncipes exércitûs,
Cœlo receptos una vos colit dies.
Vos, anguláris cui subest Christus lapis,
Fundátis ædem: mystico vos córpori,
Cui præsidére gaudet augustum caput,

Fulgére clara jussit ambo lúmina.
In te potestas clávium, Petre, éminet;
Te, Paule, flumen írrigat sciéntiæ:
Uterque pastor, & magister, & parens,
Olimque mundo destináti júdices.
Infirmitátem carnis experti tamen,
Nostis cadúcam fictilis testam luti;
Et consecúti grátiam, cliéntibus
Præstátis ultro quam piè poscunt opem.
Nunc ergo votis súpplicum solémnibus
Adeste: lapsis impetráte grátiam;
Ut Christiánis adsequámur móribus
Quæ sancta mundo tradidistis dógmata.
Sit sempiterno sempiterna laus Patri;
Petro supernus quem revelávit Pater,
Æterne Fili, laus tibi sit máxima;
Sit par suprémo laus decusque Flámini. Amen.

℣. Súscitans Dóminus à terrâ ínopem, ℟. Ut cóllocet eum cum princípibus. *Ps.* 112.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Ait Jesus Simóni qui vocátur Petrus, & Andreæ fratri ejus: Veníte post me. At illi contínuò relictis rétibus, secúti sunt eum. *Matth.* 4.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 483.

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Christum qui ædificávit nos super fundamentum Apostolórum; * Veníte adorémus. *Ephes.* 2.

HYMNUS. *C.*

ORbe nunc toto celebrentur ambo
Príncipes, orbis decus atque lumen,
Mille qui Christo peperére verbi
Sémine gentes.

Autor incœpti Deus: ille terras
Incolens, primas tibi, Petre, defert:
Mox vocat Paulum, superas regressus
Victor ad arces.

Alter æterni Patris erudítur
Voce delapsâ: super astra raptus
Alter arcánæ sacra veritátis
Verba reportat.

Quanta sub vili latitat potestas
Córpore! Infirmos tua sanat umbra
Petre: letháles tua, Paule, pellunt
Líntea morbos.

Mérgitur ponto superante Petrus:

Náufragum Paulus fluitat
per æquor:
Christe, ades, sævosque
jubes utríque
Párcere fluctus.
Heu! fidem cernis titubáre
nostram:
Tu vacillantes rege, Christe,
gressus:
Fac, Deus, tantos dócili
sequámur
Corde Magistros.
Amen.

## IN I. NOCTURNO.

*Ant.* I. Ascendens Jesus in navim Simónis, rogávit eum à terrâ redúcere pusillum: & sedens docébat de navículâ turbas, *Luc.* 5.

II. Ut cessávit loqui, dixit ad Simónem: Duc in altum, & laxáte rétia vestra in captúram. *Luc.* 5.

III. Dixit illi Simon; Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cépimus; in verbo autem tuo laxábo rete. *Ibid.*

IV. Conclusérunt píscium multitúdinem copiósam; rumpebátur autem rete eórum. *Luc.* 5.

V. Quod cum vidéret Simon Petrus, prócidit ad génua Jesu, dicens: Exi à me, quia homo peccátor sum. *Luc.* 5.

VI. Ait ad Simónem Jesus: Noli timére: ex hoc jam hómines eris cápiens. *Luc.* 5.

℣. Ipsi vidérunt ópera Dómini; ℟. Et mirabília ejus in profundo. *Ps.* 106.

*Lectiones cum ℟℟. de Scripturâ occurrente.*

## IN II. NOCTURNO.

*Ant.* I. Multi discipulórum abiérunt retrò; dixit ergo Jesus ad duódecim: Numquid & vos vultis abíre? *Joan.* 6.

II. Respondit Simon Petrus: Dómine ad quem íbimus? Verba vitæ æternæ habes, *Joan.* 6.

III. Nos credídimus & cognóvimus quia tu es Christus filius Dei. *Joan.* 6.

IV. Tecum parátus sum & in cárcerem & in mortem ire. *Luc.* 22.

V. Qui operátus est Petro in Apostolátum circumcisiónis, operátus est Paulo inter Gentes, *Gal.* 2.

VI. Príncipes & ínclyti Israel, amábiles & decóri in vitâ suâ, in morte quoque non sunt divísi. *II. Reg.* 1.

℣. Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum. *Ps.* 138.

LECTIO V.

Ex Sermóne primo sancti Bernardi Abbátis, in Festo sanctórum Apostolórum Petri & Pauli. *Ed. Ben. n.* 1.

Gloriósa nobis solémnitas illuxit, quam præclári Martyres, Mártyrum duces, Apostolórum prín-

cipes, morte claríssimâ consecrárunt. Isti sunt Petrus & Paulus, duo magna luminária, quos Deus in córpore Ecclésiæ suæ constítuit quasi géminum lumen oculórum. Hi mihi tráditi sunt in magistros & in mediatóres, quibus securè me commíttere possim: quia & notas mihi fecérunt vias vitæ, & mediántibus illis, ad illum Mediatórem ascéndere pótero, qui venit pacificáre per sánguinem suum, & quæ in cœlis, & quæ in terris sunt.

℟. Illi víri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: * Et filii eórum propter illos usque in ætérnum manent, & glória eórum non derelinquétur. ℣. Hæréditas sancta nepótes eórum, & in testaméntis stetit semen eórum; * Et. *Eccli.* 44.

LECTIO VI. *n.* 1 & 2.

DEdit mihi Dóminus hómines istos, qui & hómines essent & peccatóres, & máximi peccatóres qui in seipsis, & de seipsis díscerent, quáliter áliis misereri debérent. Tales decébat humáno géneri pastóres & doctóres constítui, qui & dulces essent & potentes, & nihilóminus sapientes; dulces, ut me blandè & misericórditer suscíperent; potentes, ut fórtiter protégerent; sapientes, ut ad viam & per viam dúcerent quæ ducit ad Civitátem.

℟. Nonne opus meum vos estis in Dómino? Et si áliis non sum Apóstolus, sed tamen vobis sum: * Nam signáculum Apostolátûs mei vos estis in Dómino. ℣. Rogámus ergo vos & obsecrámus, ut quemadmodum accepistis à nobis, quómodo opórteat vos ambuláre, & placére Deo, sic & ambulétis. *Nam. *I. Cor.* 9. *I. Thess.* 4.

LECTIO VII.

QUid Petro dúlcius, qui tam dúlciter ad se omnes cónvocat peccatóres, sicut & Actus Apostólici, & Epistolárum ejus séries adtestátur? Quid illo poténtius, cui & terra obedívit, cùm mórtuos réddidit, & mare sub pédibus ejus se calcábile præbuit; qui Simónem magum spíritu oris sui in áere ádtigit; qui claves regni cœlórum tam singuláriter accépit, ut præcédat senténtia Petri senténtiam cœli? Dénique, quodcumque ligáveris, inquit, super terram, erit ligátum & in cœlis; & quodcumque sólveris super terram, erit solútum & in cœlis. Quid autem illo sapiéntius, cui non caro & sanguis, sed Pater qui in cœlis est, sapiéntiam il-

m, quæ de cœlis est, ultâ largitáte revelávit? bentíssimè Paulum fe- ior, qui, præ nímiâ dul- dine luget eos qui pecca- runt, & non egérunt œniténtiam; qui fórtior t omni principátu & po- ſtáte; qui ſapiéntiam & edullam ſacrórum sén- um non à primo, vel à cundo, ſed à tértio cœlo portávit.

℟. Dabo duóbus téſti- is meis, & prophetábunt. Hi habent poteſtátem audendi cœlum, & per- itere terrám. ℣. Iſti ſunt 10 filii ólei qui adſiſtunt ominatóri univerſæ ter- æ. * Hi. *Apoc.* 11. *Zach.*

LECTIO VIII. *n.* 3.

HI ſunt Magiſtri noſtri, qui à Magiſtro óm- ium vias vitæ pléniùs didi- érunt, & docent nos uſ- ue in hodiernum diem. Quid ergo docuérunt vel ocent nos Apóſtoli ſancti? Non piſcatóriam artem, on ſcenofactóriam, vel uidquid hujúſmodi eſt: Non Platónem légere, non riſtotélis versútias inver- are, non ſemper díſcere, t nunquam ad veritátis ciéntiam perveníre. Do- uérunt me vívere. Putas, arva res eſt ſcire vívere? Magnum áliquid, imò má- imum eſt. Non vivit qui upérbiâ inflátur, qui lu- xúriâ ſordidátur, qui cæ- teris inficitur péſtibus: quóniam non eſt hoc ví- vere, ſed vitam confúnde- re, & appropinquáre uſ- que ad portas mortis. Bo- nam autem vitam ego pu- to, & mala pati, & bona fácere, & ſic perſeveráre uſque ad mortem.

℟. Evangélium quod evangelizátum eſt, non eſt ſecundùm hóminem; * Sed † Licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelízet vobis præterquàm quod evange- lizávimus vobis; anáthe- ma ſit. ℣. Mémores eſtóte verbórum quæ prædicta ſunt ab Apóſtolis Dómini noſtri Jeſu Chriſti; * Sed. ℣. Glória. † Licèt. *Galat.* 1. *Jud.*

## *IN III. NOCTURNO.*

*Cant. Ant. &* ℣. *ut in Comm. Apoſt. pag.* iij.

LECTIO IX.

Ex Epíſtolâ ſecundâ beáti Petri Apóſtoli. *Cap.* 1.

FRatres, magìs ſatágite ut per bona ópera cer- tam veſtram vocatiónem & electiónem faciátis: hæc enim facientes, non peccá- bitis aliquando. Sic enim abundanter miniſtrábitur vobis intróitus in æternum regnum Dómini noſtri, & Salvatóris Jeſu Chriſti. Pro- pter quod incípiam vos ſemper commonére de his: & quidem ſcientes, & con-

firmátos vos in præsenti veritáte. Justum autem árbitror quámdiu sum in hoc tabernáculo, suscitáre vos in commonitióne: certus quòd velox est depositio tabernáculi mei, secundùm quod & Dóminus noster Jesus Christus significávit mihi. Dabo autem óperam & frequenter habére vos post óbitum meũ, ut horum memóriam faciátis.

℟. Cùm esses júnior cingébas te, & ambulábas ubi volébas: cùm autem senúeris, * Extendes manus tuas, & álius te cinget, & ducet quò tu non vis. ℣. Ecce data sunt super te víncula, & ligábunt te in eis; & non egrediéris de médio eórum. * Extendes. *Joan.* 21. *Ezech.* 3.

LECTIO X.

Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 20.

A Miléto Paulus mittens Ephesum, vocávit majóres natu Ecclésiæ. Qui cùm venissent ad eum, & simul essent, dixit eis: Vos scitis à primâ die quâ ingressus sum in Asiam, quáliter vobiscum per omne tempus fuerim, sérviens Dómino cum omni humilitáte, & lácrymis, & tentatiónibus, quæ mihi accidérunt ex insídiis Judæórum: quómodo nihil subtráxerim utílium quóminùs annuntiárem vobis, & docérem vos públicè, & per domos, testíficans Judæis atque Gentílibus in Deum pœniténtiam, & fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum. Et nunc ecce alligátus ego spíritu, vado in Jerúsalem; quæ in eâ ventúra sint mihi, ignórans; nisi quòd Spíritus sanctus per omnes civitátes, mihi protestátur, dicens: Quóniã víncula & tribulatiónes Jerosólymis me manent. Sed nihil horum véreor: nec fácio ánimam meam pretiosiórem quàm me, dúmmodo consummẽ cursum meum, & ministérium verbi, quod accépi à Dómino Jesu; testificári Evangélium grátiæ Dei.

℟. Deus nos Apóstolos novíssimos ostendit, tamquàm morti destinátos; * Quia spectáculum facti sumus mundo, & Angelis, & homínibus. ℣. In mortem trádimur propter Jesum, ut & vita Jesu manifestétur in carne nostrâ mortáli. * Quia. *I. Cor.* 4. *II. Cor.* 4.

LECTIO XI.

Et nunc ecce ego scio quia ampliùs non vidébitis fáciem meam vos omnes, per quos transívi prædicans regnum Dei. Quapropter contestor vos hodiernâ die, quia mundus sum à sánguine ómnium.

Non

Non enim subterfúgi, quóminùs annuntiárem omne consílium Dei vobis. Adténdite vobis, & universo gregi, in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos, régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo. Ego scio quóniam intrábunt post discessiónem meã lupi rapáces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abdúcant discípulos post se. Propter quod vigiláte, memóriâ retinentes, quóniam per triénnium nocte & die non cessávi, cum lácrymis monens unumquemque vestrum. Et nunc commendo vos Deo, & verbo grátiæ ipsíus, qui potens est ædificáre, & dare hæreditátem in sanctificátis ómnibus.

℟. In labóre fui & ærumnâ, in vigíliis multis, in frígore & nuditáte: * Præter illa, quæ extrínsecùs sunt, instántia mea quotidiána, sollicitúdo ómnium Ecclesiárum. ℣. Die noctúque æstu urébar & gelu, fugiebatque somnus ab óculis meis: * Præter. *II. Cor.* 11. *Genes.* 31.

LECTIO XII.

ARgentum & aurum, aut vestem nullíus concupívi, sicut ipsi scitis: quóniam ad ea quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministravérunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quóniam sic laborantes, oportet suscípere infirmos, ac meminisse verbi Dómini Jesu, quóniam ipse dixit: Beátius est magis dare quàm accípere. Et cùm hæc dixisset, pósitis génibus suis orávit cum ómnibus illis. Magnus autem fletus factus est ómnium: & procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum, dolentes máximè in verbo quod díxerat, quóniam ampliùs fáciem ejus non essent visúri. Et deducébant eum ad navem.

℟. Tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. * In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ. ℣. Grátia Dei in me vácua non fuit, sed abundántiùs illis ómnibus laborávi. * In. ℣. Glória. * In. *II. Tim.* 4. *I. Cor.* 15.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.
*Cap.* 21.

DIcit Simóni Petro Jesus: Simon Joannis, díligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Dómine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei íterum: Simon Joannis, díligis me? Ait illi: Etiam,

Dómine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tértio: Simon Joannis, amas me? Et dicit ei: Dómine, tu ómnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas. Amen, amen, dico tibi: cùm esses júnior, cingébas te, & ambulábas ubi volébas: cùm autem senúeris, extendes manus tuas, & álius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans quâ morte clarificatúrus esset Deum.

## AD LAUDES.

*Antiphonæ.*

I. Cum introisset Petrus Cæsaréam, óbvius venit ei Cornélius, & prócidens ad pedes ejus adorávit. *Act.* 10.

II. Apériens Petrus os suum, dixit: In veritáte cómperi quia non est personárum acceptor Deus. *Act.* 10.

III. Adhuc loquente Petro, cécidit Spíritus sanctus super omnes qui audiébant verbum. *Act.* 10.

IV. Obstupuérunt ex circumcisióne fidéles, qui vénerant cum Petro: quia & in natiónes grátia Spíritûs sancti effúsa est. *Act.* 10.

V. Glorificáverunt Deum, dicentes: Ergo & Géntibus pœniténtiam dedit Deus ad vitam. *Act.* 11.

Lectio. *II. Petr.* 1.

Simon Petrus, servus & Apóstolus Jesu Christi, † iis qui coæquálem nobiscum sortiti sunt fidem in justítiâ Dei nostri, & Salvatóris Jesu Christi: * grátia vobis & pax adimpleátur in cognitióne Dei, & Christi Jesu Dómini nostri.

℟. *br.* Confitémini Dómino, * Et invocáte nomen ejus. ℟. Confitémini. ℣. Annuntiáte inter Gentes ópera ejus; * Et. ℣. Glória. ℟. Confitémini. *Ps.* 104.

Hymnus. *C.*

Jam nil Hebræis, Géntium plebs, ínvide,
Dignáta eisdem, fausta plebs, honóribus:
Ovíle summus Pastor expandit suum,
Novusque primo grex adunáris gregi.

Promissa patrum, Christe, natus éxsequi,
De stirpe Jacob quæris amissas oves;
Petrumque, primo quem locavisti gradu,
Tanto labóri sufficis vicárium.

Divína Gentes at simul cleméntia
Respectat, illis, Paule, doctor mítteris:
Arcána profers tu Dei mystéria;
Tu Christiánæ præco fulges grátiæ.

Utrimque fervet úberi
fructu labor:
Judæus, an sis bárbarus,
nil interest:
Diversa quamquàm sors
duóbus óbtigit,
Par universi cura succendit
gregis.
Sit sempiterno sempiterna laus Patri;
Petro supernus quem revelávit Pater,
Æterne Fili, laus tibi sit
máxima;
Sit par suprémo laus decusque Flámini. Amen.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram; ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. *Ps.* 44.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Dei sumus adjutóres: nemo gloriétur in homínibus; ómnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Cephas; vos autem Christi, Christus autẽ Dei. *I. Cor.* 3.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui hodiernam diem Apostolórum tuórum Petri & Pauli martyrio consecrasti; † da Ecclésiæ tuæ eórum in ómnibus sequi præceptum,* per quos Religiónis sumpsit exórdium; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Florentíno.
*An.* 1409.

DIffinímus sanctã Apostólicam sedem, & Románum Pontíficem in universum orbem tenére primátum; & ipsum Pontíficem Románum successórem esse beáti Petri príncipis Apostolórum, & verum Christi vicárium, totiusque Ecclésiæ caput, & ómnium Christianórum patrem & doctórem exsístere; & ipsi in beáto Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universálem Ecclésiam à Dómino nostro Jesu Christo plenam potestátem tráditam esse: quemádmodum étiam in gestis Œcumenicórum Conciliórum, & in sacris Canónibus continétur.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Act.* 10.

IN omni gente qui timet Deum & operátur justítiam, acceptus est illi. † Verbum misit Deus fíliis Israel, annúntians pacem per Jesum Christum: * hic est ómnium Dóminus.

℣. Benedícite, Gentes, Deum nostrum: ℟. Et audítam fácite vocem laudis ejus. *Ps.* 65.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Act.* 15.

VIri fratres, vos scitis quóniam ab antíquis diébus, Deus in nobis elégit, per os meum audíre Gentes verbum Evangélii & crédere. † Et qui novit corda Deus, testimónium perhíbuit, * dans illis Spí-

ritum sanctum, sicut & nobis.

℣. Afferte Dómino, pátriæ Géntium, ℟. Afferte Dómino glóriam & honórem. *Ps.* 95.

## AD NONAM.

Lectio. *Act.* 15.

Nihil discrévit Deus inter nos & illos, fide puríficans corda eórum. † Nunc ergo quid tentátis Deum, impónere jugum super cervícem discipulórum, quod neque patres nostri, neque nos portáre potúimus? * Sed per grátiam Dómini nostri Jesu Christi crédimus salvári, quemádmodum & illi.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis, sed nómini tuo da glóriam, ℟. Super misericórdiâ tuâ & veritáte tuâ. *Ps.* 113.

## AD II. VESPERAS.

*Psalmi de Dominicâ.*

*Antiphonæ.*

I. Justum árbitror quámdiu sum in hoc tabernáculo, suscitáre vos in commonitióne. *II. Petr.* 1.

II. Velox est depositio tabernáculi mei, secundùm quod & Dóminus noster Jesus Christus significávit mihi. *II. Petr.* 1.

III. Dabo óperam & frequenter habére vos post óbitum meum, ut horum memóriam faciátis. *II. Petr.* 1.

IV. Properantes in advéntum diéi Dómini, satágite immaculáti & inviolati ei inveníri in pace. *II. Petr.* 3.

Lectio. *II. Petr.* 3.

Vestram éxcito in commonitióne sincéram mentem, † ut mémores sitis eórum quæ prædixi verbórum à sanctis Prophétis & Apostolórum vestrórum, * præceptórum Dómini & Salvatóris.

℟. *br.* Dóminus excelsus, terríbilis, * Rex magnus super omnem terram. ℟. Dóminus. ℣. Subjécit pópulos nobis, & Gentes sub pédibus nostris. * Rex. ℣. Glória. ℟. Dóminus. *Ps.* 46.

Hymnus. *C.*

Tandem labórum, gloriósi Príncipes,
Fructum tenétis: fana passim córruunt:
Quin ipsa latè Roma victrix géntium,
Se Christiáno jam stupet subdi jugo.

Sævit tyrannus; at triumphant víctimæ:
Alter per ensem victor, alter per crucem,
Cœlo corónam laureáti póssident,
Fususque sanguis Christiános séminat.

Superba sordent Cæsares cadávera,
Queis Urbs litábat ímpii cultus ferax:

Apostolórum gloriátur óssibus,
Fixamque adórat cóllibus suis Crucem.

Nunc ô cruóre purpuráta nóbili,
Novísque felix Roma conditóribus,
Horum tropæis aucta, quantò vériùs
Regína fulges orbe toto cívitas!

Sit sempiterno sempiterna laus Patri:
Sit sempiternum Fílio Patris decus:
Qui nectis ambos, æquus ambóbus, tibi,
Divíne, sit laus sempiterna, Spíritus. Amen.

℣. Annuntiavérunt cœli justítiam ejus: ℟. Et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus. *Ps.* 96.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Dómini nostri longanimitátem, salútem arbitrémini; sicut & caríssimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapiéntiam scripsit vobis. *II. Petr.* 3.

---

## *Die XXX.*

### In Commemoratione S. Pauli, Apostoli.

### AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Deum à quo grátia data est Paulo, ut sit miníster Christi Jesu in Géntibus; * Veníte adorémus. *Rom.* 15.

Hymnus, *Brev. Clun.*

Qui Gentes supero lúmine récreat
Paulum promeritis tóllite láudibus:
Orbis concelebret, jam dócilis Deo,
Orbi præpósitum ducem.

Vivo nos genuit sémine grátiæ,
Miris mille modis, mille perículis;
Tanti Patris amor, non sine sánguine,
Lucrátus sobolem Deo.

Quam lucem superis fóntibus háuserat,
Oblítus veterum, raptus in æthera,
Commissis pópulis débitor ómnibus
Pleno dívidit álveo.

Doctus divitias, páuperiem pati,
Divínis animos móribus ímbuit:
Merces exígitur nulla labóribus;
Victum suppéditant manus.

Sit laus summa Patri, summaque Fílio;
Par sit sancte tibi laus quoque, Spíritus;
Da Paulum per iter, quod docet, árduum,
Nobis, quà liceat, sequi. Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Antiphonæ & ℣. ut in Psalterio.*

LECTIO III.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi. *Serm.* 298. *in Natali SS. Apost. Petri & Pauli. Edit. Bened. n.* 3.

VIdébat Paulus imminentem passiónem: vidébat, sed non timébat. Quare non timébat? Quia jam díxerat: Concupiscéntiam habens dissolvi & esse cum Christo, ego enim jam ímmolor. Nemo cum tantâ exsultatióne dicit se esse pransúrum, & magnas épulas habitúrum, cum quantâ exultatióne dicit se esse passúrum. Ego enim jam ímmolor. Quid est, ímmolor? Sacrifícium ero. Sacrifícium cujus? Dei; quia pretiósa in conspectu Dómini mors Sanctórum ejus. Ego, inquit, ímmolor. Secúrus sum: hábeo sursum Sacerdótem, qui me ófferat Deo. Ipsum hábeo Sacerdótem qui pro me prior víctima fuit. Jam ímmolor, & tempus meæ resolutiónis instat. Resolutiónem dicit à córpore. Est enim quoddam dulce vínculum córporis, & ligátus est homo, & solvi non vult. Ille tamen qui dicébat? Concupiscéntiam habens dissolvi, & esse cum Christo, gratulabátur quòd ista víncula essent aliquando solvenda. Solvenda víncula carnálium membrórum, accipienda induménta & ornaménta æternárum virtútum.

℟. Non in vácuum laborávi; * Sed † Etsi ímmolor supra sacrifícium, & obséquium fídei vestræ, gáudeo, & congrátulor ómnibus vobis. ℣. Non soli mihi laborávi, sed ómnibus exquiréntibus veritátem. * Sed etsi. ℣. Glória. † Etsi. *Philip.* 2. *Eccli.* 24.

*IN II. NOCTURNO.*

LECTIO. *I. Thess.* 2.

VOs testes estis, & Deus, quàm sanctè, & justè, & sine querélâ, vobis qui credidistis fúimus, sicut scitis quáliter unumquemque vestrûm, sicut Pater filios, deprecantes vos, & consolantes, testificáti sumus, ut ambularétis dignè Deo, qui vocávit vos in suum regnum & glóriam.

℣. Non fecit táliter omni natióni; ℟. Et judícia sua non manifestávit eis. *Ps.* 147.

*Collecta, infrà.*

AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. NIhil minus fui ab iis qui sunt supra modum Apóstoli, tametsi nihil sum. *II. Cor.* 12.

II. Secundùm revelatió-

nem mihi data est grátia hæc, in Géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, & quæ sit dispensátio sacramenti abscónditi à séculis. *Ephes.* 3.

III. Signa Apostolátus mei facta sunt in omni patiéntiâ, in signis, & prodígiis, & virtútibus. *II. Cor.* 12.

IV. Dóminus mihi ádstitit, & confortávit me, ut per me prædicátio impleátur, & áudiant omnes Gentes. *II. Tim.* 4.

V. Abundántiùs ómnibus laborávi; non ego autem, sed grátia Dei mecum. *I. Cor.* 15.

LECTIO. *Rom.* 15.

SIc prædicávi Evangélium hoc, non ubi nominátus est Christus, ne super aliénum fundamentum ædificárem; sed sicut scriptum est: Quibus non est annuntiátum de eo, vidébunt; & qui non audiérunt intélligent.

℞. *br.* Loquébar de testimóniis tuis, Dómine, * In conspectu regum. ℞. Loquébar. ℣. Et non confundébar. * In. ℣. Glória. ℞. Loquébar. *Ps.* 118.

HYMNUS. *Brev. Clun.*

PAulo pauperies, spléndida cópia;
Ingens mœror erat lætitiæ seges;
Carcer, naufragium, crebraque vérbera,
Altæ sémina glóriæ.
Mors desíderium, mors fuit & lucrum,
Terris hunc retinet sola necéssitas,
Fratrum solus amor, pro quibus, óbviam
Se totum vovet hóstiam.
Tandem Roma virum vidit, inánium
Cultrix Roma Deûm: Cæsaris in domum
Infert ille fidem, sæva nec álligant
Verbum víncula líberum.
Mundo conspícuum ceu jubar émicat,
Spargens æthereum, quà gráditur diem:
Humánis oculis qui semel óccidit,
Æterno rutilat die.
Sit laus summa Patri, summaque Fílio;
Par sit sancte tibi laus quoque, Spíritus.
Da Paulum per iter, quod docet, árduum,
Nobis, quà liceat, sequi. Amen.

℣. Confiteántur tibi pópuli, Deus: ℞. Confiteántur tibi pópuli omnes. *Ps.* 66.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Gáudeo in passiónibus, & adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne meâ, pro córpore ejus, quod est Ecclésia, cujus factus sum ego miníster. *Coloss.* 1.

Collecta. *Brev. Rom.*

DEus, qui multitúdinem Géntium beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti: † da, quǽsumus, ut cujus natalítia cólimus, * ejus apud te patrocínia sentiámus; Per Dóminum.

## AD TERTIAM.

Lectio. *II. Cor.* 12.

SCio hóminem in Christo ante annos quatuórdecim, sive in córpore néscio, sive extrà corpus néscio, Deus scit, raptum hujúsmodi usque ad tértium cœlum. † Et scio hujúsmodi hóminem, sive in córpore, sive extrà corpus, néscio, Deus scit, quóniam raptus est in paradísum; * & audívit arcána verba, quæ non licet hómini loqui.

℣. Introíbo in poténtias Dómini: ℟. Usque in altíssima quæ fecísti magnália. *Ps.* 70.

## AD SEXTAM.

Lectio. *Rom.* 15.

HAbeo glóriam in Christo Jesu ad Deum. † Non enim áudeo áliquid loqui eórum quæ per me non éfficit Christus in obediéntiam Géntium, verbo & factis; in virtúte signórum & prodigiórum, & in virtúte Spíritûs sancti; * ita ut ab Jerúsalem per circúitum usque ad Illyricum replé verim Evangélium Christi.

℣. Posuísti super me manum tuam, Dómine; ℟. Mirábilis facta est sciéntia tua. *Ps.* 138.

## AD NONAM.

Lectio. *II. Cor.* 11.

EXístimo nihil me minus fecisse à magnis Apóstolis. † Nam etsi imperítus sermóne, sed non sciéntiâ; * in ómnibus autem manifestáti sumus vobis.

℣. Confitébor nómini tuo super misericórdiâ tuâ, Dómine: ℟. Quóniam magnificásti super omne nomen sanctum tuum. *Ps.* 137.

## AD VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. IN defensiónem Evangélii pósitus sum: pro quo legatióne fungor in caténâ; ita ut in ipso áudeam, prout oportet me, loqui. *Philip.* 1. *Ephes.* 6.

II. Quæ circa me sunt, magìs ad proféctum venérunt Evangélii; ita ut víncula mea manifesta fierent in omni prætório; & plures in Dómino confidentes vínculis meis, abundántiùs audérent sine timóre verbum Dei loqui. *Philip.* 1.

III. Omnia sustíneo propter electos, ut ipsi salútem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum glóriâ cœlesti. *II. Tim.* 2.

IV. Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per morte; mihi enim vívere Christus est, & mori lucrum. *Philip.* 1.

Lectio. *II. Tim.* 4.

Ego jam délibor, & tempus resolutiónis meæ instat. † Bonum certámen certávi; cursum consummávi, fidem servávi * In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illâ die justus judex.

℟. *br.* Ecce cognóvi * Quóniam Deus meus es. ℟. Ecce. ℣. In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem. * Quóniam. ℣. Gloria. ℟. Ecce. *Ps.* 55.

Hymnus. *G. Ep. S.*

Sat Paule, sat terris datum:
Post multa te certámina,
Cursu peracto, débita
Coróna jam cœlo manet.

Quot tu mari perículis,
Terrâque jactátus malis!
Quot saxa, virgæ, cómpedes!
Quot damna, curæ, fúnera!

Sudóre sat tuo fides,
Crucisque crevit glória;
Multóque per te fœnore
Impléta Christi Pássio.

Per sacra sese jam tuæ
Impressa carni stígmata,
Suóque totum spíritu
In te Magister éxprimit.

Nunc ille confixum suæ
Qui te cruci dudum tenet,
Te Christus ad vitam vocat;
Tibíque lucrum jam mori.

Sed caritátis víscera
Strictis coarctant néxibus;
Christóque quos tu párturis,
Patrem reposcunt Filii.

Verùm parátur jam tibi
Finis labóris árdui,
Mercesque; bissénos thronus
Te poscit inter júdices.

Audita quondam tértio
Arcána cœlo, nunc tibi
Fruenda se pleno palam
De fonte produnt lúminis.

Sit laus Patri, laus Filio;
Par sit tibi laus Spíritus,
Sopíta dudùm córdibus
Per quem revivíscat fides.
Amen.

℣. Sitívit ánima mea ad Deum fortem, vivum: ℟. Quando véniam & apparébo ante fáciem Dei? *Ps.* 41.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc ágite; & Deus pacis erit vobíscum. *Philip.* 4.

# FESTA JULII.

## *Die II.*

## IN VISITATIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

*Solemnitas III. Classis.*

### AD I. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. QUæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ, & thuris, & universi púlveris pigmentárii? *Cant.* 3.

II. Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis bonum! *Isai.* 52.

III. Ecce dilectus meus venit, sáliens in móntibus, transíliens colles. *Cant.* 2.

IV. Descendisti, Dómine, & à fácie tuâ montes defluxérunt; óculus non vidit, absque te, quæ præparasti exspectántibus te. *Isai.* 64.

Lectio. *Eccli.* 4.

QUi tenúerint sapiéntiam, vitam hæreditábunt; † & quò introíbit, benedícet Deus. * Qui sérviunt ei, obsequentes erunt Sancto; & eos qui díligunt illam, díligit Deus.

℟. *br.* Memento nostrî, Dómine, * In beneplácito pópuli tui. ℟. Memento. ℣. Vísita nos in salutári tuo, * In ℣. Glória. ℟. Memento. *Ps.* 105.

Hymnus. *S. V.*

QUò sanctus ardor te rapit,
O Virgo, flos ô vírginum?
Quò tendis, & cito gradu
Conscendis alta móntium?

Urget sacer te Spíritus
Toto replétam Nûmine:
Matris Dei jam dígnitas
Nil caritáti détrahit.

Tibi propinquam sánguine
Matrem puella vísitas;
Concessa cui divínitùs
Gratáris alvi múnera.

O quanta matrum gáudia!
Stupente natúrâ gravem
Anum stupes, quæ vírginem
Plenam Deo te prædicat.

Abscónditum sub íntimo,
Ceu nube, portábas sinu
Solem, suo qui prótinus
Lustrábit orbem lúmine.

¶ Mundo Redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

¶ *Hæc Doxologia ad omnes Horas dicitur.*

℣. Anima mea exsultábit in Dómino; ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Tantum in te est Deus, & non est absque te Deus. Verè tu es Deus abscónditus, Deus Israel salvátor. *Isai.* 45.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 498.

AD OFFICIUM NOCT.

*In Psal.* Veníte. *Ant.* Conceptum in útero Maríæ Jesum; * Veníte, adorémus. *Luc.* 2.

HYMNUS. *S. V.*

MOntes, superbum vérticem,
Quà Virgo transit, súbdite,
Cui se libenter stérnerent
Vel ipsa cœli sídera.

Occulta, quæ latet domi,
Audet foras se pródere.
Semper sibi timens pudor
Se caritáte prótegit.

It illa: non nectit moras:
Fugit vidéri, nec minùs
Fugit vidére, ne suo
Quidquam pudóri detrahat.

Beáta, quam pressit pede
Tellus! beáta sémita!
Colles beáti, qui simul
Cum matre sensistis Deum!

Beatióres hóspites,
Vos ô quibus cœléstia,
Loquente matre Vírgine,
Audíre verba cóntigit!

Mundo Redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Ponam visitatiónem tuam pacem, dicit Dóminus; & occupábit salus muros tuos, & portas tuas laudátio. *Isai.* 60.

II. Effúndam spíritum meum super semen tuum, & benedictiónem meam super stirpem tuam. *Isai.* 44.

III. Hódiè Salus Dómui huic facta est: venit enim Fílius hóminis quærere, & salvum fácere quod períerat. *Luc.* 19.

IV. Vitam & misericórdiam tribuisti mihi, & visitátio tua custodívit spíritum meum. *Job.* 10.

V. Venit mihi gáudium à Sancto super misericórdia, quæ véniet vobis ab ætérno salutári nostro. *Baruch.* 4.

VI. Ecce Deus salvátor meus, & factus est mihi in salútem. *Isai.* 12.

℣. Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, ℟. Quanta fecit ánimæ meæ. *Ps.* 65.

*Lectiones cum* ℟℟. *de Scripturâ occurrente.*

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* I. En dilectus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amica mea. *Cant.* 2.

II. Ecce Elísabeth cognáta tua, concépit filium in senectúte suâ. *Luc.* 1.

III. Hic mensis sextus est illi quæ vocátur stérilis, quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. *Luc.* 1.

IV. Exsurgens María ábiit, in montána cum festinatióne in civitátem Judæ. *Luc.* 1.

V. Benedíctus Dóminus Deus Israel, qui misit te; & benedíctum elóquium tuum. *I. Reg.* 25.

VI. Benedícimus te, Dómine Deus Israel, fecisti enim nobíscum misericórdiam tuam. *Tob.* 8.

℣. Vox exsultatiónis & salútis, ℟. In tabernáculis justórum. *Ps.* 117.

LECTIO V.

Ex Libro secundo Expositiónis sancti Ambrósii Epíscopi, in Lucam. *Edit. Bened. n.* 19. 20.

MOrále est ómnibus ut qui fidem éxigunt, fidem ádstruant. Et ídeo Angelus cùm abscóndita nuntiáret, ut fides adstruerétur exemplo, senióris féminæ sterilísque concéptum Vírgini Maríæ nuntiávit, ut possíbile Deo omne quod ei placúerit adséreret. Ubi audívit hoc María, venit ad Elísabeth. Citò adventûs Maríæ, & præséntiæ Domínicæ benefícia declarantur. Elísabeth Maríæ, Joannes Dómini sensit adventum. Istæ grátiam loquuntur, illi intus operantur: pietatísque mystérium matérnis adoriuntur proféctibus; duplicíque miráculo prophétant matres spíritu parvulórum.

℟. Exclamávit voce magnâ Elísabeth, & dixit: Benedíctus fructus ventris tui: * Et unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me? ℣. Quid est homo, Dómine, quòd memor es ejus? aut filius hóminis quóniam vísitas eum? * Et. *Luc.* 1. *Ps.* 8.

LECTIO VI. *n.* 25 & 26.

ECce ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta quæ credidisti. Vides non dubitasse Maríam, sed credidisse; & ídeo fructum fidei consecútam. Beáta, inquit, quæ credidisti. Sic vos beáti qui audistis & credidistis; quæcumque enim credíderit ánima, & cóncipit & génerat Dei Verbum, & ópera ejus agnoscit. Sit in síngulis Maríæ ánima, ut magníficet Dóminum: sit in síngulis spíritus Maríæ, ut exsultet in Deo.

℟. Ait María: Magníficat ánima mea Dóminum: & exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo: * Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Magnificáre

Dóminum mecum, & exaltémus nomen ejus in idipsum; * Quia. *Luc.* 1. *Ps.* 33.

LECTIO VII.

Ex Libro quarto Operis imperfecti sancti Augustíni Epíscopi contra Juliánum. *Edit. Bened. n.* 134.

SI non est cujusquam sánctitas genuina, quómodo dictum est Jeremíæ: Priusquàm de vulvâ exíres, sanctificávi te? Quómodo étiam dictum est de Joanne Baptista: Spíritu sancto replébitur jam inde ab útero matris suæ? Quod exsultátio ejus quoque ostendit, quando Elísabeth prægnantem conjugátam prægnans Virgo María salutávit. Quid enim Jeremíam, quid Joannem tumóri vestræ frontis appónimus; quando ipsum Christum non discérnitis à carne peccáti, nullamque carnem dicentes originálíter esse peccáti, sic illum cæteris coæquátis, ut étiam ipsum habuisse genuínam negáre cogámini sanctitátem, qui natus est de Spíritu sancto & vírgine Maríâ, expers omníno delícti, quia expers illíus conceptiónis quæ commixtióne fit séxuum? Quia & Jeremías & Joannes, quàmvis sanctificáti in úteris matrum, traxérunt tamen originále peccátum.

℟. Repléta est Elísabeth Spíritu sancto, & dixit ad Maríam: Benedícta tu inter mulíeres. * Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis exsultávit in gáudio infans in útero meo. ℣. Erit magnus coram Dómino, & Spíritu sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ. * Ecce. *Luc.* 1.

LECTIO VIII.

NAm quo álio mérito interírent eórum ánimæ de pópulo suo, nisi die octávo circumciderentur; id est, nisi ad Christi grátiam pervenírent, quem die octávo, id est, post séptimum sábbati, resurrectúrum propter justificatiónem nostram, carnis illa circumcísio figurábat? Erant ergo illi & natúrâ filii iræ ab úteris matrum, & grátiâ filii misericórdiæ ab úteris matrum; quia nec illa eis adhuc inerat sánctitas, quæ vínculum sólveret successiónis obnóxiæ quod suo témpore solvi oportébat, & inerat tamen quæ præcónem Christi à matérnis viscéribus designábat.

℟. Mansit arca Dei in domo Obédedom tribus ménsibus; * Et † Benedixit Dóminus dómui ejus & ómnibus quæ habébat. ℣. Mansit María cum Elísabeth quasi ménsibus tribus; * Et. ℣. Glória. † Benedixit. *I. Paral.* 13. *Luc.* 1.

## *IN III. NOCTURNO.*

I. Canticum. *Judic.* 5.

*Carmen triumphale, ob victoriam Deo auxiliante reportatam.*

AUdíte, reges, áuribus percípite, príncipes: † ego sum, ego sum quæ Dómino canam, * psallam Dómino Deo Israël.

Dómine, cùm exíres de Seir, & transíres per regiónes Edom, * terra mota est, cœlique ac nubes distillavérunt aquis.

Montes fluxérunt à fácie Dómini, * & Sínai à fácie Dómini Dei Israel.

Cessavérunt fortes in Israel, & quievérunt, * donec súrgeret mater in Israël.

Nova bella elégit Dóminus, * & portas hóstium ipse subvertit.

Salvátæ sunt relíquiæ pópuli, * Dóminus in fórtibus dimicávit.

II. Canticum. *Judith*, 13.

*Liberatrix populi sui ab omnibus benedicitur.*

BEnedícta es tu filia à Dómino Deo excelso, * præ ómnibus muliéribus super terram.

Benedíctus Dóminus, qui creávit cœlum & terram, * qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum.

Quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, * qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

III. Canticum. *Judith*, 16.

*De speciali Dei protectione Hymnus Eucharisticus.*

INcípite Dómino in tympanis, * cantáte Dómino in cymbalis.

Moduláminì illi psalmū novum, * exaltáte & invocáte nomen ejus.

Dóminus cónterens bella, * Dóminus nomen est illi.

Qui pósuit castra sua in médio pópuli sui, * ut eríperet nos de manu ómnium inimicórum nostrórum.

Venit Assur ex móntibus ab Aquilóne, * in multitúdine fortitúdinis suæ:

Dixit se incensúrum fines meos, * & júvenes meos occisúrum gládio;

Infántes meos dare in prædam, * & vírgines in captivitátem.

Dóminus autem omnípotens nócuit eum, & trádidit in manus féminæ, * & confódit eum.

*Ant.* Cantáte Dómino qui trádidit inimícum in manus féminæ, & confódit eum. *Judith*, 16.

℣. Super áspidem & basilíscum ambulábis: ℟. Et conculcábis leónem & dracónem. *Ps.* 9.

Lectio IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

*Cap.* 3.

SCriptum est: Abraham crédidit Deo; & reputátum est illi ad justítiam. Cognóscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ. Próvidens autem Scriptúra, quia ex fide justíficat Gentes Deus, prænuntiávit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes Gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fidéli Abraham. Quicumque enim ex opéribus legis sunt, sub maledícto sunt. Scriptum est enim: Maledíctus omnis, qui non permánserit in ómnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut fáciat ea. Quóniam autem in lege nemo justificátur apud Deum, manifestum est: quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide, sed, Qui fécerit ea, vivet in illis.

℟. Abrahæ promittens Deus, jurávit per semetipsum, dicens: Benedícens benedícam te, * Et sic longanímiter ferens, adeptus est repromissiónem. ℣. Abraham exsultávit ut vidéret diem meum: vidit, & gavísus est; * Et sic. *Hebr.* 6. *Joan.* 8.

Lectio X.

CHristus nos redémit de maledícto legis, factus pro nobis maledíctum: quia scriptum est: Maledíctus omnis qui pendet in ligno: ut in Géntibus benedíctio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitatiónem Spíritûs accipiámus per fidem. Fratres (secundùm hóminem dico,) tamen hóminis confirmátum testamentum nemo spernit, aut superórdinat. Abrahæ dictæ sunt promissiónes & sémini ejus. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis: sed quasi in uno: Et sémini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, testamentum confirmátum à Deo: quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non írritum facit ad evacuandam promissiónem. Nam si ex lege hæréditas, jam non ex promissióne. Abrahæ autem per repromissiónem donávit Deus. Quid ígitur lex? Propter transgressiónes pósita est, donec veníret semen, cui promíserat, ordináta per Angelos in manu mediatóris.

℟. Suscépit Deus Israel púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ; * Sicut locútus est ad patres nostros, Abraham, & sémini ejus in sécula. ℣. Recordátus est misericórdiæ suæ, & veritátis suæ dómui Israel; * Sicut. *Luc.* 1. *Ps.* 97.

Lectio XI.

ITaque lex pædagógus noster fuit in Christo, ut ex fide justificémur. At

ubi venit fides, jam non sumus sub pædagógo. Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Quicumque enim in Christo baptizáti estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est másculus, neque fémina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundùm promissiónem hærédes.

℟. Qui sanctíficat, & qui sanctificantur, ex uno omnes: nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: * Propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre. ℣. Quotquot recepérunt eum, dedit eis potestátem filios Dei fieri, his qui credunt in nómine ejus: * Propter. *Hebr. 2. Joan. 1.*

LECTIO XII. *Cap. 4.*

DIco autem: Quanto témpore hæres párvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dóminus ómnium: sed sub tutóribus & actóribus est usque ad præfinitum tempus à patre. Ita & nos cum essémus párvuli, sub elementis mundi erámus servientes: At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. Quóniam autem estis filii, misit Deus Spíritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed filius. Quòd si filius: & hæres per Deum.

℟. Beátus venter, qui te portávit, & úbera quæ suxisti: quinímò * Beáti qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt illud. ℣. Quicumque fécerit voluntátem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est: * Beáti. ℣. Glória. * Beáti. *Luc. 11. Matth. 12.*

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam. *Cap. 1.*

EXsurgens María in diébus illis ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda. Et intrávit in domum Zachariæ & salutávit Elísabeth. Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero ejus, & repléta est Spíritu sancto Elísabeth. Et exclamávit voce magnâ, & dixit: Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut véniat Mater Dómini mei ad me? Ecce enim ut

facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta quæ credidísti, quóniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. Et ait María: Magníficat ánima mea Dóminum. Et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo.

### AD LAUDES.

*Antiphonæ.*

I. Intrávit María in domum Zacharíæ, & salutávit Elísabeth. *Luc.* 1.

II. Ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero ejus, & repléta est Spíritu sancto. *Luc.* 1.

III. Exclamávit voce magnâ, & dixit: Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

IV. Amícus sponsi qui audit eum: gáudio gaudet propter vocem sponsi. *Joan.* 3.

V. Ecce ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. *Luc.* 1.

Lectio. *Rom.* 8.

Quod impossíbile erat legi, in quo infirmabátur per carnem: Deus Fílium suum mittens in similitúdinem carnis peccáti, & de peccáto damnávit peccátum in carne.

℟. *br.* Recordátus est Dóminus * Misericórdiæ suæ, ℟. Recordátus. ℣. Et veritátis suæ dómui Israel, * Misericórdiæ. ℣. Glória. ℟. Recordátus. *Ps.* 97.

Hymnus. *S. V.*

Ad prima verba Vírginis,
Intus movente Spíritu,
In matris alvo cónditus
Infans Joannes géstiit.

Agnóvit infantem Deum:
Quem sensit, ardet pródere:
Vates & infans, quà potest,
Adesse Christum núntiat.

Hic jam Redemptóris vices,
Præcónis ille sústinet:
Materna claustra non vetant
Quin ambo munus ímpleant.

Felix puer, felix parens,
Felix sacerdos, & domus,
Qui per parentem Vírginem
Deo fruuntur hóspite!

Mundo Redemptor qui venis,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre, & almo Spíritu,
In sempiterna sǽcula.
Amen.

℣. Benedixísti, Dómine, terram tuam, ℟. Avertísti captivitátem Jacob. *Ps.* 84.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Beáta quæ credidisti, quóniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1.

Collecta. *Brev. Paris.*

ADesto Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus; † & filios adoptiónis júgiter in ejus sinu purífica, * qui Maríæ clausus in útero, Joannem in sinu Elísabeth sanctificasti; qui vivis & regnas.

AD PRIMAM.

Canon.

Ex Concílio Ephesíno. *An.* 431. *ex Ep. Julii Papæ ad Docimum.*

AD fidei plenitúdinem incarnátus quoque Dei Fílius ex Maríâ Vírgine prædicátur, atque inter hómines morátus, non potenti quâdam vi in hómine operátus: hoc enim in Prophétis & Apóstolis locum habet: perfectus Deus in carne, & homo perfectus in spíritu: non duo filii: unus quidem germánus filius qui suscépit hóminem; alter vero homo mortális à Deo assumptus: sed unus unigénitus in cœlo, unigénitus in terrâ Deus.

AD TERTIAM.

Lectio. *Joel,* 2.

SCiétis quia in médio Israel ego sum: & ego Dóminus Deus vester, & non est ámplius; † & non confundétur populus meus in ætérnum. * Et erit post hæc: effundam Spíritum meum super omnem carnem, & prophetábunt filii vestri, & filiæ vestræ.

℣. Signátum est super nos lumen vultûs tui, Dómine: ℟. Dedisti lætítiam in corde meo. *Ps.* 4.

AD SEXTAM.

Lectio. *Tob.* 12.

BEnedícite Deum cœli, † & coram ómnibus viventibus confitémini ei, * quia fecit vobiscum misericórdiam suam.

℣. Ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum. ℟. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis. *Ps.* 44.

AD NONAM.

Lectio. *Sap.* 7.

SApiéntia in se pérmanens ómnia ínnovat, & per natiónes in ánimas sanctas se transfert, † amícos Dei & Prophétas constítuit: * néminem enim díligit Deus, nisi eum qui cum sapiéntiâ inhábitat.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus; ℟. Deus in médio ejus. *Ps.* 45.

AD II. VESPERAS.

*Psalmi de Dominicâ.*

*Antiphonæ.*

I. REspexit Deus humilitátem ancillæ suæ; ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. *Luc.* 1.

II. Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

III. Misericórdia ejus à progénie in progénies, timéntibus eum. *Luc.* 1.

IV. Suscépit Israel púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ, sicut locútus est ad patres nostros, Abraham, & sémini ejus. *Luc.* 1.

Lectio. *I. Petr.* 5.

DEus superbis resistit, humílibus autem dat grátiam. † Humiliámini ígitur sub potenti manu Dei, * ut vos exaltet in témpore visitatiónis.

℟. *br.* In Dómino laudábitur ánima mea; * Audiant mansuéti & lætentur. ℟. In. ℣. Magnificáte Dóminum mecum, & exaltémus nomen ejus in idipsum. * Audiant. ℣. Glória. ℟. In Dómino. *Ps.* 33.

Hymnus. *Brev. Paris.*

CÆteri nunquàm, nisi vagiendo,
Prímitus vocem pueri profundunt:
Unus in cunctis alacris Joannes
Prævenit ortum.

Hunc sibi nondum genitum sacrávit
Patris æterni Genitus prophétam:
Spíritu gaudens canit hinc futúra
Utraque mater.

Ecce quàm fructu genitrix utróque
Digna! quàm fructus genitrice dignus!
Hæc Deum Virgo, sterilis recondit
Illa Prophétam.

Fac tuos puris hodie clientes,
Virgo, collustret radiis Redemptor
Ille, quem prodit nova nascitúro
Grátia vati.

Det sequi certo pede quà præisti,
Dum Patris summi paritúra Prolem,
Vilis ancillæ titulum modesto
Péctore præfert.

Summa laus Patri, Genitoque verbo;
Et tibi compar, utriusque nexus
Spíritus semper Deus unus, omni
Témporis ævo. Amen.

℣. Exsultábit cor meum in salutári tuo: ℟. Cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi. *Ps.* 12.

*Ad* Magnificat. *Ant.* Mansit María cum Elísabeth quasi ménsibus tribus, & reversa est in domum suam. *Luc.* 1.

---

*Die X.*

SS. SEPTEM FRATRUM ET S. FELICITATIS, MATRIS EORUM, MART.

*Commemoratio.*

*Ant.* Supra modum mater mirábilis, & bonórum

memóriâ digna; pereuntes septem filios sub unius diéi témpore conspíciens, bono ánimo ferébat, propter spem quam in Deum habébat. *II. Mach.* 7.

℣. Dóminus Deus adspíciet veritátem; ℟. Et consolábitur in nobis. *II. Mach.* 7.

COLLECTA. *Brev. Paris.*

DA nobis miséricors Deus, unánimes in fide & dilectióne tuâ perseveráre, † qui sanctos Mártyres tuos Felicitátem & filios ejus esse tribuisti sincérâ caritáte in vitâ concordes, * & gloriósâ confessióne in morte conjunctos; Per Dóminum.

---

*Die XI.*

## IN TRANSLATIONE S. PATRIS NOSTRI BENEDICTI.

*Festivitas I. Classis.*

---

## AD I. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. SEcessit in desertum locum, ibíque vitam agébat, ne párticeps esset coinquinatiónis. *II. Mach.* 5.

II. Erat sicut vir qui abscónditur à vento, & celat se à tempestáte, in terrâ desertâ. *Is.* 32.

III. Confortabátur spíritu, & erat in desertis usque ad diem ostensiónis suæ. *Luc.* 1.

IV. Protegebátur sub tégmine sapiéntiæ, & in glóriâ ejus requiescébat. *Eccli.* 14.

LECTIO. *I. Joan.* 2.

NOlíte diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis díligit mundum, non est cáritas Patris in eo, † quóniam omne quod est in mundo, concupiscéntia carnis est, & concupiscéntia oculórum, & supérbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est: * & mundus transit, & concupiscéntia ejus; qui autem facit voluntátem Dei, manet in æternum.

℟. *br.* Elongávi fúgiens, * Et mansi in solitúdine. ℟. Elongávi. ℣. Quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte. * Et mansi. ℣. Glória. ℟. Elongávi. *Ps.* 54.

HYMNUS. *S. V.*

DEserta, valles, lustra, solitúdines,
Satis sub altâ nocte, sub nigrâ specu
Celastis olim, quando terris dégeret,
Qui nunc olympo fulget inter Cœlites.
Quis ille, testes nam fuistis, dícite,

Quot ſaxa fuſis irrigârit flétibus,
Et veſtra, quantis & quibus ſuſpíriis,
Turbârit hoſpes hic novus ſiléntia?
Et tu fidélis, tot labórum cónſcia,
Spelunca, vivi ceu ſepulcrum córporis,
Tuis ſub umbris quanta, dic affulſerit,
Pro ſole mundi, Solis æterni dies.
Sedârit ille quo cibo duram famem,
Sitimque longam quo levârit póculo,
Quo membra lecto ſtráverit languéntia,
Quinam ſodáles, & quibuſcum víxerit?
Quod mundus ardet, & quod ardenter colit,
Sordébat illi, floris inſtar áridi:
Terréna grandi cuncta deſpectans fide,
Noctes dieſque cógitat cœléſtia.
Ne prava lædant críminum contágia,
Romam, ſodáles, & ſuos, & ſe fugit;
Te, Chriſte, ſolum ſcire, te ſtudet ſequi,
Prudens, & altâ doctus ignorántiâ.
Tutus profundis non ſatis recéſſibus,
Ne quid parumper turbet adtentum Deo,
Prærupta quærit, & ſpecus impérvias,
Semet relinquit, jam relictis ómnibus.
Patri perenne ſit per ævum glória;
Tibíque laudes totus orbis cóncinat,
Æterne Nate, ſplendor æterni Patris;
Compar ſit almo laus decuſque Flámini.
Amen.

℣. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? ℟. Et volábo, & requieſcam. *Pſ.* 54.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Erit quaſi lignum quod tranſplantátur ſuper aquas, quod ad humórem mittit radíces ſuas, nec aliquando déſinet fácere fructum. *Jerem.* 17.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 506.

## AD OFFICIUM NOCT.

*In Pſ.* Veníte. *Ant.* Patrem Dómini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo omnis patérnitas in cœlis & in terrâ nominátur; * Veníte, adorémus. *Epheſ.* 3.

### Hymnus. *S. V.*

Ille quo terris duce militámus,
Intrat æternas Benedictus arces:
Annuos hujus celebrémus hymnis
Rite triumphos.
Hic Deo plenus puer altióres

Cóncavæ rupis fugit in recessus;
Nil domûs splendor, nec opes, nec obstat
Móllior ætas.

Vilis arébat decor iste mundi,
Passa jam longos velut herba soles;
Nóverat pulchris malè delitentem
Flóribus anguem.

Factus immánis novus hospes antri,
Nil Deum præter videt; hunc profundâ
Cónsulit, rerum strepitu silente,
Mentis in aulâ.

Ille, dum secum sine fine longos
Cómputat vitæ melióris annos,
Cuncta confundens, fugientis ævi
Témpora nescit.

Invidus totas movet hostis artes;
Obsidet, turbat, juvenem lacessit;
Ossibus miscet malè blandientis
Sémina flammæ.

Sensit ut cœcos malè-sanus ignes,
Se per hirsútos agitáre vepres
Cœpit: abscédens laceros voluptas
Hórruit artus.

Laus tibi, summi Moderátor orbis,
Præmiis duros recreans labóres,
Quem Fides Veri studiósa Trinum
Credit & Unum.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Ante tempus finis vitæ suæ & séculi, testimónium præbuit in conspectu Dómini & Christi. *Eccli.* 46.

II. Spíritu magno vidit última, ostendit futúra & abscóndita. *Eccli.* 48.

III. Locútus est & præcépit dicens: Ego côngregor ad pópulum meum; sepelíte me in sepulcro quod fodi mihi. *Gen.* 49 & 50.

IV. Dixit eis: Non éxcidit verbum Dómini, nolíte manére hìc: sed quâcumque die sepeliéritis me, dírigite gressus vestros, ut exéatis hinc. *Tob.* 14.

V. Dóminus egrediétur de loco suo, ut vísitet iniquitátem habitatóris terræ contra eum. *Isai.* 26.

VI. Amíssio nullíus ánimæ erit ex vobis; ádstitit enim mihi Angelus Dei, cui desérvio dicens: Ecce donávit tibi deus omnes. *Act.* 27.

℣. Dóminus non derelinquet justum in mánibus peccatórum. ℟. Cùm períerint peccatóres, vidébis. *Ps.* 36.

*Lectiones cum* ℟℟. *de Scripturâ occurrente.*

## IN II. NOCTURNO.

*Ant.* I. Timenti Dóminum, bene erit in extrémis, & in die defunctiónis benedicétur. *Eccli.* 1.

II. Si permánserit, nomen derelinquet plusquàm mille; & si requiéverit, próderit illi. *Eccli.* 39.

III. Requiescent in cásulâ illíus bona per ævum; protégetur sub tégmine sapiéntiæ, & in glóriâ illíus requiescet. *Eccli.* 14.

IV. Oriétur in ténebris lux tua; & réquiem tibi dabit Dóminus semper. *Is.* 58.

V. Implébit splendóribus ánimam tuam, & ossa tua liberábit. *Is.* 58.

VI. Eris stábilis, & habébis fidúciam propósitâ tibi spe; & deffossus secúrus dórmies: requiesces, & deprecabuntur fáciem tuam plúrimi. *Job,* 11.

℣. Lætátum est cor meum, & exsultávit lingua mea. ℟. Insuper & caro mea requiescet in spe. *Ps.* 15.

LECTIO V.

Sermo sancti Bernardi Abbátis in Natáli sancti Patris nostri Benedicti. *Edit. Bened. n.* 4. *&* 7.

ARbor fuit beátus Benedictus grandis atque fructífera. Non credébat tunc esse fructificandi tempus quando adhuc tentatiónibus urgebátur; sed venit tempus, & in témpore suo fructum dedit. De fructu ejus sunt illa tria; sánctitas ejus, justítia ejus, píetas ejus. Sanctitátem mirácula probant, doctrína pietátem, vita justítiam. Omníno enim valde potens est in cœlis, qui tam potens éxstitit in terris; secundùm magnitúdinem grátiæ, magnitúdine glóriæ exaltátus.

℟. In fide suâ probátus est Prophéta; & * Ossa ejus visitáta sunt, & post mortē prophetavérunt. ℣. Testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibente Deo, & defunctus adhuc lóquitur. *Ossa. *Eccli.* 46. 49. *Hebr.* 11.

LECTIO VI.

SIc ergo licet non habeámus nostra, consolátio magna nobis esse debent patróni nostri mirácula. Doctrína verò ínstruit nos, & dírigit gressus nostros in viam pacis. Porro vitæ justítia omníno róborat & ánimat nos: ut tantò magìs accendámur ad agenda quæ dócuit, quantò certi sumus eum non ália docuisse quàm fécerit. Sermo quidem vivus & éfficax, exemplum operis est, plúrimùm fáciens suadíbile quod dícitur, dum monstrat factíbile quod suadétur,

℟. Virtútes non quáslibet faciébat Deus, ita ut super lánguidos deferrentur

a córpore ejus sudária. * Et recedébant ab eis languóres. ℣. Misericórdia tua Dómine, advéniens sanábat illos. * Et. *Act.* 19. *Sap.* 16.

LECTIO VII.

IN hunc ergo modum sánctitas confortat, píetas informat, justítia confirmat. Quantæ enim pietátis fuit, quòd non solùm præséntibus prófuit, sed étiam pro futúris sollícitus fuit? Non solùm his qui tunc erant, fructum tulit hæc arbor: sed usque hódie fructus ejus & manet, & crescit. Dilectus planè Deo & homínibus: cujus non sola præséntia in benedictióne fuit, sicut sunt multi dilecti Deo soli, quia soli Deo jam cógniti: sed & memória ejus étiam nunc in benedictióne est.

℟. Benedictus tu in civitáte, & benedictus in agro. * Benedictus fructus terræ tuæ, & benedictæ relíquiæ tuæ; suscitábit te Dóminus in pópulum sanctum, sicut jurávit tibi. ℣. Qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus & metet. * Benedictus. *Deut.* 28. *II. Cor.* 9.

LECTIO VIII. *n.* 8.

USque hódie in tríplicem amóris Dómini confessiónem, tríplici hoc fructu pascit Dómini gregem. Pascit vitâ, pascit doctrínâ, pascit & intercessióne. Per quam incessánter adjúti, fructificáte & vos caríssimi, quóniam in hoc pósiti estis, ut eátis, & fructum afferátis. Unde eátis? útique à vobis ipsis, sicut scriptum est: A voluntátibus tuis avértere. Nam & de Dómino légimus, quia éxiit semináre semen suum. Ecce & hic habémus semen suum, sicut & priùs fructum suum. Imitémur & hunc, fratres, quóniam ad hoc venit, ut formam nobis tráderet, & viam demonstráret.

℟. Vias tuas, Dómine, demonstra mihi: & sémitas tuas édoce me. *Dírige me in veritáte tuâ, & doce me: quia † Tu es Deus Salvátor meus. ℣. Scio, Dómine, quia non est hóminis via ejus: nec viri est ut ámbulet, & dírigat gressus suos. * Dírige. ℣. Glória. † Tu es. *Ps.* 24. *Jerem.* 10.

*IN III. NOCTURNO.*

*Cantica de Communi Abbatum, pag.* lij.

*Ant.* Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli.* 39.

℣. In memóriâ æternâ erit justus, ℟. Ab auditióne malâ non timébit. *Ps.* 111.

*Lectiones cum* ℟℟. *& Evangelium de Communi Abbatum, pag.* lij.

*Collecta ut infra.*

## AD LAUDES.

*Antiphonæ.*

I. GLorificávit illũ Deus in conspectu regum ; in fide & lenitáte ipsíus sanctum fecit illum. *Eccli.* 45.

II. Agnóvit eum in benedictiónibus suis Dóminus ; & conservávit illi hómines misericórdiæ, invenientes grátiam in óculis omnis carnis. *Eccli.* 44.

III. Audíte fílii disciplínam Patris, & legem meam ne derelinquátis. *Prov.* 4.

IV. Ecce ego & púeri mei, quos dedit mihi Dóminus. *Is.* 8.

V. Lætáberis in fíliis tuis, quóniam benedicentur, & congregabuntur ad Dóminum. *Tob.* 13.

Lectio. *Philip.* 1.

SEcundùm exspectatiónẽ, & spem meam in nullo confundar : † sed in omni fidúciâ, * sicut semper & nunc, magnificábitur Christus in córpore meo.

℟. *br.* Mirábilis Deus in sanctis suis, * Deus Israel. ℟. Mirábilis. ℣. Ipse dabit virtútem & fortitúdinem plebi suæ. * Deus. ℣. Glória. ℟. Mirábilis. *Ps.* 67.

Hymnus. *S. V.*

SUrge, quid cessas ? Benedicte, prodi
E tuo demum redivívus antro :
Pósceris mundo ; tua te retexit
Cógnita virtus.

Te decet sacros reparáre cultus ;
Te rudes morum repetunt magistrum ;
Pro tuo jurant dociles alumni
Vívere nutu.

Impio dudùm temeráta cultu,
Lustra Cassini petis alta montis ;
Ultor infámes, Erebo fremente,
Dirruis aras.

Hæc erat tellus tibi destináta ;
Hoc Patrem sancti populi futúrum
Monte sub sacro, propior docébit
Te Deus intùs.

Régulam, cœlo priùs approbante,
Scribis ; hæc vitæ specimen beátæ :
Tota mens Patris viget hìc ; paterna
Jussa sequámur.

Summa laus Patri, simul æqua Nato ;
Sit tibi compar, utriusque Nexus,
Spíritus, qui nos procul à tumultu
Númine comples.
Amen.

℣. Exaúdiet illum Dóminus de cœlo sancto suo. ℟. In potentátibus salus déxteræ ejus. *Ps.* 19.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Ipse est directus divínitùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis, & gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, & in diébus peccatórum corroborávit pietátem. *Eccli.* 49.

Collecta. *Miss. Ambr.*

OMnípotens sempitérne Deus, † fac nos, quæsumus, beáti Patris nostri Benedícti exemplo & interventu, mundi glóriam mente despícere; * & cœlum semper ambíre; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

Canon.

Ex Concílio Augustodunensi. *An.* 670. *Can.* 15.

DE Abbátibus vel Mónachis ita observáre cónvenit, ut quidquid Canónicus ordo vel Régula sancti Benedícti édocet, & implére & custodíre in ómnibus débeant. Si enim hæc ómnia fúerint legítimè apud Abbátes vel monastéria conserváta, & númerus Monachórum Deo propítio augébitur, & mundus omnis per eórum oratiónes assíduas ómnibus malis carébit contágiis.

AD TERTIAM.

Lectio. *Rom.* 12.

OBsecro vos, fratres, per misericórdiã Dei, *ut exhibeátis* córpora vestra hóstiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationábile obséquium vestrum. † Et nolíte conformári huic século, sed reformámini in novitáte sensûs vestri; * ut probétis quæ sit volúntas Dei bona, & beneplacens & perfecta.

℣. Legem pone mihi, Dómine, viam justificatiónum tuárum; ℟. Et exquíram eam semper. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Lectio. *I. Thess.* 4.

ROgámus vos, fratres, ut abundétis magis, & óperam detis ut quiéti sitis, † & ut vestrum negótium agátis, & operémini mánibus vestris, sicut præcépimus vobis; * & ut honestè ambulétis ad eos qui foris sunt, & nullíus áliquid desiderétis.

℣. Dixi: Dómine, tu es spes mea; ℟. Pórtio mea in terrâ viventium. *Ps.* 141.

AD NONAM.

Lectio. *Philip.* 2.

IMpléte gáudium meum ut idem sapiátis, eamdem caritátem habentes, † unánimes, idipsum sentientes, nihil per contentiónem, neque per inánem glóriam: sed in humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrantes, * non quæ sua sunt

singuli considerántes, sed ea quæ aliórum.

℣. Dómine, non est exaltátum cor meũ, ℟. Neque eláti sunt óculi mei. *Ps.* 130.

## AD II. VESPERAS.

*Psalmi et Ant.*

I. *Ps.* 109. Dixit Dóminus, *pag.* 28.

*Ant.* Dedit illi Dóminus créscere quasi terræ cúmulum, & ut stellas exaltáre semen ejus. *Eccli.* 44.

II. *Ps.* 111. Beátus vir. *pag.* 29.

*Ant.* Circa illum coróna fratrum, quasi plantátio cedri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ. *Eccli.* 50.

III. *Ps.* 112. Laudáte púeri. *pag.* 30.

*Ant.* Erumpet radix ejus, ut Líbani, & erit quasi olíva glória ejus: sedentes in umbrâ ejus germinábunt. *Osee*, 14.

IV. *Ps.* 136. Super flúmina Babylónis. *pag.* 97.

*Ant.* Sit memória ejus in benedictióne, & pérmanens ad filios sancti viri glória. *Eccli.* 46.

Lectio. *Eccli.* 47.

DEus non derelinquet misericórdiam suam; ✝ & non corrúmpet, nec delébit ópera sua; neque perdet à stirpe nepótes electi sui; * & semen ejus qui díligit Dóminum, non corrumpet.

℟. *br.* Anima mea * Dómino vivet. ℟. Anima. ℣. Et semen meum sérviet ipsi. * Dómino. ℣. Glória. ℟. Anima. *Ps.* 21.

Hymnus. S. V.

TE probant mundo manifesta signa:
Ut jubes, parent elementa voci:
Advolat Maurus, solidosque supra
Ambulat amnes.

Rupe de durâ modò profluentes
Elicis rivos, loca sicca stagnant:
Jussa mors primæ redivíva luci
Córpora reddit.

Régio mendax Gothus apparátu
Se canit Regem; simulantis artes
Détegis: diro metuenda pandis
Fata Tyranno.

Adspicis solis radio sub uno
Vana collecti simulácra mundi;
Cuncta decrescunt, Deus unus imo
Péctore crescit.

Præscius mortis propè jam futúræ,

Ut novas vires animosque
sumat,
Páscitur Christo, solidâque
fortis
Fervet ab escâ.

Flebat adstantum pia turba fratrum;
Ille gaudébat properáre cœlo:
Visa, quà transit, radiáre longæ
Sémita lucis.

Quâ viâ celsas tibi pandis arces,
Fac tuos illâ, Pater, ire natos;
Et tuâ tandem prece nos beátis
Cœtibus adde.

Inde nos Patris canimus triumphos
Quâ die vectus petit astra curru,
Quem Deus cœlo beat, ampla merces,
Trinus & Unus.
Amen.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. *Ps.* 91.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Dedit illi Dóminus legem vitæ & disciplínæ: & quicumque hanc régulam secúti fuerint, pax super illos, & misericórdia. *Eccli.* 45. *Gal.* 6.

Diebus intra Octavam.

*De ea fit Commemoratio ad Laudes & Vesperas, præterquàm in Festis I. & II. Classis*

## Die XVIII.
## OCTAVA S. P. N. BENEDICTI.
## Omnium Sanctorum Monachorum ejus Ordinis.

*Festivitas II. Classis.*

*Omnia de Communi Monachorum, exceptis his quæ hìc habentur propria.*

AD I. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. LAudémus viros gloriósos, & parentes nostros in generatióne suâ. *Eccli.* 44.

II. Hómines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habentes, pacificantes in dómibus suis. *Eccli.* 44.

III. In generatiónibus gentis suæ glóriam adepti sunt; & in diébus suis habentur in láudibus. *Eccli.* 44.

IV. In testamentis stetit semen eórum; & filii eórum propter illos usque in ætérnum manent. *Eccli.* 44.

Lectio. *Eccli.* 44.

SEmen eórum & glória eórum non derelinquétur. † Córpora ipsórum in pace sepulta sunt, & nomen eórum vivit in generatiónem & generatióne * Sapientiam ipsórum nar-

rent pópuli, & laudem eórum núntiet Ecclésia.

℟. *br.* Hæc est generátio * Quæréntium Dóminum. ℟. Hæc est. ℣. Quæréntium fáciem Dei Jacob, * Quæréntium. ℣. Glória. ℟. Hæc est. *Ps.* 23.

HYMNUS. *S. V.*

Quæ signáta novo sémita lúmine
Cœlo se reserat, dícite, Cœlites?
Hanc fulgens radiis ingreditur viam
Sacri Cónditor Ordinis.

Illum ponè sequens, innumerábilis
Sese turma premit, férvida prævium
Aut æquáre Patrem, vel propiùs sequi
Ardet pássibus æmulis.

Adsunt progeniti sánguine régio;
Adsunt tergemino qui diadémate
Fulgent Pontífices; sunt quoque Mártyres,
Tanti progenies Patris.

Fratrum juncta manus, sancta sodálitas,
Vestris ut socios agminibus velit,
Placári facilis, júngere nos Deus,
Nostras ferte Deo preces.

Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio;
Sit par, alme, tibi glória, Spíritus,
Qui fons justítiæ, finis & últimus,
Te donas quoque præmium. Amen.

℣. Potens in terrâ erit semen ejus. ℟. Generátio rectórum benedicétur. *Ps.* 111.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Ecce ego & púeri mei, quos dedit mihi Dóminus, in signum & in portentum Israel à Dómino exercítuum qui hábitat in monte Sion. *Is.* 8.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 512.

## *IN II. NOCTURNO.*

LECTIO V.

Ex Enarratióne sancti Augustíni Epíscopi super Psalmos. *Edit. Bened. Ps.* 132. *n.* 1.

Psalmus brevis est: sed valdè notus & nominátus. Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitáre fratres in unum! Ita sonus iste dulcis est, ut & qui Psaltérium nésciunt, ipsum versum cantent. Tam dulcis est, quàm dulcis est cáritas, quæ facit fratres habitáre in unum. Verúmtamen considerémus utrùm de ómnibus Christiánis dictum sit: Quàm bonum & quàm jucundum: an áliqui sint certi atque perfecti qui hábitant in unum, nec ad omnes pertíneat ista benedíctio, sed ad quosdam,

à quibus tamen descendat ad cæteros.

℟. Quàm bonum & quam jucundum habitáre fratres in unum! * Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, & vitam usque in séculum. ℣. Unánimes, fraternitátis amatóres, in hoc vocáti estis, ut benedictiónem hæreditáte possideátis. * Quóniam. *Ps.* 132. *I. Petr.* 3.

LECTIO VI. *n.* 2.

ISta verba Psaltérii, iste dulcis sonus, ista suávis melódia tam in cántico, quàm in intellectu, monastéria péperit. Ad hunc sonum excitáti sunt fratres, qui habitáre in unum concupiérunt. Iste versus fuit tuba ipsórum, sónuit per orbem terrárum; & qui divísi erant, congregáti sunt in unum. Clamor Dei, clamor Spíritûs sancti, clamor prophéticus non audiebátur in Judæâ, & audítus est in orbe terrárum. Adversùs istum sonum surdi erant, inter quos cantabátur, & apertis áuribus inventi sunt, de quibus dictum est: Quibus non est nuntiátum de illo, vidébunt, & qui non audiérunt intélligent.

℟. Ab uno orti sunt, & hoc emórtuo; tamquàm sídera cœli in multitúdinem: * Juxta fidem omnes repromissiónem adspicientes, & confitentes quia peregríni & hóspites sunt super terram. ℣. Prævaluérunt sermónes quos præcépit filiis suis, quia obediérunt voci patris sui. * Juxta. *Hebr.* 11. *Jer.* 35.

LECTIO VII.

IPsi primi habitavérunt in unum, qui omnia quæ habébant vendidérunt, rerumque suárum prétia ad pedes Apostolórum posuérunt; & distribuebátur unicuíque sicut cuíque opus erat, & nemo dicébat áliquid próprium, sed erant illis ómnia commúnia. Et quid est in unum? Et erat illis, inquit, ánima una, & cor unum in Deum. Ipsi priùs audiérunt: sed non soli audiérunt. Non enim usque ad illos ista diléctio & únitas fratrum venit. Venit enim & ad pósteros ista caritátis exsultátio, & votum Deo.

℟. Erant persevérantes in oratiónibus, & habébant ómnia commúnia: * Cum exsultatióne & simplicitáte cordis collaudantes Deum, & habentes grátiam ad omnem plebem. ℣. Propter patrem, testamentum confirmávit Dóminus, & consérvávit illi hómines misericórdiæ. * Cum exsultatióne. *Act.* 2. *Eccli.* 44.

Lectio VIII. *n.* 3. 4.

Ex voce hujus Psalmi appelláti sunt & Mónachi. Ne quis vobis de isto nómine insultet Cathólicis. Sunt & qui Mónachi falsi sunt; & nos nóvimus tales: sed non périit fratérnitas pia propter eos qui profiténtur quod non sunt. Tam sunt enim Mónachi falsi, quàm & Clérici falsi & Fidéles falsi. Omnia génera habent bonos suos, habent malos suos. De his enim ipsis genéribus dictum est: Duo in agro, unus assumétur, & unus relinquétur; & duo in lecto, unus assumétur, & unus relinquétur. Sunt ibi probi, & sunt ibi réprobi. Ne expavescátis quando ibi inveniuntur réprobi: nam & latent quidam qui non inveniuntur nisi in fine.

℟. In generatiónibus gentis suæ glóriam adepti sunt, & in diébus suis habentur in láudibus; * Cum sémine eórum pérmanent bona. † Hæréditas sancta nepótes eórum. ℣. Filii caríssimi propter patres; sine pœniténtiâ enim sunt dona & vocátio Dei. * Cum. ℣. Glória. † Hæréditas. *Eccli.* 44. *Rom.* 11.

AD LAUDES.

*Antiphonæ.*

I. Zelum habentes legis, fugérunt, & reliquérunt quæcumque habébant. *I. Mach.* 2.

II. Relictis ómnibus, secúti sunt Jesum. *Luc.* 5.

III. Sapiéntia direxit ópera eórum; iter fecérunt per deserta quæ non habitabantur. *Sap.* 11.

IV. Plorábant, & jejunábant, & orábant in conspectu Dómini. *Baruch.* 1.

V. Omnes erant perseverantes unanímiter in oratióne. *Act.* 1.

Lectio. *I. Mach.* 2.

Nunc ergo, ô filii, æmulatóres estóte legis, & date ánimas vestras pro testamento patrum vestrórum; † Et mementóte óperum patrum quæ fecérunt in generatiónibus suis, * & accipiétis glóriam æternam & nomen æternum.

℟. Abscondes eos, Dómine, * A conturbatióne hóminum. ℟. Abscondes. ℣. In abscóndito faciéi tuæ. * A conturbatióne. ℣. Glória. ℟. Abscondes. *Ps.* 30.

*Hymnus*, O pulchras acies. *pag.* lv.

℣. Próteges eos, Dómine, in tabernáculo tuo, ℟. A contradictióne linguárum. *Ps.* 30.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut patrem, aut matrem, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam æternam possidébit. *Matth.* 19.

Collecta. *Brev. Clun.*

DEus, qui relinquéntibus ómnia, céntuplum in hoc século, & in futúro vitam ætemam promisisti; † da nobis, intercedente beáto Patre nostro Benedicto, & ómnibus Sanctis qui ejus Régulam sunt secúti, sic à carnálibus desidériis abstinére, * ut plenam à te abstinéntiæ nostræ mercédem recípere mereámur; Qui vivis & regnas.

AD PRIMAM.

Canon.

Ex Concílio Augustodunensi. *An.* 670. *Can.* 15.

SInt Mónachi omníno obedientes; sint frugalitátis decóre pollentes, in ópere Dei ferventes, oratióni instantes, in caritáte perseverantes: ne propter negligéntiam, aut inobediéntiam, hoste circumeunte, ac rugiente, & quærente quem dévoret, cibus efficiantur. Sit eis cor unum & ánima una, nemo suum áliquid esse dicat, sed sint eis ómnia commúnia.

AD TERTIAM.

Lectio. *Gal.* 5.

QUi sunt Jesu Christi carnem suam crucifixérunt cum vítiis & concupiscéntiis. † Si spíritu vívimus, spíritu & ambulémus. * Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi, ínvicem provocantes, invicem invidentes.

℣. Confige timóre tuo carnes meas: ℟. A judíciis enim tuis tímui. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Lectio. *II. Cor.* 13.

FRatres, gaudéte, perfecti estóte, exhortámini, † idem sápite, pacem habéte; * & Dóminus pacis & dilectiónis erit vobiscum.

℣. Ecce quàm bonum & quàm jucundum, ℟. Habitáre fratres in unum! *Ps.* 132.

AD NONAM.

Lectio. *Coloss.* 3.

VErbum Christi hábitet in vobis abundanter, in omni sapiéntiâ, † docentes & commonentes vosmetipsos in psalmis, hymnis, & cánticis spirituálibus, * in grátiâ cantantes in córdibus vestris Deo.

℣. Cantáte Dómino cánticum novum; ℟. Bene psállite ei in vociferatióne. *Ps.* 32.

AD II. VESPERAS.

*Psalmi et Ant.*

I. *Ps.* 109. Dixit Dóminus. *pag.* 28.

*Ant.* Non sumus substractiónis filii in perditiónem, sed fidei in acquisitiónem ánimæ. *Hebr.* 10.

II. *Ps.* 111. Beátus vir. *pag.* 29.

*Ant.* Patres quidem carnis nostræ eruditóres habúimus, & reverebámur eos: non multò magis obtemperábimus Patri spirítuum, & vivémus? *Hebr.* 12.

III. *Ps.* 112. Laudáte púeri. *pag.* 30.

*Ant.* Regnum immóbile suscipientes, habémus grátiam; per quam serviámus placentes Deo cum metu & reveréntiâ. *Hebr.* 12.

IV. *Ps.* 132. Ecce quàm bonum. *pag.* 75.

*Ant.* Confídimus quia bonam consciéntiam habémus, in ómnibus bene volentes conversári. *Hebr.* 13.

Lectio. *Hebr.* 12.

Tantam habentes impósitam nubem téstium, † deponentes omne pondus, & circumstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen; * adspicientes in autórem fidei, & consummatórem Jesum.

℟. *br.* Lætentur omnes * Qui sperant in te, Dómine. ℟. Lætentur. ℣. In ætemum exultábunt, & habitábis in eis; * Qui. ℣. Glória. ℟. Lætentur. *Ps.* 5.

*Hymnus,* Quæ signáta, *ut ad I. Vesp. pag.* 509.

℣. Ambulábunt in lúmine vultûs tui, Dómine; ℟. Et in nómine tuo exsultábunt totâ die. *Ps.* 88.

*Ad* Magníficat. *Ant.* In Christo nos forte vocáti sumus, prædestináti secundùm propósitum ejus, qui operátur ómnia secundùm consílium voluntátis suæ; ut simus in laudem glóriæ ejus. *Ephes.* 1.

---

## Die XIX.

## S. Thomæ Aquinatis, Presb. et Doct.

*Omnia de Communi Doctorum, exceptis quæ sequuntur.*

Lectio III.

*Ex vitâ S. Thomæ Aquinatis apud Bolland.*

Thomas Landulfo cómite Aquináte, ac Theodórâ cómitis Theatíni filiâ natus, Cassinátibus Mónachis pietáte & lítteris imbuendus tráditur. Inde Neápolim studiórum causâ missus, anno ætátis décimo circiter nono, hábitum Ordinis sancti Domínici suscépit: sed paréntibus id indignè feréntibus, Lutétiam Parisiórum míttitur. Verùm in itínere, jussu fratrum per vim raptus, in castrum paternæ ditiónis deductus est. Ibi váriè exagitátus quò sanctum mutáret propósitum, uni sorórum suárum persuásit, ut contemptis séculi pompis, sacris se Virgínibus adjúngeret. Mulíerem quoque impudícam, quæ ad

labefactandam ejus castitátem introducta fúerat, titióne fugávit. Lutétiæ post prælectas Petri Lombardi senténtias, grádum Magistérii obtinuit. Summæ eruditióni accessit summa vitæ sánctitas. Nunquam se lectióni aut scriptióni dabat, nisi post oratiónem: dícere sólitus, quidquid sciret, non tam se stúdio aut labóre suo peperisse, quàm divínitus tráditum accepisse. In rebus subtilióribus discutiendis, ne caritátis ardor tepésceret, Collatiónes Patrum assíduè pervolvébat. De Sacro-Sancto Eucharístiæ Sacramento multa piè non minùs quam scitè conscripsit. Delátum sibi à Clemente quarto Archiepiscopátum Neapolitánum constanter recusávit. Missus à Gregório décimo ad Concílium Lugdunense, in itínere morbo correptus, divertit in monastérium Fossanovense Cisterciensis Ordinis, in diœcesi Terracinensi, ubi obdormívit in Dómino, anno ætátis quinquagésimo, Christi verò millésimo ducentésimo septuagésimo quarto; quem clarum miráculis Joannes vigésimus secundus Sanctórum albo adscripsit.

℟. Optávi, & datus est mihi sensus; & invocávi, & venit in me spíritus sapiéntiæ; & præpósui illam regnis & sédibus; * Et † Divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. ℣. Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei; * Et divítias. ℣. Glória. † Divítias. *Sap.* 7. *Philip.* 3.

Collecta. *Brev. Rom.*

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Thomæ mirâ eruditióne clarificas, & sanctâ operatióne fœcundas; † da nobis, quæsumus, & quæ dócuit intellectu conspícere, * & quæ egit imitatióne complére; Per Dóminum.

---

## *Die XXII.*

## Sanctæ Mariæ Magdalenes.

*Festivitas III. Classis.*

---

## Ad I. Vesperas.

*Antiphonæ.*

I. Collaudábo te Deum Salvatórem meum; quóniam liberasti me à rugiéntibus, præparátis ad escam. *Eccli.* 51.

II. Dómine Deus noster, possedérunt nos dómini absque te: tantùm in te recordémur nóminis tui. *Is.* 26.

III. Laudábo nomen tuum assíduè, & collaudábo illud in confessióne, quóniam éruis sustinentes te, Dómine. *Eccli.* 51.

℟. Grátias Deo, qui eripuit nos de potestáte tenebrárum, & tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ. *Coloss.* 1.

Lectio. *Tob.* 11.

BEnedíco te, Dómine, Deus Israel, † quia tu castigasti me, * & tu salvasti me.

℟. *br.* Benedictus Deus meus, * Liberátor de inimícis meis. ℟. Benedictus. ℣. Et exaltétur Deus salútis meæ; * Liberátor. ℣. Glória. ℟. Benedictus. *Ps.* 17.

Hymnus. *S. V.*

PRocul maligni cédite
spíritus;
Nunc imperanti cédite Número
mini;
Fessamque longis Magdalénen
Párcite nunc agitáre pœnis.

Christi jubentis número
térriti
Fugére septem: mox sibi
réddita,
Te, Christe, consectátur
unum,
Et mémori tibi mente servit.

Quin & cruentâ de trabe péndulo
Christo litábat mille dolóribus:
Quàm vellet insontis Magistri
Sola graves toleráre pœnas!

Miscére fletus sánguinis
æmulos
Non cessat, adstans víctima víctimæ:
Christus silendo, nil repen-
dit:
Quàm mélius probat hinc
amantem!

Laus summa Patri, súmmaque Fílio:
Sit summa puro laus quoque Flámini,
Adflante quo semper calescunt
Æthereis pia corda flammis. Amen.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino, ℟. Qui sanat omnes infirmitátes tuas. *Ps.* 102.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Quod est verbum, quia in potestáte & virtúte imperat immundis spirítibus, & éxeunt? *Luc.* 4.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 519.

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Deum qui manifestat se diligéntibus eum; * Veníte, adorémus. *Joan.* 14.

Hymnus: *G. Ep. S.*

PLagis Magistri sáucia
Dum mœsta largos
funderet
María fletus, ácrior
Revixit in pœnis amor.

Non turba, non vetat
crucis
Mortisque diræ scándalum,
Inter furentes quærere
Ligno peremptum mílites.

Quis tantus ignáram labor
Exercet? Exstínctam doles
In morte vitam: quid gemis,
Mors ipsa cùm victrix cadit?

En ille quem luges amans,
Præsens resumpto córpore,
Notis amantem te redux
Primam salútat vócibus.

O si beátos tángere,
O si tenére fas pedes!
Sed hìc perennis non datur
Gustáre vitæ gáudia.

Impléta nunc Apóstolam
Promissa te primam choro
Apostolórum grándia
Jubent referre núntia.

Sit laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus Spíritus,
Amóre sancto cógnita
Qui velle das & éxsequi.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Sicut malus inter ligna sylvárum, sic dilectus meus inter filios. *Cant.* 2.

II. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis; quia amóre lángueo. *Cant.* 2.

III. Dilectus meus mihi, & ego illi qui páscitur inter lília. *Cant.* 2.

IV. Quæram quem díligit ánima mea; quæsívi illum, & non invéni. *Cant.* 3.

V. Fíliæ Jerúsalem, si invenéritis dilectum meum, nuntiétis ei quia amóre lángueo. *Cant.* 5.

VI. Quò declinávit dilectus tuus? & quærémus eum tecum. *Cant.* 5.

℣. Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte; ℟. Dum dícitur mihi: ubi est Deus tuus? *Ps.* 41.

*Lectiones cum ℟℟. de Scripturâ occurrente.*

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Vox dilecti mei; ecce iste venit. *Cant.* 2.

II. Invéni quem díligit ánima mea; ténui eum, nec dimittam. *Cant.* 3.

III. Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locútus est. *Cant.* 5.

IV. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui páscitur inter lília. *Cant.* 6.

V. Ego dilecto meo; & ad me convérsio ejus. *Cant.* 7.

VI. Læva ejus sub cápite meo, & déxtera illíus amplexábitur me. *Cant.* 8.

℣. Defécit caro mea, & cor meum; ℟. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. *Ps.* 72.

LECTIO V.

Ex Homíliâ vigésimâ quintâ sancti Gregórii Papæ in Evangélia. *Edit. Ben. n.* 1 & 2.

María Magdaléne, postquam venit ad monumentum, ibíque corpus Domínicum non invénit, sublátum crédidit, atque discípulis nuntiávit. Qui

venientes vidérunt, atque ita esse, ut múlier dixerat, credidérunt, & de eis prótinus scriptum est: Abiérunt ergo discípuli ad semetipsos. Ac deinde subjúngitur: María autem stabat ad monumentum foris plorans. Quâ in re pensandum est, hujus mulíeris mentem quanta vis amóris accénderat, quæ à monumento Dómini, étiam discípulis recedéntibus, non recedébat. Exquirébat quem non invénerat; flebat inquirendo, & amóris sui igne succensa, ejus, quem ablátum crédidit, ardébat desidério. Unde cóntigit, ut eum sola tunc vidéret, quæ remánsit ut quæreret; quia nimírum virtus boni óperis, perseverántia est; & voce Veritátis dícitur: Qui perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

℞. Unâ Sábbati, María Magdaléne * Venit mane, cùm adhuc ténebræ essent, ad monumentum, & vidit lápidem sublátum à monumento. ℣. Bene consurgit dilúculo, qui quærit bona. * Venit. *Joan.* 20. *Prov.* 11.

Lectio VI.

SEd María cùm fleret, inclinávit se, & prospexit in monumentum. Certè jam monumentum vácuum víderat, jam sublátum Dóminum nuntiáverat: quid est quòd se íterum inclinat, íterum vidére desíderat? Sed amanti semel adspexisse non súfficit: quia vis amóris intentiónem multíplicat inquisitiónis. Quæsívit ergo priùs, & mínimè invénit: perseverávit ut quæreret, unde & cóntigit ut inveníret: actumque est ut desidéria diláta créscerent, & crescéntia cáperent quod invenissent. Sancta enim desidéria dilatióne crescunt, si autem dilatióne deficiunt, desidéria non fuérunt. Hoc amóre arsit, quisquis ad veritátem pertíngere pótuit. Hinc Ecclésia in Cánticis canticórum dicit: Vulneráta caritáte ego sum. Hinc rursus ait: Anima mea liquefacta est, ut dilectus locútus est.

℞. Dum fleret María, * Inclinávit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi pósitum fúerat corpus Jesu. ℣. Præ sollicitúdine quiéscere non pótuit. * Inclinávit. *Joan.* 20. *Jerem.* 49.

Lectio VII.

MEns namque hóminis, Conditóris sui spéciem non quærentis, malè dura est, quia in semetipsâ

remanet frigida. At si ardére jam ex desidério cœperit ad sequendum quem díligit, liquefacta per ignem amóris currit. Fit desidério ánxia; vilescunt in século cuncta quæ placébant; nihil est quod extra Conditórem líbeat, & quæ priùs delectábant ánimum, fiunt póstmodùm vehementer onerósa. Nihil ejus mœstítiam consolátur, quousque adhuc qui desiderátur non adspícitur; mœret mens, lux ipsa fastídio est.

℟. Dicunt ei Angeli: Múlier, quid ploras? Dicit eis: * Quia tulérunt Dóminum meum, & néscio ubi posuérunt eum. ℣. Idcirco ego plorans, & óculus meus dedúcens aquas; * Quia. *Joan.* 20. *Thren.*

LECTIO VIII. *n.* 3 & 4.

Ista ítaque quæ sic amat, quæ se ad monumentum quod perspéxerat, íterum inclínat; videámus quo fructu vis amóris in eâ ingéminat opus inquisitiónis. Requírunt Maríam Angeli, dicentes: Múlier, quid ploras? Et dicit eis: Quia tulérunt Dóminum meum, & néscio ubi posuérunt eum. Ipsa namque sacra elóquia, quæ in nobis lácrymas amóris éxcitant, easdem lácrymas consolantur, dum nobis Redemptóris nostri spéciem promittunt. Hæc cùm dixisset, conversa retrorsum, vidit Jesum stantem, & nesciébat quia Jesus esset. Sed quia amábat & dubitábat, vidébat & non agnoscébat eum quem illi & amor ostendébat, & dubíetas abscondébat. Qui dixit ei: Múlier, quid ploras? quem quæris? interrogátur dolóris causâ, ut augeátur desidérium, quátenus cùm nomináret quem quæreret, in amóre ejus ardéntiùs æstuáret.

℟. In simplicitáte cordis quærite Dóminum; *Quóniam † Invenítur ab his qui non tentant eum: appáret autem eis qui fidem habent in illum. ℣. Conversa est María retrorsum, & vidit Jesum stantem; * Quóniam. ℣. Glória. † Invenítur. *Sap.* 1. *Joan.* 20.

## *IN III. NOCTURNO.*

*Cantica, de Communi Sanctarum Virginum, pag.* lxxij.

*Ant.* Confitébor tibi, Dómine, quóniam adjútor & protector factus es mihi, & liberasti me secundùm multitúdinem misericórdiæ nóminis tui. *Eccli.* 51.

℣. Exsultábit cor meum in salutári tuo: ℟. Can-

tribuo Dómino, qui bona tríbuit mihi. *Ps.* 12.

## Lectio IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 13.

SI linguis hóminum loquar, & Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tínniens. Et si habúero prophetíam, & nóverim mystéria ómnia, & omnem sciéntiam: & si habúero omnem fidem, ita ut montes tránsferam, caritátem autem non habúero, nihil sum. Et si distribúero in cibos páuperum omnes facultátes meas, & si tradídero corpus meum, ita ut árdeam, caritátem autem non habúero, nihil mihi prodest.

℟. In hoc est cáritas; non quasi nos dilexérimus Deum; sed quóniam ipse prior dilexit nos: * Et misit Filium suum propitiatiónem pro peccátis nostris. ℣. Nos ergo diligámus Deum, quóniam Deus prior dilexit nos. * Et. *I. Joan.* 4.

## Lectio X.

CAritas pátiens est, benigna est; Cáritas non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur. Non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum. Non gaudet super iniquitáte, congáudet autem veritáti, ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet.

℟. Commendat Caritátem suam Deus in nobis: quóniam cùm adhuc peccatóres essémus, Christus pro nobis mórtuus est; * Per quem nunc reconciliatiónem accépimus. ℣. Grátia cum ómnibus qui díligunt Dóminum nostrum Jesum Christum. * Per quem. *Rom.* 5. *Ephes.* 6.

## Lectio XI.

CAritas nunquam éxcidit; sive prophetíæ evacuabuntur, sive linguæ cessábunt, sive sciéntia destruétur. Ex parte enim cognóscimus, & ex parte prophetámus. Cùm autem vénerit quod perfectum est, evacuábitur quod ex parte est.

℟. Qui scrutátur corda, scit quid desíderet Spíritus: quia secundùm Deum póstulat pro sanctis. * Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperantur in bonum. ℣. Si quis non amat Dóminum nostrum Jesum Christum, sit anáthema.

* Scimus. *Rom.* 8. *I. Cor.* 16.

LECTIO XII.

Cum essem párvulus, loquébar ut párvulus, sapiébam ut párvulus, cogitábam ut párvulus. Quando autem factus sum vir, evacuávi quæ erant párvuli. Vidémus nunc per spéculum in ænígmate: tunc autem fácie ad fáciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam sicut & cógnitus sum. Nunc autem manent Fides, Spes, Cáritas; tria hæc: major autem horum est Cáritas.

℟. Cáritas Christi urget nos: * Ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est, & resurrexit. ℣. Et si cognóvimus secundùm carnem Christum; sed nunc jam non nóvimus: vétera transiérunt, ecce facta sunt ómnia nova. * Ut & qui. ℣. Glória. * Ut & qui. *II. Cor.* 5.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Cap.* 20.

Maria stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinávit se, & prospexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis, sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi pósitum fúerat corpus Jesu. Dicunt ei illi: Múlier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulérunt Dóminum meum; & néscio ubi posuérunt eum. Hæc cùm dixisset, conversa est retrorsùm, & vidit Jesum stantem; & non sciébat quia Jesus est. Dicit ei Jesus: Múlier, quid ploras? quem quæris? Illa exístimans quia hortulánus esset, dicit ei: Dómine, si tu sustulisti eum, dícito mihi ubi posuisti eum; & ego eum tollam. Dicit ei Jesus: María. Conversa illa, dicit ei: Rabbóni (quod dícitur Magister.) Dicit ei Jesus: Noli me tángere; nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum. Venit María Magdaléne annúntians discípulis: Quia vidi Dóminum, & hæc dixit mihi.

AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. Vidit Jesum María, & non sciébat quia Jesus est; & dicit ei: Múlier, quid ploras? quem quæris? *Joan.* 20.

II. María exístimans quia hortulánus esset, dicit ei:

Dómine, si tu sustulisti eum, dícito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam. *Joan.* 20.

III. Dicit ei Jesus: María. Conversa illa dicit ei: Rabbóni, quod dícitur Magister. *Joan.* 20.

IV. Dicit ei Jesus: Noli me tángere; nondum enim ascendi ad Patrem meum. *Joan.* 20.

V. Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum. *Joan.* 20.

Lectio. *I. Joan.* 4.

Deus cáritas est: & qui manet in caritáte, in Deo manet, & Deus in eo.

℟. *br.* Deus, Deus meus, * Ad te de luce vígilo, ℟. Deus. ℣. Sitívit in te ánima mea: * Ad te. ℣. Glória. ℟. Deus. *Ps.* 62.

Hymnus. *S. V.*

María sacro sáucia vúlnere,
Jam non dolendum quid Dominum doles?
Semper renascens hic amóris
Unde tibi violentus ardor?

Quem quæris ipso fúneris in sinu,
Victo triumphat fúnere clárior.
Vivit: retecto jam sepulcro
Ecce jacent revolúta saxa.

Myrrham quid affers, vánaque bálsama?
Hæc luce functis débita múnera:
Mox ille donandos Olympo
Non eget his redivívus artus.

Ingens amantem te dolor índicat;
Amans vicissim se Deus óbtulit:
Agnosce vocem tu Magistri
Nómine te proprio vocantis.

Tu prima testis, prímaque núntia,
Velox in urbem prótinus ádvola,
Christique nutantes ministros
Plena Deo propióre firma.

Laus summa Patri, súmmaque Fílio;
Sit summa puro laus quoque Flámini,
Afflante quo semper calescunt
Æthereis pia corda flammis. Amen.

℣. Anima mea exsultábit in Dómino; ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Appáruit Jesus primò Maríæ Magdaléne, de qua ejécerat septem dæmónia. Illa vadens nuntiávit his qui cum eo fúerant, lugéntibus & fléntibus. *Marc.* 16.

Collecta. *Brev. Senon.*

Deus, cujus Unigénitus post resurrectiónem suam, primò Maríæ Mag-

dalénæ appáruit ; † præsta quæsumus, ut ejus intercessióne, * eumdem in déxterâ tuâ sedentem vidére mereámur Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum ; Qui tecum.

## AD TERTIAM.

Lectio. *I. Joan.* 4.

TImor non est in caritáte ; sed perfecta cáritas foras mittit timórem : † quóniam timor pœnam habet : qui autem timet, non est perfectus in caritáte. * Nos ergo diligámus Deum, quóniam ipse prior diléxit nos.

℣. Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea. ℟. Fáciem tuam, Dómine, requíram. *Ps.* 26.

## AD SEXTAM.

Lectio. *Rom.* 8.

NEque mors, neque vita, neque ángeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profundum ; † neque creatúra ália póterit nos separáre à caritáte Dei, * quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Secundùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo, ℟. Consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam. *Ps.* 93.

## AD NONAM.

Lectio. *II. Joan.*

SIt vobiscum grátia, misericórdia, pax à Deo Patre, † & à Christo Jesu Fílio Patris, * in veritáte & caritáte.

℣. Audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, ℟. Quanta fecit ánimæ meæ. *Ps.* 65.

## AD II. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. REgressæ mulíeres à monumento, nuntiavérunt úndecim ómnia quæ víderant ; erat autem María Magdaléne, & Joanna, & cæteræ quæ cum eis erant. *Luc.* 24.

II. Ecce Jesus occurrit illis dicens : Avéte. Illæ autem accessérunt, & tenuérunt pedes ejus, & adoravérunt eum. *Matth.* 28.

III. Ait illis Jesus : Nolíte timére ; ite, nuntiáte frátribus meis, ut eant in Galilæam ; ibi me vidébunt. *Matth.* 28.

IV. Venit María Magdaléne annúntians discípulis, quia vidi Dóminum. *Joan.* 20.

Lectio. *Act.* 10.

QUem occidérunt suspendentes in ligno, † hunc Deus suscitávit tértiâ die ; * & dedit eum manifestum fieri non omni pópulo, sed téstibus præordinátis à Deo.

℟.

, br. Sperent in te*Qui
:runt nomen tuum.
perent. ℣. Quóniam
dereliquisti quærentes
ómine, * Qui. ℣. Gló-
℟. Sperent. *Ps. 9.*

*ymnus,* María sacro.
*l Laudes, pag. 519.*

Narrábo nomen tuum
ibus meis; ℟. In mé-
Ecclésiæ laudábo te.
.1.

*l* Magníficat. *Ant.*
t Apóstoli perseveran-
ı oratióne cum mu-
ıus; & repléti sunt
:s Spíritu sancto.
I.

---

*Die XXV.*

ACOBI ZEBEDÆI,

APOSTOLI.

*stivitas III. Classis.*

*)mnia de Communi*
*!olorum, exceptis quæ*
*:ntur.*

DIE AD VESPERAS.

[YMNUS. *S. V.*

Jos Christus assúm-
psit sibi
us inter íntimos,
)e, nunc audi tuo
es profúsas nómini.

. singulári múnere
eriórum párticeps:
ecit, & nil pértulit
o-Deus, te néscio.

)ntis sub alto vértice,
ıube ruptâ córporis,
Cessante tum miráculo,
Tibi Deum confessus est.

Tibíque visus est homo,
Dirâ propinqui fúneris
Quando pavens imágine
Horrescit, oblítus Dei.

Tali Magistro súbditus
Discis pati, discis mori:
Fudit tibi qui sánguinem,
Illi memor fundis tuum.

Pater, tuo cum Fílio,
Et cum tuo da Spíritu,
Veníre per viam crucis
Ad vera cœli gáudia.
Amen.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Procédens Jesus, vidit Jacóbum & Joannem fratrem ejus in navi, cum Zebedæo patre eórum, reficientes rétia sua; & vocávit eos: illi autem relictis rétibus & patre, secúti sunt eum. *Matth.* 4.

*IN II. NOCTURNO.*

LECTIO V.

Sermo sancti Joannis Chrysóstomi *Homil. in Cap.* 20. *Matth. Edit. Bened.*

CHristum urgent Fílii Zebedæi hoc verbo: Dic ut sédeat unus à dextris tuis, & unus à sinistris. Quid ígitur ille? Ut ostendat illos, nec spirituále quídpiam pétere; neque si scirent quid hoc esset, unquam pétere ausos fuisse: Nescítis quid petátis; quàm magnum nempe sit, quàm mirábile, quàm súperet ipsas supernas potestátes.

Deinde subjungit: Potestis bíbere cálicem quem ego bibitúrus sum, & baptísmo quo ego baptízor, baptizári? Vos quidem de honóre, deque corónis mecum loquímini: ego verò de certamínibus & de sudóribus loquor. Non est enim hoc præmiórum tempus, neque nunc glória illa mea apparébit. Sed præsens vita est cædium, belli ac periculórum.

℟. Inter se disputáverant discípuli quis eórum major esset. Et Jesus résidens vocávit duódecim, & ait illis: * Si quis vult primus esse, erit ómnium novíssimus & miníster. ℣. Antequàm conterátur, exaltátur cor hóminis; & ántequàm glorificétur, humiliátur. * Si quis. *Marc.* 9. *Prov.* 18.

Lectio VI.

Vide quo pacto ex modo interrogandi & hortétur & trahat. Neque enim dicit: Potestis cædem ferre? Potestis sánguinem vestrum fúndere? sed quómodo? potestis bíbere cálicem? deinde alliciens eos ait: Quem ego bibitúrus sum; ut ex consórtio suo promptióres fíerent. Baptísma autem vocat illud, osténdens magnam inde purgatiónem toti orbi fore. Póstea dicunt illi: Póssumus. Ex ánimi fervóre statim promittunt, nesciéntes quid dícerent, sed exspectántes se quod petébant impetratúros esse. Quid ígitur ille? Cálicem quidem meum bibétis, & baptísmate quo ego baptízor baptizabímini. Magna illis prophetávit bona, hoc est, martyrio dignabímini, & hæc patiémini quæ ego pátiar, violentâ morte vitam terminábitis, in hísque mihi consórtes éritis. Sedére autem ad déxteram meam, & ad sinístram, non est meum dare, sed quibus parátum est à Patre meo.

℟. Infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia: & * Ignobília mundi & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus. ℣. Non gloriétur sápiens in sapiéntiâ suâ, & non gloriétur fortis in fortitúdine suâ. * Ignobília. *I. Cor.* 1. *Jerem.* 9.

Lectio VII.

Tunc indignáti sunt decem de duóbus frátribus. Viden quantùm imperfecti omnes essent, tum hi qui decem illos præcédere tentábant, tum decem illi qui duóbus invidébant? Sed, ut dixi, post hæc osténde illos mihi, & vidébis ómnibus hisce affectibus vácuos. Audi quómodo hic ipse Joannes, qui

nunc hâc de causâ accessit, primas semper Petro cedat, & concionanti, & mirácula edenti in Actibus Apostolórum. Neque ejus præclára gesta celat, sed & confessiónem narrat, quam ille ómnibus tacéntibus emísit, & ingressum in sepulcrum, illumque sibi præpónit. Quia enim ambo crucifigendo Christo áderant, laudem suam fúccidens Joannes ait: Quia notus erat discípulus ille sacerdóti. Jacóbus verò non multo póstea témpore vixit. Ab início enim magno ferebátur ardóre, missis humánis ómnibus, ad tam ineffábile culmen ascendit, ut statim occiderétur.

℟. Audientes decem, cœpérunt indignári de Jacóbo & Joanne: Jesus autem vocans eos, ait illis; * Quicumque volúerit in vobis primus esse, erit ómnium servus. ℣. Ubi fúerit supérbia, ibi erit & contumélia: ubi autem est humílitas, ibi & sapiéntia. * Quicumque. *Marc.* 10. *Prov.* 11.

LECTIO VIII.

Ex Libro séptimo Hypotypóseon sancti Clementis Alexandríni. *Euseb. Hist. L.* 2. *C.* 9. *Edit. Val.*

IS qui Jacóbum judício obtúlerat, cùm illum vidisset líberè confitentem; commótus viri constántiâ, se quoque Christiánum esse affirmávit. Ambo igitur, simul ad supplícium ducti sunt. Cùmque inter eundum rogasset Jacóbum comes, ut sibi véniam daret, paulisper morátus Jacóbus: Pax tibi, inquit, statimque illum osculátus est. Ita simul ambo cápite truncáti interiére.

℟. Dixit Jesus fíliis Zebedæi: * Cálicem quem ego bibo, bibétis; & baptismo quo ego baptízor, baptizabímini. ℣. Hæc locútus sum vobis, ut cùm vénerit hora eórum, reminiscámini quia ego dixi vobis. * Cálicem. ℣. Glória. * Cálicem. *Marc.* 10. *Joan.* 16.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Cap.* 20.

ACcessit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum filiis suis, adórans & petens áliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sédeant hi duo filii mei, unus ad déxteram tuam, & unus ad sinistram, in regno tuo. Respondens autem Jesus, dixit: Nescítis quid petátis. Potestis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus sum? Dicunt ei: Póssumus. Ait illis: Cálicem quidem meum bibétis: sedére autem ad déxteram meam, vel sinistrã, non est meum dare vobis, sed quibus parátum est à Patre meo.

Collecta. *Brev. Parif.*

OMnípotens sempitérne Deus, qui Apostolórum tuórum primítias beáti Jacóbi sánguine consecrasti: † da Ecclésiæ tuæ quæsumus & amáre quod crédidit, * & prædicáre quod dócuit; Per Dóminum.

Ad II. Vesperas.

*Hymnus*, Quos Christus. *suprà, pag.* 521.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Misit Heródes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclésiâ; occídit autem Jacóbum fratrem Joannis gládio. *Act.* 12.

---

*Die XXVI.*

SS. JOACHIM ET ANNÆ,

Parentum B. Mariæ V.

*Commemoratio.*

*Ant.* Visitávit Dóminus, & fecit redemptiónem plebis suæ; & erexit cornu salútis nobis, in domo David púeri sui. *Luc.* 1.

℣. Memor fuit Deus verbi sancti sui, ℟. Quod hábuit ad Abraham púerum suum. *Ps.* 104.

Collecta. *Brev. Senon.*

DEus, qui per ómniũ ora fidélium, beátos Jóachim & Annam Vírginis Maríæ Parentes celebrári concédis: † fac nos in amabórum solémniis, * promissam in Christo salútem, précibus eórum adipisci; Per eumdem Dóminum.

---

*Die XXIX.*

SS. LAZARI, A CHRISTO SUSCITATI, MARIÆ ET MARTHÆ, CHRISTI HOSPITUM.

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Deum cum homínibus conversátum; * Veníte, adorémus. *Baruch.* 3.

Hymnus. *Brev. Parif.*

FLagrans amóre, pérditos
Dum nos Redemptor quæreret,
Defessus ad Martham Deus
Sese recépit hóspitam.

Beáta, quæ tantum suis
Amíca tectis hóspitem
Fovére gaudet, & Deo
Inferre convívæ dapes!

Dum Martha pascit, páscitur
María felix, ac sedens
Magnóque tuta Júdice,
Partem potítur óptimam.

Nunc Martha, nunc sedens Deo
Et ipsa Verbo pásceris;
Et juge se tuus tibi
Conviva dat convívium.

Da, Christe, sanctórum quies,
Sic nos ad unum téndere
Per multa, posthàc óptimã

Ut parte possímus frui.
Sit laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus, Spíritus,
Quo dante flecti néscia
Afflat fidéles cáritas.
Amen.

## IN I. NOCTURNO.

*Antiphona & ℣. ut in Psalterio.*

LECTIO III.

Sermo sancti Bernardi Abbátis. *II. in Assumpt. B. Mariæ. Edit. Bened. n.* 1, 2, 4.

MArtha in domum suã éxcipit Salvatórem in terris; María pótiùs cógitat quemádmodum suscipiátur ab eo in domo non manufactâ, æternâ in cœlis. María tacet, & pro eâ lóquitur Christus. Optimã, inquit, partem elégit sibi María quæ non auferétur ab eâ in æternum. Hoc unum illud quod necessárium est; hæc una quam Prophéta tam sédulò requirébat: Unam, inquit, pétii à Dómino, hanc requíram. Considerémus, fratres, quemádmodum tria hæc distribúerit ordinátio caritátis; Marthæ administratiónem, Maríæ contemplatiónem, Lázari pœniténtiam. Habet hæc simul quæcumque perfecta est ánima: magis tamen videntur ad síngulos síngula pertinére, ut álii vacent sanctæ contemplatióni, álii déditi sint fraternæ administratióni, álii in amaritúdine ánimæ suæ recógitent annos suos tamquam vulneráti dormientes in sepulcris. Sic planè, sic opus est, ut María piè & sublímiter séntiat de Deo suo; Martha benignè & misericórditer de próximo suo; Lázarus míserè & humíliter de se ipso.

℟. Si quis díligit me, sermónem meum servábit; & * Pater meus díliget eum, & ad eum veniémus, & † Mansiónem apud eum faciémus. ℣. Sapiéntia súscipit inquirentes se; & qui illam díligit, díligit vitam. * Pater. ℣. Glória. † Mansiónem. *Joan.* 14. *Eccli.* 4.

## IN II. NOCTURNO.

LECTIO. *Hebr.* 13.

CAritas fraternitátis máneat in vobis: & hospitalitátem nolíte oblivisci; per hanc enim latuérunt quidam, Angelis hospítio recéptis.

℣. Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum; ℟. Ambulans in viâ immaculátâ, hic mihi ministrábat. *Ps.* 100.

*Collecta, infrà.*

## AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. JEsus venit ad monuméntum Lázari. Erat autem spelunca, & lapis

superpósitus erat ei. Ait Jesus: Tóllite lápidem. *Joan.* 11.

II. Dicit Martha soror ejus qui mórtuus fúerat: Dómine, jam fœtet, quatriduánus est enim. *Joan.* 11.

III. Dicit Marthæ Jesus: Nonne dixi tibi quóniam si credíderis, vidébis glóriam Dei? *Joan.* 11.

IV. Voce magnâ clamávit Jesus: Lázare, veni foràs, & statim pródiit qui fúerat mórtuus. *Joan.* 11.

V. Pródiit Lázarus, ligátus pedes & manus ínstitis, & fácies illíus sudário erat ligáta. Dixit Jesus: Sólvite eum. *Joan.* 11.

LECTIO. *Ezech.* 37.

HÆc dicit Dóminus Deus: Ecce ego apériam tumulos vestros, & edúcam vos de sepulcris vestris: & sciétis quia ego Dóminus.

℟. *br.* Clamávi de tribulatióne meâ ad Dóminum, * Et exaudívit me. ℟. Clamávi. ℣. De ventre ínferi clamávi; * Et. ℣. Glória. ℟. Clamávi. *Jona.* 2.

HYMNUS. *S. V.*

REdditum luci, Domino vocante,
Lázarum, turbæ, domitamque mortem
Láudibus festis, modulisque sacri
Dícite cantûs.

Ille qui Christum mensâ frequenti
Hóspitem gaudens recreáre mensâ,
Fœtidus clauso, data præda morti,
Cónditur antro.

Heu! tuâ præsens ope si jacenti
Fata qui præscis, Deus, adstitisses;
Víveret, necdum premerentur atrâ
Lúmina nocte.

Jamque mors, vitæ Dómino solútam,
Si jubes, reddet spoliáta prædam:
Nunc & exstinctus superas amícus
Surget ad auras.

Ecce dilecti lacrymis honóras
Hóspitis funus, fremitúque prodis.
Quàm pio plangas, Pater, impiórum
Corde ruínam!

Pánditur saxo tumulus remóto,
Intimos clamor penetrat recessus,
Et Deum sentit docili jubentem
Aure cadáver.

Proh stupor! notas repetit medullas
Spíritus; cæcam pedibus revinctus
Dum viam carpit, sibimet superstes
Prodit & hæres.

Ipsa sic ruptis inimíca vinclis

Mors fugit, vinci patiens, futúris
Summa prælúdit tua sic triumphis,
Christe, potestas.
Ut Patrem semper pia, Spiritumque
Omne plebs tecum celebret per ævum,
Christe, credentes animas secundæ
Eripe morti. Amen.

℣. Eripuisti ánimam meã de morte, & pedes meos de lapsu; ℟. Ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium. *Ps.* 55.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Multi ex Judæis qui vénerant ad Maríam & Martham, & víderant quæ fecit Jesus, credidérunt in eum. *Joan.* 11.

COLLECTA. *Brev. Paris.*

PRæsta, quæsumus, Dómine, † ut cum Lázaro in novitáte vitæ ambulantes, te in tuis cum Marthâ páscere, * & à te cum Maríâ verbi tui meditatióne pasci mereámur; Qui vivis & regnas.

## AD TERTIAM.

LECTIO. *Thren.* 3.

LApsa est in lacum vita mea, & posuérunt lápidem super me. † Inundavérunt aquæ super caput meum; dixi: Périi. * Invocávi nomen tuum, Dómine, de lacu novíssimo.

℣. Sublevábis de corruptióne vitam meam, ℟. Dómine Deus meus. *Jonæ.* 2.

## AD SEXTAM.

LECTIO. *Eccli.* 2.

SUstine, & in humilitáte tuâ patiéntiam habe: † quóniam in igne probátur aurum & argentum, hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis. * Crede Deo, & recuperábit te.

℣. Convertisti planctum meum in gáudium mihi; ℟. Conscidisti saccũ meum, & circumdedisti me lætítiâ. *Ps.* 29.

## AD NONAM.

LECTIO. *Osee*, 13.

DE manu mortis liberábo eos, † de morte rédimam eos: * ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero, inferne.

℣. Dómine, eduxisti ab inferno ánimam meam, ℟. Salvasti me à descendéntibus in lacum. *Ps.* 29.

## AD VESPERAS.

*ANTIPHONÆ.*

I. JEsus venit Bethániam, ubi Lázarus fúerat mórtuus, quem suscitávit. *Joan.* 12.

II. Cognóvit turba multa ex Judæis quia illìc est: & venérunt, non propter Je-

ſum tantum: ſed ut Lazarum vidérent, quem ſuſcitávit a mórtuis. *Joan.* 12.

III. Fecérunt ei cœnam ibi, & Martha miniſtrabat: Lázarus vero unus erat ex diſcumbéntibus cum eo. *Joan.* 12.

IV. Maria accépit libram unguenti nardi piſtici pretióſi, & unxit pedes Jeſu, & extersit capillis ſuis: & domus impléta eſt ex odóre unguenti. *Joan.* 12.

LECTIO. *Hebr.* 6.

Non injuſtus Deus, ut obliviſcátur óperis veſtri, † & dilectiónis quam oſtendiſtis in nómine ipsíus, * qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtráris.

℟. *br.* Dixi Dómino: * Deus meus es tu: ℟. Dixi. ℣. Quóniam bonórum meórum non eges. * Deus. ℣. Glória. ℟. Dixi. *Pſ.* 15.

HYMNUS. *G. V.*

En Chriſtus ædes Bethaniæ ſubit;
Currámus omnes: hóſpite ſpléndidam
Simóne cœnam præparante,
Tam celebrem penetrémus aulam.
Hìc dum miniſtrat Martha celer gradu,
Fraterque lætas áſſidet ad dapes;
María, Chriſto tu fragranti
Vaſa reples pretióſa nardo.
Pedes inungens, térgens crínibus
Gaudes; liquórem fundis & in caput;
Et vaſe fracto, mox inundans,
Tecta novo recreas odóre.
Sed cur iníquo dente laceſſeris,
Dum glorióſis obséquiis vacas?
Unguenta fundens, ante vertis
Exſequias morientis Agni.
Quantùm per orbem Chriſtiadûm fides
Diffúſa vaſtas ſubjiciet plagas,
Tantùm Maríæ grande factum
Per populos reſonábit omnes.
Laus ſumma Patri, ſummaque Fílio;
Sanctóque compar glória Flámini,
Quo dante jam nunc ſponſa Chriſti
Perpetuâ fruitur quiéte. Amen.

℣. Beátus qui intélligit ſuper egénum & páuperē; ℟. In die malâ liberábit eum Dóminus. *Pſ.* 40.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Veníte, benedicti Patris mei; poſſidéte parátum vobis regnum: eſurívi enim, & dediſtis mihi manducáre; ſitívi, & dediſtis mihi bíbere; hoſpes eram, & collegiſtis me. *Matth.* 25.

Dix

## Die XXXI.

## S. Germani, Autissiodor. Episcopi.

*Omnia de Communi Pontificum, exceptis quæ sequuntur.*

### Lectio III.

*Ex sancti Germani vitâ, autore Constantio, & ex Prosperi Fastis.*

Germánus nóbili génere Autiossiodóri natus, post auditória Gallicána, Romæ jurisperítiam adeptus, causas egit, ibíque uxórem duxit. Províncîæ suæ visitátor constitútus, in Gálliam rédiit, ubi venatióni nímiùm déditus, ab Amatóre Autissiodorensi Epíscopo reprehensus est, quòd ferárum quas venando céperat trunca cápita, ex ritu Gentílium, de árbore quæ in médio civitátis erat, non sine fidélium offensióne, suspénderet. Sed ubi Germánum sibi successórem futúrum divínitùs cómperit Amátor, Augustodúnum se cóntulit, ut Germáni in clerum adsciscendi potestátem à Júlio præfecto impetráret. Quod ut obtínuit, Germánum, rescisso capillítio, clericáli veste índuit. Creátus Epíscopus súbitò mutátur in virum álterum; exinde namque cœpit séculi pompam adspernári, uxórem habére pro soróre, vitamque áspeeram dúcere. Cùm autem Pelagiána hæresis in Británniâ majóre grassarétur, ad eam exstirpandam Gálliæ Epíscopi, rogántibus Británnis, misérunt Germánum cum Lupo Trecensi qui ínsulam purgárunt ab erróre. Cláruit ibi Germánus miráculis; sed illud ímprimis memorandum, quòd, cùm venerandi Antístites advérsùs Pelagiános disputatiónē públicam habuissent, ac eos confutassent; sub ipsórum óculis, & coram ingenti pópulo qui spectátor & judex certáminis áderat, Germánus, invocáto Trinitátis nómine, puellæ cœcæ visum restítuit. In Gálliam redux, cùm accepisset civitátem suam tribútis, aliisque calamitátibus ádmodum premi, Arelátem se cóntulit ad Auxiliárem Gálliæ Præfectum, qui Germáni précibus pro plebe vexátâ ultro ánnuit. In Británniam íterum, ut opus quod cœperat absólveret, adjuncto sibi cómite Sevéro Trevirensi, remeávit. Tum per Aremóricos reversus, Alanórum, exércitum ad puniendos rebelles ab Aétio præfecto missum, avocávit. Dénique Ravennam profectus, ut à Valentiniáno Imperatóre iis véniam péteret, & ab ipso ejusque matre Placídiâ honorífice exceptus, ibi paucos post dies ex hâc vitâ decessit,

anno quadringentésimo quadragésimo octavo. Corpus ejus póstea honorífico comitátu Autissiodórum delátum est.

℟. Arma milítiæ nostræ non carnalia sunt, sed poténtia Deo ad destructiónem munitiónum, * Consília destruentes, & omnem altitúdinem extollentem se adversùs sciéntiam Dei. ℣. In nómine tuo, Dómine, spernémus insurgentes in nobis; * Consília. ℣. Glória. * Consília. *II. Cor.* 10. *Ps.* 43.

COLLECTA. *Brev. Autiss.*

AUfer à nobis, quæsumus, Dómine, cor lapídeum; † & intercedente beáto Pontífice Germáno, eam nobis grátiam benignus infunde, * quam & devíctus expertus est, & víctor adséruit; Per Dóminum.

*Fit Commemoratio* S. LUPI, TRECENSIS EPISC.

*Collecta*, Deus, qui. *de Communi Pont. pag.* xxxvj.

FESTA AUGUSTI.

*DIE I.*

SANCTI PETRI AD VINCULA.

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Dóminum qui sólvit compedítos; * Veníte, adorémus. *Ps.* 145.

HYMNUS. *S. V.*

QUi Christiano gloriantur nómine,
Ahéna frustra vincla captivos tenent,
Frustra satelles servat insomnis fores;
Inter caténas mente stant libérrimâ.

Ornant revinctos invidendæ cómpedes,
Nec ponderósæ, quas amor leves facit:
Non densa tetri cárceris nox óbsidet,
Æterna summo quos manet cœlo dies.

Dulces caténæ! quæ reum non árguunt,
Sed Christi amantem quæ probant Apóstolum:
Regum corónis, áureis monílibus,
Vos sacra plurìs æstimámus víncula.

Patri suprémo sit supréma glória;
Tibíque laudes totus orbis cóncinat,
Æterne Fili, splendor æterni Patris;
Compar sit almo laus, decusque Flámini.
Amen.

*Antiphona & ℣. ut in Psalterio.*

LECTIO III.

Ex Homíliâ octávâ sancti Joannis Chrysóstomi Epíscopi in Epístolam ad Ephésios. *Edit. Bened.*

NIhil est æquè præclárum atque víncula propter Christum. Si quis

amat Christum, novit quod dícitur; si quis Dómini amóre úritur, novit vim vinculórum & dignitátem. Vinctum esse propter Christum, fortasse est præclárius quàm sedére à dextris ejus: hoc est magnificéntius quàm sedére super duódecim sedes. Hoc sancti chori solùm est intellígere: Apostolórum, inquam. Audi enim beátum Lucam dicentem eos rediisse gaudentes à conspectu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Christi contuméliam pati. Atque áliis quidem vidétur ridículum, si probrum & contumélia, dignitátis & lætítiæ loco habeantur: iis autem qui sciunt Christi desidérium, quid beátius quàm contuméliis áffici? Vellem ego quidem nunc esse iis in locis, in quibus dicuntur manére illa víncula: vellem vidére caténas quas pertimescunt quidem & horrent dæmones, reverentur autem Angeli: nihil est enim mélius quàm mala pati propter Christum. O beáta víncula! ô beátas manus, quas ornávit illa caténa! Ego si fuissem illis tempóribus, tunc máximè eas essem amplexus: certassem illas deosculári manus, quæ dignæ sunt hábitæ pro Dómino meo vincíri.

℟. Ecce Angelus Dómini ádstitit, & * Lumen refulsit in habitáculo; percussóque látere Petri, excitávit eum, dicens: Surge velóciter; & cecidérunt caténæ de mánibus ejus. ℣. Justum non derelíquit sapiéntia, sed à peccatóribus liberávit eum; descenditque cum illo in fóveam. * Lumen. ℣. Glória. * Lumen. *Act.* 12. *Sap.* 10.

## *IN II. NOCTURNO.*

Lectio. *I. Petr.* 4.

Caríssimi, nolíte peregrinári in fervóre qui ad tentatiónem vobis fit, quasi novi áliquid vobis contingat; sed communicantes Christi passiónibus gaudéte, ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultantes.

℣. Dómine Deus meus, in te sperávi: ℟. Salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, & líbera me. *Ps.* 7.

*Collecta ut infrà.*

## AD LAUDES.

*Antiphonæ.*

I. Misit Heródes rex manus, ut afflígeret quosdam de Ecclésiâ; appósuit autem ut apprehénderet & Petrum, quem misit in cárcerem. *Act.* 12.

II. Petrus quidem servabátur in cárcere; orátio autem fiébat sine intermissióne ab Ecclésiâ ad Deum pro eo. *Act.* 12.

III. Cùm productúrus eum esset Heródes, in ipsâ nocte erat Petrus dórmiens inter duos mílites, vinctus caténis duábus. *Act.* 12.

IV. Angelus Dómini ádstitit, & lumen refulsit in habitáculo; percussóque látere Petri, excitávit eum; & cecidérunt caténæ de mánibus ejus. *Act.* 12.

V. Dixit Angelus ad Petrum: Circumda tibi vestimentum tuum, & séquere me; & éxiens sequebátur eum, & nesciébat quia verum est quod fiébat per Angelum. *Act.* 12.

Lectio. *I. Petr.* 1.

EXsultábitis, módicum nunc si oportet contristári in váriis tentatiónibus; ut probátio vestræ fidei multò pretiósior auro, quod per ignem probátur, inveniátur in laudem, & glóriam, & honórem in revelatióne Jesu Christi.

℟. *br.* Misit de cœlo Dóminus, * Et liberávit me: ℟. Misit. ℣. Dedit in oppróbrium conculcantes me: * Et. ℣. Glória. ℟. Misit. *Ps.* 56.

Hymnus. *S. V.*

PEtrum, tyranne, quid caténis óbruis,
Jubésque condi cárceris nigro specu?
Quid trux satelles ante limen éxcubat?
Carcer, satelles, vincla non Petrum tenent.
Fulgens ab alto venit Ales æthere;
Recédit horror, & fugat noctem dies:
Jubente Christo, rupta vincla cóncidunt,
Panduntur ultro clausa ferro límina.
Cœlestis ille ductor ostendit viam:
It Petrus, atque sómnium, quod sit, putat:
Verùm, receptâ mente, victrícem Dei,
Suæ salútis certus, agnoscit manum.
Lux nostra, Christe, nostra libertas, vides
Quibus caténis óbruant nos crímina,
Et quanta nostris íncubet nox méntibus:
Cœcis diem fer, rumpe vinctis víncula.
Patri supremo sit supréma glória;
Tibíque laudes totus orbis cóncinat,
Æterne Fili, splendor æterni Patris:
Compar sit almo laus decúsque Flámini.
Amen.

℣. Dirupisti, Dómine, víncula mea: ℟. Tibi sacrificábo hóstiam laudis. *Ps.* 115.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Petrus ad se reversus, dixit: Nunc scio verè quia misit Dóminus Angelum suum, & erípuit me de manu Heródis, & de omni

exſpectatióne plebis Judæórum. *Act.* 12.

Collecta. *Brev. Pariſ.*

DEus, qui beátum Petrum Apóſtolum à vínculis abſolútum, illæſum abíre fecíſti; † noſtrórum, quæſumus, abſolve víncula peccatórum, * ut ab eórum néxibus expedíti, viam mandatórum tuórum líberâ mente currámus; Per Dóminum.

*Fit Commemoratio* SS. Septem Fratrum Machabæorum.

*Ant.* Rex mundi defunctos nos pro ſuis légibus in æternæ vitæ reſurrectióne ſuſcitábit. *II. Mach.* 7.

℣. Judicábit Dóminus pópulum ſuum. ℟. Et in ſervis ſuis deprecábitur. *Pſ.* 134.

Collecta. *Sacr. Greg.*

FRaterna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet, † quæ & fidei noſtræ præbeat incrementa virtútum, * & multíplici nos ſuffrágio conſolétur; Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Lectio. *Jac.* 5.

ORáte pro ínvicem ut ſalvémini; † multùm enim valet * deprecátio juſti aſſídua.

℣. Exaudívit páuperes Dóminus, ℟. Et vinctos ſuos non deſpexit. *Pſ.* 68.

AD SEXTAM.

Lectio. *I. Petr.* 4.

NEmo veſtrûm patiátur ut homicída, aut fur, aut maledícus, aut alienórum appetítor, † ſi autem ut Chriſtiánus, non erubeſcat; * gloríficet autem Deum in iſto nómine.

℣. Juxtà eſt Dóminus iis qui tribuláto ſunt corde; ℟. Et húmiles ſpíritu ſalvábit. *Pſ.* 33.

AD NONAM.

Lectio. *II. Petr.* 2.

NOvit Dóminus pios de tentatióne erípere; † iníquos verò in diem judícii * reſerváre cruciandos.

℣. Dóminus eduxit me in latitúdinem; ℟. Salvum me fecit, quóniam voluit me. *Pſ.* 17.

AD VESPERAS.

*Antiphonæ ut ad Laudes.*

Lectio. *I. Petr.* 5.

DEus omnis grátiæ, qui vocávit nos in ætérnam ſuam glóriam in Chriſto Jeſu, † módicùm paſſos ipſe perfíciet, confirmábit, ſolidabitque: * ipſi glória & impérium in sǽcula ſæculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

℟. *br.* Clamavérunt juſti, * Et Dóminus exaudívit eos. ℟. Clamavérunt.

℣. Et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit

VI. Ecce apparuérunt illis Móyses & Elías cum eo loquentes. *Matth.* 17.

℣. Speciósus formâ præ filiis hóminum: ℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. *Ps.* 44.

LECTIO I.

Ex Libro Sapiéntiæ. *Cap.* 7.

EST in sapiéntiâ spíritus intelligéntiæ, sanctus, únicus, múltiplex, subtílis, disertus, móbilis, incoinquinátus, certus, suávis, amans bonum, acútus, quem nihil vetat, benefáciens, humánus, benignus, stábilis, certus, secúrus, omnem habens virtútem, ómnia prospíciens, & qui cápiat omnes spíritus; intelligíbilis, mundus, subtílis.

℟. Quis satiábitur videns glóriam ejus? * Altitúdinis firmamentum pulchritúdo ejus, spécies cœli in visióne glóriæ. ℣. Resplénduit fácies ejus sicut sol. * Altitúdinis. *Eccli.* 42 & 43. *Matth.* 17.

LECTIO II.

OMnibus enim mobílibus mobílior est sapiéntia: adtingit autem ubíque propter suam munditiam. Vapor est enim virtútis Dei, & emanátio quædam est claritátis omnipoténtis Dei sincéra: & ideò nihil inquinátum in eam incurrit. Candor est enim lucis ætérnæ, & spéculum sine máculâ Dei majestátis, & imágo bonitátis illíus.

℟. Dómine Deus meus, magnificátus es vehementer: * Confessiónem & decórem induísti, amíctus lúmine sicut vestimento. ℣. Vestimenta ejus facta sunt splendéntia & cándida nimis. * Confessiónem. *Ps.* 103. *Marc.* 9.

LECTIO III.

ET cùm sit una, ómnia potest: & in se pérmanens ómnia ínnovat, & per natiónes in ánimas sanctas se transfert, amícos Dei & Prophétas constítuit. Néminem enim díligit Deus, nisi eum qui cum sapiéntiâ inhábitat. Est enim hæc speciósior sole, & super omnem dispositiónem stellárum, luci comparáta invenítur prior. Illi enim succédit nox, sapiéntiam autem non vincit malítia.

℟. Opéruit cœlos glória ejus: & laudis ejus plena est terra. * Splendor ejus ut lux erit, ℣. Erat lux vera quæ illúminat omnem hóminem venientem in hunc mundum; * Splendor: *Habac.* 3. *Joan.* 1.

LECTIO IV. *Cap.* 8.

ADtingit ergo à fine usque ad finem fórtiter, & dispónit ómnia suáviter.

Hanc amávi & exquisívi à juventúte meâ, & quæsívi sponsam mihi eam adsúmere, & amátor factus sum formæ illíus. Generositátem illíus gloríficat, contubérnium habens Dei: sed & ómnium Dóminus diléxit illam. Doctrix enim est disciplínæ Dei & electrix óperum illíus. Et si divítiæ appetuntur in vitâ, quid sapiéntiâ locuplétius, quæ operátur ómnia?

℟. Vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti à Patre: * Et † De plenitúdine ejus nos omnes accépimus. ℣. Hic est Deus noster, & non æstimábitur álius advérsus eum: in terris visus est, & cum homínibus conversátus est: * Et. ℣. Glória. † De. *Joan.* 1. *Baruch.* 3.

## *IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Cum discéderent Móyses & Elías ab illo, ait Petrus ad Jesum: Præcéptor, bonum est nos hic esse. *Luc.* 9.

II. Adhuc Petro loquente, ecce nubes lúcida obumbrávit eos. *Matth.* 17.

III. Opéruit nubes montem, & habitávit glória Dómini tegens illum nube. *Exod.* 24.

IV. Petrus & qui cum illo erant timuérunt, intrántibus illis in nubem; & vox facta est de nube. *Luc.* 9.

V. Resplendens gloriósè, mundum illuminábit Dóminus: pulchritúdinem candóris ejus admirábitur óculus. *Eccli.* 43.

VI. Convértere Jacob, ámbula per viam ad splendórem ejus contra lumen ejus. *Baruch.* 4.

℣. In concílio justórum & congregatióne, ℟. Magna ópera Dómini. *Ps.* 110.

LECTIO V.

Sermo sancti Leónis Papæ. *Serm.* 94. *Edit. Paris. Cap.* 2.

Ut Apóstoli nihil de suscipiendæ crucis asperitáte trepidárent; assumpsit Jesus Petrum, & Jacóbum, & fratrem ejus Joannem, & conscenso cum eis seorsùm monte præcelso, claritátem illis suæ glóriæ demonstrávit: quia licèt intellexissent in eo majestátem Dei ipsíus, tamen córporis, quo divínitas tegebátur, poténtiam nesciébant. Et ídeo próprie significanterque, promíserat quosdam de adstántibus discípulis non priùs gustáre mortem quàm vidérent Fílium hóminis veniéntem in regno suo, id est, in régiâ claritáte, quam spiritáliter ad natúram suscepti hóminis pertinentem, his tribus viris vóluit esse conspícuam.

℟. Si ministrátio mortis fuit in glóriâ, ita ut non

possent inténdere filii Israel in fáciem Móysi propter glóriam vultûs ejus: * Quómodo non magìs ministrátio Spíritûs erit in glóriâ? ℣. Cùm descénderet Móyses de monte, clarificátus est adspectus faciéi ejus ex consórtio sermónis Dómini: * Quómodo. *II. Cor.* 3. *Exod.* 34. (*Sec. LXX.*)

LECTIO VI. *Cap.* 3.

APerit ergo Dóminus coram electis téstibus glóriam suam, & commúnem illam cum cæteris córporis formam tanto splendóre claríficat, ut & fácies ejus solis fulgóri símilis & vestítus candóri nívium esset æquális. In quâ transfiguratióne illud quidem principáliter agebátur, ut de córdibus discipulórum crucis scándalum tollerétur, nec conturbáret eórum fidem voluntáriæ humílitas passiónis, quibus reveláta esset abscónditæ excelléntia dignitátis. Sed non minóre providéntiâ spes sanctæ Ecclésiæ fundabátur, ut totum corpus Christi agnósceret quali esset commutatióne donandum, ut ejus sibi honóris consórtium membra promítterent, qui in cápite præfulsisset.

℟. Móyses ponébat velámen super fáciem suam, ut non inténderent filii Israel in fáciem ejus: * Nos verò, reveláta fácie, glóriam Dómini speculantes, in eamdem imáginem transformámur. ℣. Operiébat ille fáciem suam, si quando loquebátur ad eos: * Nos. *II. Cor.* 3. *Exod.* 34.

LECTIO VII. *Cap.* 4.

COnfirmandis verò Apóstolis & ad omnem sciéntiam provehendis, ália quoque in illo miráculo accessit instrúctio. Móyses enim & Elías, Lex scílicet & Prophétæ apparuérunt cum Dómino loquentes. Quid hoc stabilius, quid firmius verbo in cujus prædicatióne véteris & novi Testamenti cóncinit tuba, & cum Evangélicâ doctrínâ antiquárũ protestatiónum instrumenta concurrunt? Adstipulantur enim sibi ínvicem utriusque fœderis páginæ, & quem sub velámine mysteriórum præcedéntia signa promíserant, manifestum atque perspícuum præséntis glóriæ splendor osténdit.

℟. Ecce duo viri loquebantur cum Jesu. Erant autem Móyses & Elías visi in majestáte: * Et dicébant excessum ejus quem completúrus erat in Jerúsalem. ℣. Nunc justítia Dei manifestáta est, testificáta à Lege & Prophétis: * Et. *Luc.* 9. *Rom.* 3.

Lectio VIII. Cap. 5 & 6.

HIs ergo sacramentórum revelatiónibus Petrus Apóstolus incitátus, ibi cum Jesu optábat habitáre. Adhuc ítaque eo loquente, ecce nubes lúcida obumbrávit eos; & ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus diléctus, in quo mihi bene complácui, ipsum audíte. Hic est Fílius meus quem à me non séparat déitas, non dívidit potéstas, non discernit ætérnitas. Hic est Fílius meus: non adoptívus sed próprius: qui eam quam mecum habet æqualitátem, non rapínâ appétiit, nec usurpatióne præsumpsit, sed manens in formâ glóriæ meæ, ut ad reparandum genus humánum exsequerétur commúne consílium, usque ad formam servílem inclinávit incommutábilem deitátem. Ipsum audíte, quem legis mystéria prænuntiavérunt, quem Prophetárum ora cecinérunt. Ipsum audíte, qui sánguine suo mundum rédimit, qui peccáti chirógraphum & prævaricatiónis pacta dirumpit. Ipsum audíte, qui viam áperit ad cœlum, & per crucis supplícium gradus vobis ascensiónis parat ad regnum. Quid trepidátis rédimi; quid pavétis sáucii liberári?

℟. Ecce vox de nube dicens: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui; * Ipsum audíte. ℣. Ecce testem pópulis dedi eum, ducem ac præceptórem Géntibus; * Ipsum. ℣. Glória. * Ipsum. Matth. 17. Isai. 55.

## IN III. NOCTURNO.

I. Canticum. Baruc. 3.

*Divinæ immensitatis & Sapientiæ laus. Odibilis Deo hominum vanitas.*

O Israel, quàm magna est domus Dei, * & ingens locus possessiónis ejus!

Magnus est, & non habet finem; * excelsus & immensus.

Ibi fuérunt gigantes nomináti illi, qui ab inítio fuérunt, * statúrâ magnâ, sciéntes bellum.

Non hos elégit Dóminus, neque viam disciplínæ invenérunt: * proptérea periérunt.

Et quóniam non habuérunt sapiéntiam, * interiérunt propter suam insipiéntiam.

II. Canticum.

QUis ascendit in cœlum & accépit eam, * & edúxit eam de núbibus?

Quis transfretávit mare, & invénit illam? * & áttulit illam super aurum eléctum?

Non est qui possit scire vias ejus; * neque qui exquírat sémitas ejus;

Sed qui scit universa, novit eam, * & adinvénit eam prudéntiâ suâ.

III. Canticum.

STellæ dedérunt lumen in custódiis suis, * & lætátæ sunt:

Vocátæ sunt & dixérunt: Adsumus; * & luxérunt ei cum jucunditáte, qui fecit illas.

Hic est Deus noster, * & non æstimábitur álius advérsùs eum.

Hic adinvénit omnem viam disciplínæ, & trádidit illam Jacob púero suo, * & Israel dilecto suo.

Post hæc in terris visus est, * & cum homínibus conversátus est.

*Ant.* Cánticum erit & lætítia cordis, & audítam fáciet Dóminus glóriam vocis suæ. *Isai.* 30.

℣. Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt; ℟. Et in nómine tuo exultábunt totâ die. *Ps.* 88.

Lectio IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Petri Apóstoli. *Cap.* 1.

BEnedictus Deus, & Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secundùm misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis, in hæreditátem incorruptíbilem, & incontaminátam, & immarcescíbilem, consérvátam in cœlis in vobis, qui in virtúte Dei custodímini per fidem in salútem, parátam revelári in témpore novíssimo. In quo exsultábitis, módicum nunc si oportet contristári in váriis tentatiónibus: ut probátio vestræ fidei multò pretiósior auro, quod per ignem probátur, inveniátur in laudem, & glóriam, & honórem, in revelatióne Jesu Christi, quem cùm non vidéritis, dilígitis: in quem nunc quoque non vidéntes créditis: credentes autem exsultábitis lætítiâ inenarrábili & glorificátâ: reportantes finem fidei vestræ, salútem animárum.

℟. Communicantes Christi passiónibus gaudéte, * Ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultantes. ℣. Deus omnis grátiæ qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam in Christo Jesu, módicum passos ipse perficiet: * Ut. *I. Petr.* 4 & 5.

Lectio X.

DE quâ salúte exquisiérunt atque scrutáti sunt Prophétæ, qui de futúrâ in vobis grátiâ prophetavérunt: scrutantes in quod vel quale tempus significáret in eis Spíritus Christi: præmúntians eas quæ in Christo sunt passiónes, & posterióres glórias: quibus revelátum est

quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrábant ea, quæ nunc nuntiáta ſunt vobis per eos, qui evangelizavérunt vobis, Spíritu ſancto miſſo de cœlo, in quem desíderant Angeli proſpícere. Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, sóbrii perfectè ſperáte in eam, quæ offertur vobis, grátiam in revelatiónem Jeſu Chriſti. Quaſi filii obediéntiæ, non configuráti prióribus ignorántiæ veſtræ deſidériis; ſed ſecundùm eum, qui vocávit vos ſanctum: & ipſi in omni converſatióne ſancti ſitis: quóniam ſcriptum eſt: Sancti éritis, quóniam ego ſanctus ſum.

℟. Renovámini ſpíritu mentis veſtræ, * Et indúite novum hóminem, qui ſecundùm Deum creátus eſt in juſtítiâ & ſanctitáte veritátis. ℣. Nolíte conformári huic século, ſed reformámini in novitáte ſenſûs veſtri. * Et. *Epheſ.* 4. *Rom.* 12.

LECTIO XI.

Ex Epíſtolâ ſecundâ ejuſdem beáti Petri Apóſtoli.

*Cap.* 1.

NOn doctas fábulas ſecúti, notam fécimus vobis Dómini noſtri Jeſu Chriſti virtútem & præséntiam, ſed ſpeculatóres facti illíus magnitúdinis. Accípiens enim à Deo Patre honórem & glóriam, voce delapsâ ad eum hujuſcémodi à magnífica glóriâ: Hic eſt Fílius meus dilectus, in quo mihi complácui, ipſum audíte. Et hanc vocem nos audívimus de cœlo allátam, cùm eſsémus cum ipſo in monte ſancto.

℟. Deus, qui dixit de ténebris lucem ſplendéſcere, * Ipſe illuxit in córdibus noſtris ad illuminatiónem ſciéntiæ claritátis Dei, in fácie Chriſti Jeſu. ℣. Ecce oſtendit nobis Dóminus Deus noſter majeſtátem & magnitúdinem ſuam. * Ipſe. *II. Cor.* 4. *Deut.* 5.

LECTIO XII.

ET habémus firmiórem prophéticum ſermóne͂: cui benefácitis adtendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginóſo loco, donec dies eluceſcat, & lúcifer oriátur in córdibus veſtris: hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetía Scriptúræ própriâ interpretatióne non fit. Non enim voluntáte humánâ alláta eſt aliquando prophetía: ſed Spíritu ſancto inſpiráti, locúti ſunt ſancti Dei hómines.

℟. Nunc filii Dei ſumus, & nondum appáruit quid érimus; ſcimus quóniam cùm apparúerit, ſimiles ei érimus; * Quóniam vidébimus eum ſicuti eſt. ℣. Vidémus nunc per ſpéculum in ænígmate; tunc autem

fácie ad fáciem ; * Quóniam. ℣. Glória. * Quóniam. *I. Joan.* 3. *I. Cor.* 13.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Cap.* 17.

ASsúmit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsùm : & transfigurátus est ante eos. Et resplénduit fácies ejus sicut sol : vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuérunt illis Móyses & Elías cum eo loquentes. Respondens autem Petrus dixit ad Jesum : Dómine, bonum est nos hìc esse : si vis, faciámus hìc tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum, & Elíæ unum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lúcida obumbrávit eos. Et ecce vox de nube, dicens : Hic est Fílius meus dilectus, in quo mihi bene compllácui : ipsum audíte. Et audientes discípuli cecidérunt in fáciem suam, & timuérunt valde. Et accessit Jesus & tétigit eos : dixitque eis : Súrgite, & nolíte timére. Levantes autem óculos suos, néminem vidérunt, nisi solum Jesum. Et descendéntibus illis de monte, præcépit eis Jesus, dicens : Némini dixéritis visiónem, donec Fílius hóminis à mórtuis resurgat.

AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. FIlii Sion exsultáte, & lætámini in Dómino Deo vestro, quia dedit vobis Doctórem justítiæ. *Joel.* 2.

II. Vocem nos audívimus de cœlo allátam, cùm essémus cum ipso in monte sancto. *II. Petr.* 1.

III. Venit vox de nube dicens : Hic est fílius meus caríssimus, audíte illum. *Marc.* 9.

IV. Ipsum audiétis, juxta ómnia quæcumque locútus fúerit. *Act.* 3.

V. Omnis ánima quæ non audíerit Prophétam illum, exterminábitur de plebe. *Act.* 3.

LECTIO. *Hebr.* 12.

VIdéte ne recusétis loquentem : si enim illi non effugérunt, recusantes eum qui super terram loquebátur : multò magìs nos, qui de cœlis loquentem nobis avértimus.

℟. *br.* Filii hóminum, * Usquequo gravi corde ? ℟. Filii. ℣. Scitóte quóniam mirificávit Dóminus Sanctum suum. * Usquequo. ℣. Glória. ℟. Filii. *Ps.* 4.

HYMNUS. *S. V.*

QUàm nos potenter állicis !
Te, Christe, quando détegis,
Te quando celas, prǽvidus

Nobis peræquè cónsulis.
Hic nos adoptat filios
Qui te vocávit Filium :
Sponsor futúræ glóriæ
Dat certa nobis pígnora.
E nube quid Pater probat?
De morte quid, Fili, doces?
Umbris procul cedéntibus,
Restábat una Véritas.
Ut jussa Patris ímpleas,
Mactanda mundo víctima,
Formam resúmens prístinam
Mortalitáti rédderis.
Fac, Christe, qui nobis lates,
Obscúra dum regit fides,
Fracto solútos córpore,
Nos te vidére, te frui.
Qui, nube ruptâ, te palàm
Natum vocávit, laus Patri;
Tibíque Nato; nec minor
Laus, utriúsque Flámini.
Amen.

℣. Glóriâ & honóre coronasti eum, Dómine: ℟. Et constituisti eum super ópera mánuum tuárum. *Ps.* 8.

*Ad* Benedíctus. *Ant.* Amplióris glóriæ Jesus præ Móyse dignus est hábitus, quantò ampliórem honórem habet domûs, qui fabricávit illam. *Hebr.* 3.

Collecta. *Brev. Rom.*

DEus, qui fídei sacraménta, in Unigéniti tui gloriósâ Transfiguratióne, Patrum testimónio roborasti, & adoptiónem filiórum perféctam, voce delapsâ in nube lúcidâ mirabíliter præsignasti; † concéde propítius * ut ipsius Regis glóriæ nos cohærédes effícias, & ejúsdem glóriæ tríbuas esse consortes; Per eumdem.

*Fit Commemoratio* S. Xisti, Papæ & Mart.

*Collecta*, Deus, cujus grátia. *de Communi unius Martyris, pag.* xvj.

AD PRIMAM.

Canon.

Ex Concílio Nicæno secundo. *An.* 782. *Act.* 6.

DEscensiónem in novíssimis séculi tempóribus è cœlo futúram, & quæ vel qualis erit, discípulis prænúntians, transfigurátus quidem est Christus: & transfiguratiónis quoque hábitus est factus, ut egrégius ait Evangelista, non secundùm speciéi depositiónem, id est humáni hábitûs abjectiónem; sed pótiùs secundùm solam glóriam: resplénduit namque fácies ejus, ait. Itaque in similitúdinem solis fulgóris dedit splendórem.

AD TERTIAM.

Lectio. *Isai.* 30.

NOn fáciet Dóminus avoláre à te ultrà Doctórem tuum: & erunt óculi tui videntes præceptórem tuum: † & aures tuæ áudient verbum post tergum monentis. * Hæc est via, ambuláte in eâ; &

non declináte neque ad dextram, neque ad sinistram.

℣. Accédite ad eum, & illuminámini; ℟. Et fácies vestræ non confundentur. *Ps.* 33.

AD SEXTAM.

Lectio. *Isai.* 42.

ECce servus meus, suscípiam eum: eléctus meus, complácuit sibi in illo ánima mea: † dedi spíritum meum super eum, * judícium Géntibus próferet.

℣. Constitútus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, ℟. Prædicans præceptum ejus. *Ps.* 2.

AD NONAM.

Lectio. *Hebr.* 2.

PRoptérea abundántiùs oportet observáre nos ea quæ audívimus, ne fortè pereffluámus. † Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricátio, & inobediéntia accépit justam mercédis retributiónem: * quómodo nos effugiémus, si tantam neglexérimus salútem?

℣. Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus; ℟. Quóniam loquétur pacem in plebem suam. *Ps.* 84.

AD II. VESPERAS.

*Psalmi de Dominicâ.*

*Antiphonæ.*

I. VOcávit nos Deus vocatióne suâ sanctâ, secundùm grátiam quæ manifestáta est nunc per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi. *II. Tim.* 1.

II. In ipso edócti estis depónere vos véterem hóminem, qui corrúmpitur secundùm desidéria erróris. *Ephes.* 4.

III. Quos præscívit Deus, & prædestinávit conformes fieri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. *Rom.* 8.

IV. Nondum appáruit quid érimus: scimus quóniam cùm apparúerit, símiles ei érimus: quóniam vidébimus eum sícuti est. *I. Joan.* 3.

Lectio. *I. Cor.* 15.

PRimus homo de terrâ, terrénus; secundus homo de cœlo, cœlestis. † Qualis terrénus, tales & terréni; & qualis cœlestis, tales & cœlestes. * Igitur sicut portávimus imáginem terréni, portémus & imáginem cœlestis.

℟. *br.* Signátum est super nos * Lumen vultûs tui, Dómine. ℟. Signátum. ℣. Dedisti lætítiam in corde meo; * Lumen. ℣. Glória. ℟. Signátum. *Ps.* 4.

*Hymnus*, Hoc jussa. *ut ad I. Vesperas*, *pag.* 534.

℣. Satiábor, Dómine, ℟. Cùm apparúerit glória tua. *Ps.* 16.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Nostra conversátio in cœlis

est, unde Salvatórem exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ. *Philip. 3.*

---

*Die X.*

S. LAURENTII,

Diaconi & Martyris.

*Festivitas III. Classis.*

*Omnia de Communi unius Martyris, exceptis quæ hìc habentur propria.*

AD I. VESPERAS.

Hymnus. *S. V.*

Beáte quò tendis Pater?
Quo sancte pergis Póntifex?
Offerre temet víctimam
Me non ministro quid paras?
Levíta, qui jussu tuo
Christi propínat sánguinem,
Litáre promptus & suum
Ibit comes Lauréntius.
Audíris; è cœlo Deus
Majóra spondet prælia.
Brevi ducem nec dégener
Patrem sequéris filius.
Obláta Christo múnera,
Opes sibi tot créditas,
Quas Rex avárus éxigit,
Custos fidélis dénegat.
Addit preces, addit minas;
Minæ, precesque nil movent;
Non hos, profánas in manus
Veníre thesauros sinet.
Monstrans egentûm squállidos
Quos ipse pascébat greges:
Hæc turba, dixit, quas sitis
Opes Olympo tránstulit.
Sit laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus, Spíritus;
Cujus sub armis mílitant
Mundumque vincunt Mártyres. Amen.

*Collecta infrà ad Laudes*, *pag.* 547.

Ad Officium Noct.
*Hymnus*, Beáte.

*IN II. NOCTURNO.*

Lectio V.

Sermo sancti Leónis Papæ.
*Serm.* 83. *de S. Laurentio. Edit. Paris.*

Cum furor Gentílium potestátum in electíssima quæque Christi membra sævíret, ac præcípuè eos qui Ordinis erant sacerdotális impéteret: in levítam Lauréntium, qui non solùm in ministério sacramentórũ, sed étiam dispensatióne Ecclesiásticæ substántiæ præeminébat, ímpius persecútor efférbuit, dúplicem sibi prædam de unius viri comprehensióne promittens, quem si fecisset sacræ pecúniæ traditórem, fáceret étiam veræ Religiónis exsortem.

*Responsoria ut in II. Nocturno de Communi unius Martyris*, *pag.* xj.

Lectio VI.

Armátur ítaque géminâ face homo pecúniæ cúpidus, & veritátis inimícus; avarítiâ ut rápiat aurum: impietáte ut áuferat Christum. Póstulat sibi ab immaculáto sacrárii præsule opes Ecclesiásticas, quibus avidíssimus inhiábat, inferri. Cui Levíta castíssimus, ubi eas repósitas habéret, ostendens, numerosíssimos sanctórum páuperum óbtulit greges, in quorum victu ac vestítu inamissíbiles condíderat facultátes, quæ tantò intégriùs erant salvæ, quantò sánctiùs probabantur expensæ.

Lectio VII.

Fremit ergo prædo frustrátus, & in ódium religiónis quæ talem divitiárum usum instituisset ardescens, direptiónem thesáuri potióris aggréditur, apud quem nullam denariórum substántiam reperisset; ut illud depósitum, quò sacrátiùs erat dives, auferret. Renuntiáre Christo Lauréntium jubet, & solidíssimam illam levítici ánimi fortitúdinem diris parat urgére supplíciis: quorum ubi prima nihil óbtinent, vehementióra succédunt. Láceros artus & multâ vérberum sectióne conscissos, subjecto præcipit igne torréri; ut per cratem férream, quæ jam de fervóre contínuo vim in se habéret urendi, conversórum alternâ mutatióne membrórum, fieret cruciátus veheméntior & pœna prodúctior.

Lectio VIII.

Nihil óbtines, nihil próficis, sæva crudélitas. Subtráhitur inventis tuis matéria mortális, & Lauréntio in cœlos abeunte, tu déficis. Flammis tuis superári caritátis Christi flamma non pótuit: & ségnior fuit ignis, qui foris ussit, quàm qui intus accendit. Sævisti persecútor in Mártyrem: sævisti & auxisti palmam, dum ággeras pœnam. Nam quid non ad victóriæ glóriam, ingénium tuum réperit, quando in honórem transiérunt triumphi, étiam instrumenta supplícii?

Evangelium.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.
*Cap. 12.*

Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet: si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam, & qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam

æternam custódit eam. Si quis mihi ministrat, me sequátur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

AD LAUDES.

HYMNUS. S. V.

FRustra parantur cómpedes,
Armáta plumbo vérbera,
Et rubra crates ígnibus,
Ardens cubíle sternitur.
Christi pugil, lætus mori,
Pœnísque magnis débitus,
Hanc irretorto lúmine,
Pompam dolórum réspicit.
Nudos in artus sæviunt;
Scissæ flagris carnes volant;
Tortóris ad fastídium
Truncus jacens, relínquitur.
Sed ille fracto córpore
Serváre pectus íntegrum;
Suo cruóre tíngitur
Lustranda flammis víctima.
Sit laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus Spíritus,
Quo flante, sancti Mártyres
Flammis sacris inæstuant. Amen.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DA nobis, quæsumus, omnípotens Deus, † vitiórum nostrórum flammas exstínguere: * qui beátó Lauréntio tribuisti tormentórum suórum incéndia superáre; Per Dóminum.

AD II. VESPERAS.

HYMNUS. S. V.

NOndum satis dignum Deo
Christi probasti mílitem:
Tyranne, cruda sint tui
Furóris hæc prælúdia.
Impósta membra crátibus
Ardente pruná férvidis
Despectat exsultans, suo
Et ipse plaudit fúneri
Altis medullis íntimus
Tostos per artus it dolor,
Menti Deus sed íntimæ
Præsens dolórem témperat.
Dum corpus in flammas abit,
Mens intus ardet fórtior,
Sacris profános cómprimens
Ignes retundit ígnibus.
Corpus perustum Mártyris
Horret vel ipse cárnifex,
Sed thuris instar, dum perit,
Deo litátur grátiùs.
Flammis in ipsis, ceu rosis,
Visus sibi quiéscere:
Versa tyranne, páscere,
Assáta, dixit, víscera.
Quid inter ardentes rogos
Sensum dolóris ábstulit?
Te nempe potus ébrium
Sanguis Dei jam fécerat.
O pura, quæ Deo places,
Igni probáta víctima,
Fac nos sacris urat Deus,
Quibus flagrábas, ígnibus.
Sit summa laus tibi, Deus,

Robur decusque Mártyrum,
Quos dum corónas, tu tua
Æquus corónas múnera.
Amen.

---

*Die XII.*

SS. MARTYRUM AFRICANORUM, PRO CONSUBSTANTIALITATE VERBI.

*Omnia de Communi plurium Martyrum, exceptis quæ sequuntur.*

LECTIO III.

*Ex Martyrolog. Rom. Victore Vitensi, & aliis autoribus apud Ruinart. Bolland. &c.*

Sub Gensérico, Hunnérico Thrasimundo, & áliis Vandalórum régibus ariánis, tantus fuit in Africâ, Mártyrum aut Confessórum númerus, qui in igne, ferro, exsílio, aut in dirâ servitúte vitam finiérunt pro Consubstantialitáte Verbi, ut nulla unquam exstíterit persecútio aut témpore lóngior, aut atrocitáte immánior. Interim Ecclésiam suam Deus multis prodígiis suis solátus est. Illud ímprimis memorandum quod narrat Victor Vitensis Epíscopus & Dómini Jesu Conféssor. Cùm multis è Typasensi civitáte qui Verbi divíni consubstantialitátem constanter adscrébant, jussisset Hunnéricus ut lingua & manus dextra radícitùs abscenderentur, ita locúti sunt & loquuntur, inquit Præsul testis oculátus, quómodo ántea loquebantur. Sed si quis incrédulus esse volúerit, urget idem autor, pergat nunc Constantinópolim, & ibi repériet unum de illis subdiáconum Reparátum sermónes polítos sine ullâ offensióne loquentem, ob quam causam, venerábilis nímium in palátio Zenónis Imperatóris habétur, & præcípuè Regína mirâ eum reveréntiâ venerátur. Multi ígitur eórum per Romanórum províncias dispersi, nonnulli Constantinópoli morantes, Dei poténtiam prædicábant distinctè, & articuláta verba proferentes. Ingens illud totóque orbe vulgátum miráculum Imperátor Justiniánus imperatóriâ constitutióne testátus est. Idem conspexére illustres viri & scriptóres Procópius & Comes Marcellínus. Sed & audiendus est Ænéas Gazæus Platónicus Philósophus, qui rem à seipso diligentíssimè explorátam fuisse dicit. Ipse ego, inquit, eos viros vidi, & loquentes audívi, & vocem ádeo articulátam esse posse mirátus sum. Instrumentum vocis inquirébam, & áuribus non credens, óculis judicandi munus remísi, atque

ore aperto linguam totam radícitus evulsam vidi, ac stupefactus mirábar, non sanè quo pacto vocem conformárent, sed quómodo conserváti essent. Horum Mártyrum memóriam diversis diébus Ecclésia célebrat.

℟. Quis Deus magnus sicut Deus noster? * Tu es Deus qui facis mirabília: notam fecisti in pópulis virtútem tuam. ℣. Justi decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum; & victrícem manum tuam laudavérunt páriter, quóniam sapiéntia apéruit os mutórum. * Tu es. ℣. Glória. * Tu es. *Ps.* 76. *Sap.* 10.

Collecta. *Brev. Rotom.*

Concéde, quæsumus, miséricors Deus, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis qui fuso sánguine divinitáti Verbi testimónium perhibuérunt, † ut quem sincérâ fide Deum tibi consubstantiálem prædicámus, * íntegris móribus profiteámur eumdem Dóminum nostrum.

---

*Die XIV.*

IN VIGILIA ASSUMPTIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Collecta. *Brev. Paris.*

Deus, qui virginálem aulam beátæ Maríæ in quâ habitáres, elígere dignátus es: † da, quæsumus, nobis Assumptiónis ejus solémnia præveniéntibus, * dignum in córdibus nostris habitáculum tuæ præparáre majestáti: Qui vivis.

---

*Die XV.*

# IN ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

*Festivitas I. Classis.*

---

## AD I. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, columba mea, & veni. *Cant.* 2.

II. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergressa es universas. *Prov.* 31.

III. Circúmdabit te Deus diplóide justítiæ, & impónet mitram cápiti honóris ætérni. *Baruch:* 5.

IV. Eris coróna glóriæ in manu Dómini, & diadéma regni in manu Dei tui, quia complácuit Dómino in te. *Isai.* 62.

Lectio. *Apoc.* 11.

Apertum est templum Dei in cœlo, † & visa est Arca testamenti ejus * in templo ejus.

rúsalem, ut sísterent eum Dómino. *Luc.* 2.

II. Dixit Simon ad Maríam: Tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut revelentur ex multis córdibus cogitatiónes. *Luc.* 2.

III. María conservábat ómnia verba hæc cónferens in corde suo. *Luc.* 2.

IV. Stabant juxtà crucem Jesu mater ejus, & soror matris ejus, María Cleóphæ, & María Magdaléne. *Joan.* 19.

V. Cùm vidisset Jesus matrem, & discípulum stantem quem diligébat, dicit matri suæ; Múlier, ecce filius tuus. *Joan.* 19.

VI. Deinde dicit discípulo: Ecce mater tua. Et ex illâ horâ accépit eam discípulus in suâ. *Joan.* 19.

℣. Secundùm multitúdinem dolórum meórum in corde meo; ℟. Consolatiónes tuæ, Dómine, lætificavérunt ánimam meam. *Ps.* 93.

LECTIO V.

Homíliâ sancti Cyrilli Alexandríni Epíscopi, Ephesi in Nestórium hábita. *Apud Concil. Ephes. Ed. Labb. An.* 431.

SAnctórum cœtum, qui à sanctâ & Deíparà semperque Vírgine Maríâ invitáti prompto ánimo huc confluxérunt, lætum erectumque conspício. Quare licèt multâ prémerer mœstítiâ, áttamen hic sanctórum Patrum conspectus lætítiam mihi præbuit. Nunc dulce illud hymnógraphi David verbum apud nos implétum est; Ecce jam quid bonum aut quid jucundum, nisi habitáre fratres in unum? Salve ítaque à nobis, sancta mystica Trínitas, quæ nos omnes in hanc Maríæ Deíparæ Ecclésiam convocasti. Salve à nobis, Deípara María, venerandus totíus orbis thesaurus, lampas inexstinguíbilis, coróna virginitátis, sceptrum rectæ doctrínæ, templum indissolúbile, Mater & Virgo; per quam is benedictus in sanctis Evangéliis nominátur, qui venit in nómine Dómini.

℟. Concupiscet Rex decórem tuum; quóniam * Ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum; vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis. ℣. Benedicta tu in muliéribus; invenisti enim grátiam apud Deum. * Ipse. *Ps.* 44. *Luc.* 1.

LECTIO VI.

SAlve à nobis, Deípara María, quæ Immensum Incomprehensumque in sancto virgíneo útero comprehendisti; per quam sancta Trínitas glorificátur & adorátur; per quam pretiósa Crux celebrátur & in universo orbe adorátur; per quam

quam cœlum exsultat, per quam Angeli & Archángeli lætantur; per quam dæmones fugantur; per quam tentátor diábolus cœlo décidit; per quam prolapsa creatúra, in cœlum assúmitur; per quam universa creatúra, idolórum vesániâ detenta, ad veritátis agnitiónem pervénit: per quam sanctum baptísma obtingit credéntibus; per quam toto terrárum orbe fundátæ sunt Ecclésiæ; per quam Gentes adducuntur ad pœniténtiam.

℟. Ait Dóminus Deus ad serpentem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & semen tuum & semen illíus: * Ipsa cónteret caput tuum. ℣. Misit Deus Fílium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redímeret. * Ipsa. *Genes.* 3. *Galat.* 4.

LECTIO VII.

Ex Homíliâ sancti Procli Epíscopi in Incarnatiónem Dómini nostri Jesu Christi. *Concil. Ephes. Edit. Labb. An.* 431. *n.* 1.

EXsultet natúra: honorantur féminæ; glorificantur vírgines. Ubi enim abundávit delictum, superabundávit & grátia. Sacra Deípara María in unum nos coégit. Hæc illibátæ virginitátis purus ille thesaurus, decusque & ornamentum: hæc spiritális secundi Adámi paradísus: hæc thálamus, in quo Verbum humánam carnem sibi desponsávit: hæc ancilla est & mater, virgo & cœlum: hæc sola pons est, per quem Deus ad hómines descendit. Quis vidit, quis audívit tália? Incircumscriptus Deus úterum inhábitat; quem cœli non cápiunt, venter non coangustávit Vírginis.

℟. Draco stetit ante mulíerem, ut fílium ejus devoráret; & péperit fílium másculum qui rectúrus erat omnes gentes; * Et raptus est fílius ejus ad Deum, & ad thronum ejus. ℣. De Maríâ natus est Jesus, qui vocátur Christus, * Et. *Apoc.* 12. *Matth.* 1.

LECTIO VIII. *n.* 2 & 3.

QUòd si ea quæ génuit, virgo non permansit; neque is qui natus est, áliud quàm purus homo éxstitit: atque ita partus ille nihil admiratióne dignum habébit. Quòd si illa étiam post partum virginitátem illæsam rétinuit, is citra omnem controvérsiam arcáno modo ex eâ ortus est. Ne ígitur, ô homo, partum hunc erubescendum cénseas. Hic enim solus salútis antídotum nobis ádtulit. Nam si ex muliere natus non esset, mortem útique non oppe-

tivisset. Quòd si mórtuus non esset, neque illum quoque per mortem destruxisset qui mortis habébat impérium, hoc est, diábolum.

℟. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperantes in se; * Et in me ancillâ suâ adimplévit misericórdiã suã, quam promísit dómui Isrаël. ℣. Respexit humilitátem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est: * Et. ℣. Glória. * Et. *Judith.* 13. *Luc.* 1.

## *IN III. NOCTURNO.*

*Cant. Ant.* ℣. *Lectiones & ℟℟. suprà in festo Visitationis, pag.* 494.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Cap.* 1.

REpléta est Spíritu sancto Elísabeth. Et exclamávit voce magnâ, & dixit ad Maríam: Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut véniat Mater Dómini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta quæ credidísti, quóniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. Et ait María: Magníficat ánima mea Dóminum, & exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Quia respexit humilitátem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

## AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. QUæ est ista quæ ascendit de deserto, delíciis áffluens, innixa super diléctum suum? *Cant.* 8.

II. Ascendit sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ & thuris, & universi púlveris pigmentárii. *Cant.* 3.

III. Dóminus cóntulit ei splendórem, ut incomparábili decóre ómnium óculis apparéret. *Judith.* 10.

IV. Vidérunt eam fíliæ, & beatíssimam prædicavérunt, & laudavérunt eam. *Cant.* 6.

V. Benedíctus Dóminus, qui exaltávit eam: & sit regnum ejus in sécula seculórum super eam. *Tob.* 13.

LECTIO. *Cant.* 6.

QUæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consurgens, † pulchra ut luna, electa ut sol, * terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

℟. *br.* Exsultábo & lætábor * In misericórdiâ tuâ. ℟. Exsultábo. ℣. Quóniam respexisti humilitátem meam. * In. ℣. Glória. * Exsultábo. *Ps.* 30.

Hymnus. *Brev. Noviom.*

NAto triumphans rédderis;
Lætáre, Mater; & tuo
Qui corde fixit vúlnera,
Nunc pulsus absistat dolor.
Fixum cruci quem víderas,
Regnare cœlo jam vides:
Magnos amor luctus dedit;
Majóra nunc dat gáudia.
Et ille quàm festus dies,
Quo longa post suspíria,
Mater vocanti Fílio,
Regína Regi júngeris!
Ad astra mille te vehunt
Pennis ministri Spíritus:
Ambit suo te Númine
Qui te vocat Matrem Deus.
Quid hoc triumpho clárius,
Cujus Deus pars máxima?
Plaudunt, ovante Vírgine,
Læti, stupentque cœlites.
Tu duc olympi prævia,
Solámen esto flétibus:
Nos éxules, si nos amas,
Reddas paternis sédibus.
Sit Trinitáti glória,
Quæ, te creando, júgiter
Donis replévit grátiæ,
In nos ut indè défluant.
Amen.

℣. Glorificábo nomen tuum in æternum, ℟. Quia misericórdia tua magna est super me. *Ps.* 85.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Gaudens gaudébo in Dómino, quia índuit me vestimentis salútis, quasi sponsam ornátam monílibus suis. *Is.* 61.

Collecta. *Brev. Clun.*

DEus, qui beátam Vírginem Maríam, ejus humilitátem respíciens, ad hanc grátiam evexísti, ut Unigénitus tuus ex ipsâ secundùm carnem nascerétur, & hodiernâ die, superexcellenti glóriâ coronasti: † concéde propítius, * ut ejus précibus & imitatióne, nosmetipsos in ómnibus humiliantes, exaltári mereámur; Per eumdem Dóminum.

## AD PRIMAM.

### Canon.

Ex Concílio Constantinopolitáno secundo.
*An.* 553. *Can.* 6.

SI quis abusívè, & non verè, Dei genitrícem dicit sanctam glorióam semper Vírginem Maríam: vel secundùm relatiónem, quasi hómine puro nato: sed non Deo Verbo incarnáto & nato ex ipsâ; vel qui hóminis genitrícem vocat, aut Christótocon, idest, Christi genitrícem, tamquàm si Christus Deus non esset; & non próprié & verè Dei genitrícem ipsam confitétur, eo quòd ipse qui ante sécula ex Patre natus est, Deus Verbum, in últimis diébus ex ipsâ incarnátus & natus est, & sic piè & sanctam Calchedonensem Synodum Dei genitrícem eam esse confessam; talis anáthema sit.

AD TERTIAM.

Lectio. *Coloss.* 1.

NOn cessámus pro vobis orantes, & postulantes ut impleámini agnitióne voluntátis Christi Jesu, in omni sapiéntiâ & intellectu spiritáli: † ut ambulétis dignè Deo per ómnia placentes,* & crescentes in sciéntiâ Dei.

℣. Quid mihi est in cœlo, & à te quid vólui super terram? ℟. Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. *Ps.* 72.

AD SEXTAM.

Lectio. *Coloss.* 2.

SIcut accepistis Jesum Christum Dóminum, in ipso ambuláte; † radicáti & superædificáti in ipso, & confirmáti fide; * sicut & didicistis abundantes in illo in gratiárum actióne.

℣. Quis sicut Dóminus Deus noster qui in altis hábitat, ℟. Et humília réspicit in cœlo & in terrâ. *Ps.* 112.

AD NONAM.

Lectio. *Ephes.* 3.

DEt vobis Deus Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in caritáte radicáti & fundáti,† ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis quæ sit latitúdo, & longitúdo, & sublímitas, & profundum; * scire étiam supereminentem sciéntiæ caritátem; ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

℣. Adimplébis me lætítiâ, Dómine, cum vultu tuo: ℟. Delectatiónes in déxterâ tuâ usque in finem. *Ps.* 15.

AD II. VESPERAS.

*Psalmi et Ant.*

I. *Ps.* 109. Dixit Dóminus, *pag.* 28.

*Ant.* Ave, grátiâ plena; Dóminus tecum; benedicta tu in muliéribus. *Luc.* 1.

II. *Ps.* 112. Laudáte púeri Dóminum, *pag.* 30.

*Ant.* Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

III. *Ps.* 121. Lætátus sum, *pag.* 75.

*Ant.* Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob. *Judith.* 13.

IV. *Ps.* 147. Lauda Jerúsalem Dóminum, *pag.* 120.

*Ant.* In omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te, Deus Israel. *Judith.* 13.

Lectio. *Judith*, 13.

BEnedictus Dóminus, qui creávit cœlum & terram; † quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, * qui mémores fúerint virtútis Dómini in æternum.

℟. *br.* Ipse est Dóminus Deus tuus, * Et adorábunt eum. ℟. Ipse. ℣. Vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis; * Et. ℣. Glória. ℟. Ipse. *Ps.* 44.

*Hymnus*, O vos ætherei, *ut ad I. Vesp. pag.* 550.

℣. Tu, Dómine, suscéptor meus es, ℟. Glória mea, & exaltans caput meum. *Ps.* 3.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Respexit Deus humilitátem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes; quia fecit mihi magna qui potens est. *Luc.* 1.

Diebus intra Octavam.

*De eâ fit Commemoratio ad Laudes & Vesperas, præterquàm in Festis I. & II. Classis.*

---

*Die XX.*

S. BERNARDI, Abbatis Claraval. et Ecclesiæ Doctoris.

*Omnia de Communi Abbatum, exceptis quæ sequuntur.*

Lectio III.

*Ex vitâ sancti Bernardi autore Guillelmo Abbate, & ex ipsius Sancti Operibus.*

Bernardus Fontánis in Burgúndiâ nobílibus & piis paréntibus natus, anno ætátis vigésimo secundo Cisterciense Monastérium, cui Stéphanus Hardingus, tértius à sancto Roberto, præerat, ingressus est; ejusque exemplo triginta sócii, inter quos ex própriis frátribus & cognátis plures, idem vitæ genus amplexi sunt. Ut autem se ad arctiórem observántiam excitáret, hoc sæpiùs in ore habébat: Bernarde, ad quid venisti? Eos in pietáte fecit progressus, ut à Stéphano ad construendum Claravallense monastériũ, júvenis licèt, mitterétur: cujus loci póstea designátus est Abbas. Ibi pro victu pulmenta sæpiùs ex fagi fóliis confecta, panis ex hórdeo, míllio & viciâ. Ibi labor asíduus; húmiles casæ, solitúdo ingens in magnâ fratrum multitúdine, silentiíque tanta observántia, ut præter laborántium strépitus & voces laudántium Deum, nihil pénitus audirétur. Pro adserendâ Ecclésiæ Cathólicæ doctrínâ, unitáte ac pace, labóres propè infinítos sustínuit: variísque vocátus intérfuit Concíliis. Pontificátum adséruit Innocéntio secundo, quem Petrus Leónis, usurpáto Anacléti secundi nómine, Româ expúlerat. Ducem Aquitániæ Guillelmum jámdiu reluctantem, expósitâ ob óculos ejus tremendâ hóstiâ, jam non supplex, sed minax, ígneâ

fácie & flámmeis óculis, his terribílibus verbis compellat: Rogávimus te, & sprevísti nos. Ecce ad te procéssit Fílius Vírginis, qui est caput & Dóminus Ecclésiæ, quam tu perséqueris: numquid & illum spernes? Quibus ille verbis ita fractus est, ut abjécto schísmate ad saniórem mentem súbitò redíerit. Cùm dénique annum vitæ sexagésimum tértium ágeret, miraculórum magnitúdine & número claríssimus, Cláravalle obdormívit in Christo, anno millésimo centésimo quinquagésimo tértio; sepultúsque est ante altáre beátæ Vírginis, quam religióne singulári colúerat.

℟. Qui dixit patri suo, & matri suæ: Néscio vos; & frátribus suis: Ignóro vos; & nesciérunt fílios suos: Qui hæc dicunt, signíficant se pátriam inquírere, * Confiténtes quia † Peregríni & hóspites sunt super terram. ℣. Hi custodiérunt elóquium tuum, Dómine, & pactum tuum servavérunt. * Confiténtes. ℣. Glória. † Peregríni. *Deut.* 33. *Hebr.* 11.

Collecta. *Brev. Paris.*

DEus, qui beátum Bernardum Abbátem, caritátis fervóre succénsum, in Ecclésiâ tuâ lucére simul & ardére fecísti: † ejus intercessióne concéde, quǽsumus, eódem nos caritátis Spíritu ferventes, * coram te semper ut fílios lucis ambuláre; Per Dóminum.

---

## Die XXII. In Octava Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis.

### Ad Officium Noct.

*Ant. in Ps.* Veníte, & *Hymnus, ut in Festo, pag.* 550.

*Antiphona &* ℣. *ut in Psalterio.*

Lectio III.

Ex Epístolâ sancti Cyrilli Alexandríni Epíscopi ad Nestórium. *Apud Concil. Ephes. Edit. Labb.*

QUòd Verbum caro factum perhibétur, id áliud nihil est, quàm quòd perinde ac nos carni & sánguini communicávit. Suum ergo fecit nostrum corpus, prodiítque homo ex muliére, deitáte ínterim, aut ex Patre nativitáte non abjectâ; mansit enim in ipsâ quoque carnis assumptióne quod erat. Hoc exactæ fidei doctrína ubíque prædicat; hoc sanctos Patres sensísse reperiémus: ita non dubitárunt sacram Vírginem Deíparam appelláre; non quòd Verbi natúra, ipsiúsve divínitas ortûs sui princípium ex sanctâ Vírgine súmpserit; sed quòd fa-

crum illud corpus ánimâ intelligente perfectum ex eâ tráxerit, cui & Dei Verbum secúndùm hypóstasim unítum, secundùm carnem natum dícitur.

℟. Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex muliere, factum sub lege, * Ut eos qui sub lege erant redímeret, † Ut adoptiónem filiórum reciperémus. ℣. Quia púeri communicavérunt carni & sánguini, & ipse simíliter participávit eísdem; * Ut eos. ℣. Glória. † Ut adoptiónem. *Galat.* 4. *Hebr.* 2.

### *IN II. NOCTURNO.*

Lectio. *I. Petr.* 5.

DEus superbis resistit, humílibus autem dat grátiam. Humiliámini ígitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in témpore visitatiónis.

℣. Anima mea exsultábit in Dómino, ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Collecta. *Brev. Catal.*

DEus, qui nos cordis humilitátem esse solam exaltatiónis viam docuísti; † concéde, ut exemplo beatíssimæ Vírginis Mariæ, hanc quâ tibi plácuit virtútem sectantes, * illíus glóriæ mereámur esse partícipes; Per Dóminum.

Ad Laudes & Horas, *omnia, præter Collectam, ut in Festo, pag.* 554.

---

## *Die XXIV.*

## S. BARTHOLOMÆI, Apostoli.

*Festivitas III. Classis.*

*Omnia de Communi Apostolorum, exceptis quæ sequuntur.*

### *IN III. NOCTURNO.*

Lectio V.

*Ex Eusebio, S. Hierony-mo & Usuardo.*

BArtholomæus, unus ex duódecim quos elégit Jesus, & Apóstolos nominávit, post ejus Ascensiónem, accepto Spíritu sancto, in Indiam profectus, Christi fidem, ut scribit Eusébius, fertur illis Géntibus prædicasse, & Evangélium Matthæi Hebráicis conscriptū litteris reliquisse, quod quidem ad Pantæni témpora servátum esse memorátur. Idem refert Hierónymus in Libro de Scriptóribus Ecclesiásticis. Pantænus enim, ut ádseris, in Indiam à Demétrio Alexandríæ Epíscopo, rogántibus illíus gentis legátis, missus, réperit inter gentes illas, olim adventum Dómini Jesu juxta Matthæi Evangélium à Bartholomæo, qui inter duódecim Apóstolos numerátur, illic fuisse prædicátum. In cujus rei fidem ipsum Matthæi exemplar, Hebráicis litte-

ris scriptum, secum Alexandríam revertens détulit. Fide Gentílibus prædicátâ, Bartholomæus vitam martyrio consummávit.

℟. Ponam in eis signum, & mittam ex eis qui salváti fúerint, ad Gentes in mare, * In Africam, & Lydiam tendentes sagittam, in Itáliam, & Græciam, ad ínsulas longè. ℣. Numquid non audiérunt? & quidem in omnem terram exívit sonus eórum; * In. *Isai.* 66. *Rom.* 10.

LECTIO VI.

Ex Homíliâ septuagésimâ quintâ sancti Joannis Chrysóstomi Epíscopi in Matthæum. *Edit. Bened. n.* 2 & 3.

CHristi poténtiæ máximum est argumentum, quòd doctrína annis viginti vel triginta orbis términos pervásserit. Unde quis summópere mirétur Christi virtútem, Apostolorumque fortitúdinem, quòd tálibus prædicáverint tempóribus, quibus máximè Judáica impugnabantur, quando Judæi ut seditiósi observabantur, jusseratque Cæsar omnes extermináxi. Idipsumque áccidit ac si quis, mari úndique excitáto, & calígine totum áerem occupante, naufrágiis frequéntibus, fulmínibus emissis, pirátis invadéntibus & vectóribus sibi mútuò insidiántibus, hómines navigatiónis imperítos, qui nec mare nóverint, júbeat ad gubernácula sedére, & pugnáre, classemque ingentem ex adverso veniéntem, navículâ unâ usos, cápere & submérgere.

℟. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: * Euntes ergo docéte omnes gentes. ℣. Vos testes mei, dicit Dóminus, & ego Deus: * Euntes. *Matth.* 28. *Isai.* 43.

LECTIO VII.

NAm Apóstoli à Géntibus ódio habebantur ut Judæi, & à Judæis lapidabantur, ut qui suas leges impugnárent; nusquam verò stare póterant. Sic ómnia præcipítia, scópuli & saxa laténtia erant, in úrbibus, in vicis, in dómibus, singulíque illos bello impetébant, dux, princeps, privátus, gentes íntegræ, pópuli omnes, & perturbátio erat quanta nec possit oratióne explicári. Nam perósum planè erat Judáicum genus in Románo império, quòd mille negótia facésseret. Neque tamen inde prædicatióni nocebátur: sed captâ urbe atque cremátâ, ac gente vi malórum oppressâ, inde profecti Apóstoli, qui novas inducébant leges, Románis imperárunt. O res novas & stupendas! Judæó-

rum innúmera míllia Románi cepérunt, & duódecim viros víncere non potuérunt, qui nudi sine armis cum ipsis pugnábant? Quis sermo possit tantum miráculum descríbere?

℟. Virtúte magnâ reddébant Apóstoli testimónium resurrectiónis Jesu Christi Dómini nostri: * Et grátia magna erat in ómnibus illis. ℣. Loquebantur verbum Dei cum fidúciâ; * Et. *Act.* 4.

LECTIO VIII.

SI quis in gentes, in urbes, in pópulos, imò in unam domúnculam indúceret virum, ómnibus habitántibus eam, perósum, & per eum conarétur síngulos à diléctis abdúcere, à patre, à matre, ab uxóre, à fíliis; annon ille, ántequam os aperíret, discerperétur? Si autem ille per se contemptus onerósa præcíperet, delíciis fruentes philosophári jubéret, ad hæc veró contra multó plures & fortióres certámen commítteret, an non palàm est illum omníno peritúrum esse? Attamen illud ipsum quod in unâ domo fíeri nequit, Christus in toto orbe fecit, per præcipítia, per fornáces, per prærupta, per scópulos, per terram & mare, inter bella plúrima, orbis médicos indúcens.

℟. Cùm tradent vos, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini; dábitur enim vobis in illâ horâ, quid loquámini; * Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. ℣. Dabo vobis os & sapiéntiam, cui non póterunt resístere & contradícere omnes adversárii vestri: * Non. ℣. Glória. * Non. *Matth.* 10. *Luc.* 21.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.
*Cap.* 6.

EXiit Jesus in montem oráre, & erat pernoctans in oratióne Dei. Et cùm dies factus esset, vocávit discípulos suos: & elégit duódecim ex ipsis (quos & Apóstolos nominávit) Simónem quem cognominávit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacóbum & Joannem, Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, Jacóbum Alphæi, & Simónem, qui vocátur Zelótes, & Judam Jacóbi, & Judam Iscariótem, qui fuit próditor. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, & turba discipulórum ejus & multitúdo copiósa plebis ab omni Judæâ, & Jerúsalem, & marítima, & Tyri, & Sidónis,

qui venérant ut audírent eum, & sanarentur à languóribus suis. Et qui vexabantur à spirítibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærébat eum tángere: quia virtus de illo exíbat & sanábat omnes.

Collecta. *Sacr. Leon.*

DEus, qui Ecclésiæ tuæ in sanctis móntibus fundamenta posuisti: † da, ut intercedente beáto Bartholomæo, nullis errórum subruátur incúrsibus, nullâ mundi perturbatióne quatiátur; * sed Apostólicâ semper & institutióne sit firma, & interventióne secúra; Per Dóminum.

Ad II. Vesperas.

*Fit Commemoratio* S. Ludovici, Franciæ Regis.

*Ant.* Quæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum, & præcépit ei ut esset dux super pópulum suum. *I. Reg.* 13.

℣. Dóminus fortitúdo plebis suæ, ℟. Et protector salvatiónum christi sui est. *Ps.* 27

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 569.

---

*Die XXV.*

S. LUDOVICI, Franciæ Regis.

*Festivitas III. Classis.*

---

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Regem regum Dóminum, * Veníte, adorémus. *I. Tim.* 6.

Hymnus.

*Habert. Vabr. Ep.*

REx summe regum, qui potenti númine
Quo sunt creáta regna mundi témperas,
Dum thure fumant templa, voce pérsonant,
Audi profusas Regis in laudem preces.

Nascens in ipsâ Ludovícus púrpurâ,
Sceptris avítis parvus ádmovet manus;
Piæque ductu matris, ignárus mali,
Servíre Christo discit, ántequàm regat.

Justi sevérus cultor, urbes légibus,
Amóre cives cóntinens, hostes metu:
Pietáte cœlum flectit, aras éxcitat;
Deóque templa, tecta nudis érigit.

Mox christiáni serus ultor sánguinis,
Emensus æquor, inque littus bárbarum
Vexilla pandens, urget armis ímpios,
Unóque vitam pro Deo pacíscitur.

Sit Trinitáti sempiterna glória,
Honor, potestas, atque jubilátio,
In Unitáte quæ gubernans ómnia,
Per cuncta regnat sæculórum sécula. Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Cùm adhuc esset puer, cœpit quærere Deum, fecitque quod erat rectum in conspectu Dómini. *II. Par.* 34.

II. Fecit quod bonum & plácitum erat in conspectu Dei sui; & subvertit altária peregríni cultûs. *II. Par.* 14.

III. Præcépit pópulo suo ut quæreret Dóminum patrum suórum, & fáceret legem, & universa mandáta. *II. Par.* 14.

IV. Percussit fœdus coram Dómino, ut ambuláret post eum, & custodíret præcepta ejus; & fecit omnes servíre Deo suo. *II. Par.* 34.

V. Constítuit júdices, & præcípiens judícibus: Vidéte, ait, quid faciátis: non enim hóminis exercétis judícium, sed Dómini. *II. Par.* 19.

VI. In Deo sperávit; unde & erat Dóminus cum eo, & in cunctis ad quæ procedébat, sapienter se agébat. *IV. Reg.* 18.

℣. Dómine, in virtúte tuâ lætábitur Rex; ℟. Et super salutáre tuum exsultábit veheménter. *Ps.* 20.

*Lectiones cum ℟℟. de Scripturâ occurrente.*

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Fortis in bello, máximus in salútem electórum Dei, expugnáre insurgentes hostes, quam glóriam adeptus est! *Eccli.* 46.

II. Invocávit Altíssimum potentem, in oppugnando inimícos úndique; & audívit illum magnus & sanctus Deus. *Eccli.* 46.

III. Succinxit se arma béllica sua in prœliis, & protegébat castra gládio suo. *I. Mach.* 3.

IV. In captivitáte pósitus, viam veritátis non deséruit, sed immóbilis in Dei timóre permansit. *Tob.* 1 & 2.

V. Cùm ab infántiâ suâ semper Deum timúerit, & mandáta ejus custodíerit, non est contristátus contra Deum. *Tob.* 2.

VI. Símilis illi non fuit rex, qui reverterétur ad Dóminum in omni corde suo, & in totâ ánimâ suâ, & in universâ virtúte suâ. *IV. Reg.* 23.

℣. Vivit Dóminus, & benedictus Deus meus, ℟. Magníficans salútes regis ejus. *Ps.* 17.

LECTIO V.

*Ex Actis S. Ludovici Regis apud diversos Scriptores.*

Ludovicus nonus, Francórum rex, anno ætátis duodécimo, patri Ludovíco successit, regnúmque sub tutélâ Blanchæ sapientíssimæ matris, administráre

cœpit. Hæc filium à púero sanctis documentis institúerat, dicere sólita: Mallem, fili, te vitâ & regno privátum, quam lethális peccáti reum agnóscere. In ipso regni exórdio, viros spectátæ virtútis & prudéntiæ, cùm è cléricis, tum è láicis in consílium adhibuit. Rebus cum finítimis princípibus compósitis, totum se divíno cúltui promovendo dedit. Duello & blasphémiis pénitus exstirpandis incúbuit; histriónes & joculatóres regno expulit. Benefícia Ecclesiástica non nisi probátis persónis, neque jam áliud habéntibus, nisi illo abdicáto, conferébat. Adeo justítiæ studiósus fuit, ut quacumque transíret, illáta si qua forent à comitátu damna, per Archidiacónũ Parisiensem, aliosve notæ æquitátis viros inquíri juberet ac resarcíri, & contra Saracénos profectúrus, mónitos per præcónem súbditos volúerit, ut qui læsi fortè essent, ipsum adirent, ómnibus factúrum satis.

℟. Sancta in manu extraneórum facta sunt: vasa glóriæ nostræ captíva abducta sunt: * Quæ erat líbera, facta est ancilla: quò ergo nobis adhuc vívere? omnis qui zelum habet legis státuens testaméntum, exeat post me. ℣. Ascendérunt gentes super latitúdinem terræ: & circuiérunt castra sanctórum, & civitátem dilectam. * Quæ. *I. Mach. 2. Apoc. 20.*

LECTIO VI.

TRicésimo ætátis anno gravi morbo affectus, acceptâ cruce ab Epíscopo Parisiensi, sacrum bellum vovit. Et post áliquot annos, contractis ingéntibus cópiis, matri commissâ regni curâ, mare trajécit. Atque ubi primùm Saracénos in líttore adstantes conspexit, è navi in mare ense districto congressúrus insíliit; fugatisque hóstibus, Damiátam victor intrávit. Sed debilitáto póstmodum ex lue exércitu, victus ipse captusque est. Cùm de pace actum est, ipse conditiónes Saracénis dedit mirántibus quòd victus victóribus leges impóneret. Pacto fœdere Rex cum exércitu liber dimíttitur: annos deinde círciter quátuor, quò Saracénos ad servandas induciárum conditiónes adígeret, in Syriâ commorátus, Christiános multos è vínculis erípuit, gentíles fídei præceptis imbuit, ac Christianórum urbes áliquot & castra suis súmptibus instaurávit.

℟. Custodívit illum Dóminus ab inimícis, & * In vínculis non derelíquit illum, & dedit illi claritá-

tem ætérnam. ℣. Erat Deus cum eo, & eripuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. * In vínculis. *Sap.* 10. *Act.* 7.

LECTIO VII.

DE matris óbitu cértior factus, in génua prócidens, obortis lácrymis, hæc verba prótulit: Grátias tibi ago, Dómine, qui matrem únicè diléctam, quam ad tempus commodáveras, recepísti: ita sit ut plácitum est ante te: sit nomen Dómini benedíctum. In Gálliam rédiens, navi prope Cyprum ad syrtes allísâ: coram sacrâ Eucharístiâ, cujus in navi adservandæ facultátem à Legáto Apostólico obtinúerat, suppléciter orans ab imminente naufrágii perículo liberátus est; nec in áliam navim transíre vóluit, ne sexcenti ferè hómines qui metu perículi descendissent, in ínsulâ remanérent, inde nunquam aut vix reversúri, malle se dicens perículum adíre, quàm sibi cum tanto totque hóminum damno consúlere. Post réditum, piis opéribus impénsiùs stúduit; frequens visébat ægrótos, quibus non súmptibus modò, sed mánibus própriis ministrábat. In páuperes munificentíssimè próvidus, virgínibus dotem, provínciis annónæ inópiâ laborántibus aliménta, univérsis egéntibus necessária suppeditábat. Veste vulgári utebátur; cilício & jejúnio sæpè corpus affligébat.

℞. Justítiâ indútus sum; & vestívi me, sicut vestiménto & diadémate, judício meo: * Pater eram páuperum; & causam quam nesciébam, diligentíssimè investigábam. ℣. Judícium sine misericórdiâ illi qui non fecit misericórdiam; superexaltat autem misericórdia judícium. * Pater. *Job*, 29. *Jac.* 2.

LECTIO VIII.

CUm in Africam trajecisset, bellum dénuò Saracénis illatúrus, jamque captâ Carthágine, castra prope Tunétum in eórum conspéctu posuisset, mortem imminére séntiens, documénta Rege digna Christianíssimo, suâ manu conscrípta, Philíppo fílio & successóri trádidit: illúdque Davídicum próferens: Introíbo in domum tuam, adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo, Dómine; ánimam Deo réddidit apud Carthágineim, anno ætátis quinquagésimo quinto, Christi verò millésimo ducentésimo septuagésimo. Eum miráculis illustrem Bonifácius octávus, Sanctórum albo inséruit.

apud hómines, possibília sunt apud Deum.

## AD LAUDES.

### Antiphonæ.

I. Magnificávit eum Dóminus, & dedit illi glóriam regni, qualem nullus hábuit ante eum rex. *I. Par.* 29.

II. Operátus est bonum, & rectum, & verum coram Dómino Deo suo, volens requírere Deum suum in toto corde suo: fecitque & prosperátus est. *II. Par.* 31.

III. Fecit judícium & justítiam, judicávit causam páuperis, & egéni, quia cognóvit me, dicit Dóminus. *Jer.* 22.

IV. Perambulávit civitátes, & pérdidit ímpios ex eis; & nominátus est usque ad novíssimum terræ. *I. Mach.* 3.

V. De omni corde suo laudávit Dóminum, & diléxit Deum qui fecit illum; & dedit illi contra inimícos poténtiam. *Eccli.* 47.

### Lectio. *Deut.* 17.

Discat Rex timére Deū, & custodíre verba ejus, & cæremónias ejus quæ in lege præcepta sunt: nec elevétur cor ejus in supérbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram; ut longo témpore regnet ipse, & filii ejus.

℟. br. Regna terræ, cantáte Deo; * Psállite Dómino. ℟. Regna. ℣. Quóniam Rex omnis terræ Deus, * Psállite. ℣. Glória. ℟. Regna. *Ps.* 67.

### Hymnus. S. V.

Templa nunc fument, resonentque cantu:
En triumphato Ludovícus hoste,
Quærit æternas, tibi militando,
Christe, corónas.

His tuos ardet reparáre cultus:
Hic gregem tuto fugitívum ovíli
Reddit: hic armis tua Christiánis
Sacra tuétur.

Béllicæ vixdum memor ille laudis,
Cuncta qui subdit, tibi servit uni;
Imperes unus, satis imperábit,
Te duce, Princeps.

Stat tuâ fidens ope, fortiorque
Sumit ex ipsis animos ruínis:
Jura dat victus, sedet inter ipsos
Arbiter hostes.

Laus Patri, Nato; Tibi lausque, Flamen,
Quos sacrum terris ad opus vocasti,
Hos & in cœlis, nimis ampla merces,
Ipse coróna. Amen.

℣. Reges terræ laudent nomen Dómini; ℟. Quia exaltátum est nomen ejus solíus. *Ps.* 148.

*Ad* Benedíctus. *Ant.* Benedíctus Dóminus Deus patrum nostrórum, qui dedit hoc in corde Regis, ut glorificáret domum Dómini. *I. Esdr.* 7.

COLLECTA. *Brev. Senon.*

DEus, qui inter falláces temporális regni delícias, beátum regem Ludovícum fámulum tuum spíritu veritátis & sobrietátis implevísti, † fac nos ejus exemplo, cœlestis quam toto corde concupívit civitátis amatóres, cadúca ómnia despícere, * & ad sola sempiterna totâ mente festináre; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Meldensi. *An.* 846. *Can.* 15.

SI quis potestáti Régiæ quæ non est juxtà Apóstolum, nisi à Deo, contumáci ac infláto spíritu contra authoritátem & ratiónem, pertináciter contradícere præsúmpserit, & ejus justis ac rationabílibus impériis secundum Deum, & authoritátem Ecclesiásticam ac jus civíle, obtemperáre irrefragabíliter noluerit; anathematizétur.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Sap.* 6.

AUdíte, Reges, & intellígite, díscite júdices fínium terræ: † quóniam data est à Dómino potestas vobis, & virtus ab Altíssimo: * qui interrogábit ópera vestra, & cogitatiónes scrutábitur.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ; ℟. Et cantent in viis Dómini quóniam magna est glória Dómini. *Ps.* 137.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Sap.* 6.

AD vos, Reges sunt hi sermónes mei, ut discátis sapiéntiam, & non excidátis. † Qui enim custodíerint justa justè, justificabuntur; * & qui didícerint ista, invénient quid respóndeant.

℣. Timébunt gentes nomen tuum, Dómine, ℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam. *Ps.* 101.

AD NONAM.

LECTIO. *Sap.* 6.

SI delectámini sédibus & sceptris, ô Reges pópuli, † dilígite sapiéntiam, ut in perpétuum regnétis: * dilígite lumen sapiéntiæ omnes qui præestis pópulis.

℣. In conveniendo pópulos in unum, ℟. Et reges ut sérviant Dómino. *Ps.* 101.

AD II. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. IN géntibus non erat rex símilis ei, & diléctus Deo suo erat; & pósuit eum Deus regem super omnem Israel. *II. Esdr.* 13.

II. Confirmávit omnes húmiles pópuli sui, & legem exquisívit; sancta glorificávit, & multiplicávit vasa sanctórum. *I. Mach.* 14.

III. Hortabátur suos, ne formidárent ad adventum natiónum, sed in mente habérent adjutória sibi facta de cœlo. *II. Machab.* 15.

IV. Spíritu magno vidit ultima, & consolátus est lugentes in Sion. *Eccli.* 48.

LECTIO. *Is.* 60.

JErúsalem, aperiéntur portæ tuæ júgiter; † die ac nocte non claudentur, ut afferátur ad te fortitúdo géntium, & reges eárum adducantur. * Gens enim & regnum quod non servíerit tibi períbit.

℟. *br.* Confiteantur tibi, Dómine. * Omnes reges terræ. ℟. Confiteantur. ℣. Et cantent in viis Dómini, quóniam magna est glória Dómini. * Omnes. ℣. Glória. ℟. Confiteantur. *Ps.* 137.

HYMNUS. *H. Vabr. Ep.*

TE sancte rursus, Ludovíce, prælia
Divína poscunt; tu crucis clavum tenens,
Speíque sacras ánchorâ fundans rates,
Moves tyrannis bella, Christo mílitas.

Vincis cadendo: mors tibi victóriam
Aufert & addit: corpus hìc palmæ tegunt
Nondum sepultum; sed triumpho nóbili
Cœlum parátur, & corónis sídera.

Tuus paternæ rédditus terræ ciuis
Regnum tuétur, dum throno præsens Dei,
Æterna regnans pascis inter lília,
Favensque blando nostra cernis lúmine.

Sit Trinitáti sempiterna glória,
Honor, potestas, atque jubilátio,
In Unitáte, quæ gubernans ómnia
Per cuncta regnat seculórum sécula. Amen.

℣. Deus, cánticum novum cantábo tibi; ℟. Qui das salútem régibus. *Ps.* 143.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Ambulábunt Reges in splendóre ortus tui, Jerúsalem; & ministrábunt tibi; & vénient, & adorábunt vestígia pedum tuórum. *Is.* 60.

---

*Die XXVII.*

S. CÆSARII ARELAT. EPISCOPI ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

*Commemoratio.*

*De Communi Doctorum.*

Collecta. *Sacr. R.*

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Cæsárium minístrum tribuísti: † præsta, ut, quem doctórem vitæ habúimus in terris, * intercessórem habére mereámur in cœlis; Per Dóminum.

---

*Die XXVIII.*

S. AUGUSTINI, HIPPONENSIS EPISCOPI ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

*Festivitas III. Classis.*

*Omnia de Communi Doctorum, exceptis quæ hìc habentur propria.*

AD I. VESPERAS.

Hymnus. *S. V.*

QUid non, Christe, potes? néscia cédere
Ut gaudes sine vi rúmpere péctora!
Et victrice manu, quos súbigis, tuæ
Formas milítiæ duces!

Insánâ túmidus dum sapiéntiâ
Augustínus ovat, nec pátiens regi,
Spreto, férre priùs quod décuit, jugo,
Vanis servit amóribus.

Errórum tenebris ut prémitur miser!
Lucem quærit amans, quam trepidus fugit.
Pectus sollicitant hinc bona gáudia,
Hinc rursùs mala distrahunt.

At cùm plena suo lúmine Véritas
Affulsit Juveni, térrita nox fugit:
Et divínus Amor sacrílegos piis
Ignes ígnibus éxcutit.

Quas victus lacrymas, quos gémitus dedit!
Altè corda domans Spíritus íncubat;
Rumpit vincla, sacro flúmine tíngitur,
Christi libérior jugo.

Tum quæsíta diu pax ánimo redit;
Vanescunt dubiæ lucis imágines;
Sublími placidæ mentis in ótio,
Vero lúmine páscitur.

Sit laus summa Patri, summáque Fílio;
Sit par, alme tibi, glória, Spíritus,
Quo spirante, potens Grátia túrgidi
Frangit péctoris ímpetus. Amen.

℣. Dirupísti, Dómine, víncula mea; ℟. Tibi sacrificábo hóstiam laudis. *Ps.* 115.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Grátiâ Dei sum id quod

sum, & grátia ejus in me vácua non fuit. *I. Cor.* 15.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 575.

AD OFFICIUM NOCT.

*In Psal.* Veníte. *Ant.* Christum Jesum per quem accépimus Grátiam; * Veníte, adorémus. *Rom.* 1.

HYMNUS. *S. V.*

NUnc cœlo, stygiis líbera péstibus,
Effer conspicuum, Relligio, caput:
Augustinus adest; cédite, tártara,
Tanto cédite lúmini,
Sacris unde Deum plénius háuserat,
Pectus multa capax imbuerat libris;
Illi nuda patent, quæ fuerant priùs
Densis óbsita núbibus.
Tantis quanta venit de ténebris dies!
Vires inde novas, hinc animos refert,
Armis, unde erebi tela retúnderet,
Se cœléstibus índuit.
Hinc hostes calami figit acúmine,
Illinc ore potens fulmineo tonat:
Christi vellit agro, quæ ségetem necant
Errórum mala sémina.
Christi Sponsa, novas scissa per hæreses,
Per te tuta suis fulget honóribus:
Cui dos una fuit, pactaque désuper
Simplex únaque Véritas.
Actos dissidiis & malè tránsfugas,
Ut priscæ fidei restituas Patres,
Ter centum, duce te, Pontífices suis
Sese sédibus ábdicant.
Quæ vis blanda Dei te rapuit tibi,
Illam gratus amas pándere pósteris;
Ut natúra tremens insuperábili
Cedat súbdita Grátiæ.
Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio
Ambórum sit idem Spirítui decus,
Cujus tanta viget númine Véritas,
Error cóncidit írritus. Amen.

*IN II. NOCTURNO.*

LECTIO V.

*Ex Possidio, & ex sancti Augustini Operibus.*

AUgustínus, Tagastæ in Africâ natus, adoléscens in amóres illícitos, & Manichæórum hæresim impégit. Carthágine primùm rhetóricam dócuit, deinde Romæ, ac Mediolâni, ubi cùm Ambrósii frequens esset audítor, paulátim in Cathólicos propénsior factus, sacros Códices, à quórum lectióne propter styli simplicitátem

priùs abhorrébat, evólvere studiósiùs cœpit, & novæ vitæ institútum meditári. Verùm cùm diu multùmque secum ipse luctátus, conversiónem procrastináret, tandem insólitâ voce admónitus ut légeret; ex verbis Apóstoli in quæ íncidit, derepentè mutátus est; & ab Ambrósio aliquantò post, annum agens trigésimum tértium, in Páschate baptizátus.

℟. Ideo misericórdiam consecútus sum: ut in me primo osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam, * Ad informatiónem eórum, qui creditúri sunt illi, in vitam ætemam. ℣. Superabundávit grátia Dómini nostri, cum fide, & dilectióne, quæ est in Christo Jesu; * Ad. *I. Tim.* I.

LECTIO VI.

CUm pátriam repéteret, matri ad Ostia Tiberína defunctæ suprema Christiánæ pietátis officia persolvit. Reversus in Africam, rus se recépit, ut uni Deo vacáret. Hippónem evocátus, ut virum ipsíus audiendi cúpidum, Deo lucrarétur; raptus à pópulo, invítus, atque ubertim flens, Présbyter civitátis ordinátus est à Valério Epíscopo: qui cum génere Græcus esset, nec satis latínè sciret, potestátem ei fecit in Ecclésiâ coram se Evangélium prædicandi: idque ex more Orientáliū, sed præter Africánæ Ecclésiæ consuetúdinem. Tum Augustínus monastérium intra Ecclésiam instítuit, & cum Dei servis vívere cœpit secundùm régulam sub sanctis Apóstolis constitútam.

℟. Grátias ago ei qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro, * Quia fidélem me existimávit, ponens in ministério: qui priùs blasphémus fui. ℣. Grátiâ Dei sum id quod sum, & grátia ejus in me vácua non fuit. * Quia. *I. Tim.* I *I. Cor.* 15.

LECTIO VII.

VEritus autem Valérius jam sénior, ne sibi Augustínus ab áliis Ecclésiis præriperétur, obtínuit à Primáte Carthaginensi, ut sibi adhuc viventi darétur coepíscopus. In Episcopátu commúnem vitæ ratiónem quam présbyter instítuerat, cum cléricis ténuit. Vestis ejus ac supellex nec nítida nímiùm, nec abjecta. Ita frugáli & parcâ mensâ utebátur, ut nonnísi propter hóspites & infirmos, carnes ad legúmina & ólera adhibéret: eamque, lectióne aut disputatióne, exclúsâ pénitus obtrectatióne, semper condiébat. Causis diriméndis vacábat per totam diem, sæpè jejúnus. Ut

páuperes áleret, cùm non esset ália facultas, sacra vasa frangi jubébat. Pupillos dumtaxat invisébat & víduas: fœminárum autem monastéria non adíbat, nisi urgente necessitáte.

℞. In pace & in æquitáte ambulávit mecum: * Et multos avertit ab iniquitáte. ℣. Suscipiébat omnes qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Dómino Jesu Christo: * Et multos. *Malach.* 2. *Act.* 28.

Lectio VIII.

Acérrimus contra omnes hæreses Cathólicæ veritátis propugnátor, Manichæos quos statim à baptismo aggressus fúerat, tum scriptis, tum públicis disputatiónibus, confutávit. Arianórum hæresim singulári veritátis illustratióne profligávit. Ecclésiæ unitátem adversùs Donatistas validíssimè tutátus est. Epíscopos pene trecentos induxit, ut schismáticis ad Ecclésiam redeúntibus, non honórem modò sédium servárent, sed &, si opus esset, Episcopátum céderent. Grátiam Christi à Pelagiánis impugnátam invictíssimè adséruit, eorumque in Semipelagiánis relíquias morti jam próximus repressit. Adversus Paganórum calúmnias & erróres Religiónem Christiánam eruditíssimo præsertim ópere de Civitáte Dei, vindicávit. In Confessiónum ac Retractatiónum libris, à se gesta scriptaque, magnâ cum humilitáte sevérus judex recénsuit. De Scripturâ váriis tractátibus sapientíssimè disséruit. Difficíllimas quæstiónes undequáque sibi propósitas suis Epístolis enodávit. Eum Theodósius júnior nominátim invitávit ad Synodum Ephesínam in causâ Nestórii, cujus erróres jam ipse scriptis præfocáverat: sed morte præventus, Concílio interesse non pótuit. Vándalis enim Hippónem obsidéntibus, in extrémum morbum íncidit, & soli intentus oratióni obdormívit in Dómino, anno ætátis septuagésimo sexto, Christi quadringentésimo trigésimo. Testamentum nullum fecit, quia unde fáceret, ait Possídius, pauper Dei non hábuit. Ecclésiæ bibliothécam, omnesque códices diligenter pósteris custodiendos semper jubébat.

℞. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. * In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illâ die justus judex. ℣. Abundántiùs ómnibus laborávi, non ego autem, sed grátia Dei mecum. * In. ℣. Glória. * In. *II. Tim.* 4. *I. Cor.* 15.

AD LAUDES.

Hymnus. S. V.

ASsertor fidei summus, & árbiter,
Inconcussa stetit quo duce Véritas,
Dicet Relligio, te pariter suum
Dicet Grátia víndicem.

Tanti vix capiens flúmina lúminis,
Scribis plena Deo mille volúmina,
Omnes unde bibant lárgiùs, & Deum
Puris fóntibus háuriant.

Dictat nempe tibi, qui Deus ássidet;
Scriptis ipse præest, ipse regit manum:
Cœlestes aperit non penetrábilis
Thesauros sapiéntiæ.

Fidens ingenio ne caput éfferas,
Mentis prima vagæ vúlnera détegis;
Excelso raperis quo propior Deo
Hoc fis tu tibi vílior.

Judex ipse tuî, te prior íncrepas,
Ipsi censor eras difficilis tibi,
Promptus, legitimis, quæ malè discrepant,
Scriptis, scripta refél-lere.

Doctor jam docilis magnanimus sequi
Quo te cumque vocat prævia Véritas;
Quâ solâ regeris, rebus in árduis
Hâc solâ regis ómnia.

Nil damnas temerè; nil leviter probas;
Anceps certa Dei lúmina cónsulis;
Cedis sponte, tibi víncere nam pudor,
In quo cédere glória.

Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio,
Sit par alme tibi glória, Spíritus
Qui sacris habiles munéribus tuo
Ungis chrísmate Præsules. Amen.

℣. Misericórdiam & judícium ℟. Cantábo tibi, Dómine. *Ps.* 100.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Ministérium verbi accépi à Dómino Jesu, testificári Evangélium grátiæ Dei. *Act.* 20.

Collecta. *Brev. Paris.*

OMnípotens & miséricors Deus, qui beátum Augustínum Evangélii grátiæ tuæ testem & propugnatórem in Ecclésiâ suscitasti: † ejusdem grátiæ, quæsumus, in nobis ostende virtútem; * ut & voluntátem tuam, te docente, cognóscere; & eam corde magno valeámus, te operante, perfícere; Per Dóminum.

*Fit Commemoratio S.* Monicæ, Viduæ.

*Ant.* Non despíciet Dó-

minus preces pupilli, nec víduam, si effundat loquélam gémitûs. *Eccli.* 35.

℣. Dóminus pupillum & víduam suscípiet, ℟. Et vias peccatórum dispérdet. *Ps.* 145.

COLLECTA. *Brev. Rom.*

DEus mœréntium consolátor, & in te sperántium salus, qui beátæ Mónicæ pias lácrymas in conversióne filii sui Augustíni misericórditer suscepísti; † da nobis utriusque interventu peccáta nostra deploráre, * & grátiæ tuæ indulgéntiam inveníre; Per Dóminum.

CANON.

Ex Epístolâ primâ sancti Cœlestíni Papæ ad Epíscopos Gálliæ. *c.*2. *an.*432.

AUgustínum sanctæ recordatiónis virum pro vitâ suâ atque méritis in nostrâ communióne semper habúimus; nec unquàm hunc sinistræ suspiciónis saltem rumor adspersit, quem tantæ sciéntiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros óptimos étiã ante à meis decessóribus haberétur. Bene ergo de eo omnes in communióne sensérunt; útpote qui útique cunctis & amóri fúerit & honóri.

AD II. VESPERAS.

*Hymnus*, Assertor fidei. *ut ad Laudes.*

℣. Non nobis, Dómine, non nobis, sed nómini tuo da glóriam, ℟. Super misericórdiâ tuâ, & veritáte tuâ. *Ps.* 113.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Máximus in salútem electórum Dei expugnáre insurgentes hostes: quis ante illum réstitit? nam hostes ipse Dóminus perduxit. *Eccli.* 46.

---

*DIE XXIX.*

IN DECOLLATIONE S. JOANNIS BAPTISTÆ.

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Venite. *Ant.* Deum qui dat voci suæ vocem virtútis; * Veníte, adorémus. *Ps.* 67.

HYMNUS. *C.*

QUis ille sylvis è penetrálibus
Egressus, ad se tot populos trahit?
Ab ore pendentes loquentis
Quâ súbitò tenet arte turbas?
An ille fastu regifico tumens
Molli solútus diffluit ótio?
Levisn*e* arundo ventilátur
Arbitrio populáris auræ?
Atqui ter annos jam tolerat decem
Vit*am* in profundis sáltibus ásperam,
Virtútis Elíæ futúrus
Atqu*e* animi generósus hæres.

Ergo

Ergo sevéram Núminis omnibus
Ostentat iram, non timidus mori:
Assertor acer veritátis,
In proceres tonat inque plebem.

Aulâ receptum non retinet timor,
Non blanda flectit grátia Príncipis,
Contamináti quin reprendat
Flagitium opprobriumque lecti.

Sit summa Patri, súmmaque Fílio;
Tibíque compar glória, Spíritus,
A quo voluntas præmovente
Certa tenet meritum salútis. Amen.

## IN I. NOCTURNO.

*Antiphona & ℣. ut in Psalterio.*

### Lectio III.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi in Decollatióne beáti Joannis Baptistæ. *Serm.* 308. *Edit. Bened. n.* 1 *&* 2.

Vidétis míserum istum Heródem, Joannem sanctum virum & Dei hóminem dilexisse: sed quóniam témerè jurávit ébrius lætítiâ & delectatióne saltantis, datúrum se promísit quidquid illa puella, quæ saltando placúerat, poposcisset. At ubi poposcit rem crudélem & nefáriam, contristátus est quidem; vidébat enim tantum scelus fieri, sed pósitus inter juratiónem suam & puellæ petitiónem, ubi vidébat cruentum fácinus, ibi rursus timébat reátum perjúrii; ne Deum offénderet perjurando, Deum offendit sæviendo. Quid ergo débuit fácere Heródes? Témerè jurávit: quis nésciat? Tamen lapsus est, jurávit. Occurrit mihi unum exemplum, ubi vídeo pium hóminem & sanctum in temeráriam juratiónem cecidisse, & maluisse non fácere quod juráverat, quàm juratiónem suam fuso hóminis sánguine implére. Jurávit sanctus David hóminem dívitem Nabal occisúrum se esse; jurávit témerè, sed non implévit juratiónem majóre pietáte. De duóbus peccátis elégit minus; sed minus fuit illud in comparatióne majóris. Nã per se ipsum appensum, magnum malum est falsa jurátio. Prius ergo laboráre debétis, & conflígere advérsus consuetúdinem vestram malam, malam, malam, & valde malam; & tóllere juratiónem de óribus vestris.

℟. Die natális Heródis, saltávit fília Herodíadis in médio, & plácuit Heródi; unde cum juramento pollícitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo. At

illa præmónita à matre suâ, * Petívit dicens : Volo, ut prótinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ. ℣. Contrárius est opéribus nostris, & impróperat nobis peccáta legis, & diffámat in nos peccáta disciplínæ nostræ. * Petívit. ℣. Glória. * Petívit. *Matth.* 14. *Marc.* 6. *Sap.* 2.

## *IN II. NOCTURNO.*

Lectio. *Act.* 13.

DEus ex sémine David, secundùm promissiónem eduxit Israel Salvatórem Jesum, prædicante Joanne, ante fáciem adventûs ejus, baptismum pœniténtiæ omni pópulo Israel.

℣. Docébo iníquos vias tuas; ℟. Et ímpii ad te converténtur. *Ps.* 50.

*Collecta, infrà.*

## AD LAUDES.

*Antiphonæ.*

I. VEnit Joannes in omnem regiónem Jordánis, prædicans baptismum pœniténtiæ, in remissiónem peccatórum. *Luc.* 3.

II. Hic est qui dictus est per Isáiam prophétam dicentem : Vox clamantis in deserto : Paráte viam Dómini. *Matth.* 3.

III. Dicébat Joannes Heródi : Non licet tibi habére uxórem fratris tui. *Marc.* 6.

IV. Heródias insidiabátur Joanni, & volébat occídere eum, nec póterat; Heródes enim metuébat Joannem, sciens eum virum justum & sanctum. *Marc.* 6.

V. Heródes ténuit Joannem, & alligávit eum : & pósuit in cárcerem, propter Herodíadem. *Matth.* 14.

Lectio. *Act.* 13.

CUm implésret Joannes cursum suum, dicébat : Quem me arbitrámini esse, non sum ego : sed ecce venit post me, cujus non sum dignus calceamenta pedum sólvere.

℟. *br.* Justítiam tuam, Dómine, * Non abscondi in corde meo. ℟. Justítiam. ℣. Veritátem tuam, & salutáre tuum dixi. * Non. ℣. Glória. ℟. Justítiam. *Ps.* 39.

Hymnus. *S. V.*

ECce, saltantis pretium puellæ,
Fertur in disco caput amputátum :
Hæc cruentátis nova proferuntur
Fércula mensis.
Quæ rudes sylvis populos docébat,
Quæ suâ reges tremefécit aulâ,
Illa vox, eheu! gladio resecta
Multa silébit.
Occidit Vates, & adhuc timétur :
Vox silet Verbi, cruor ille clamat,

Atque

Atque fraterni temeráta damnat
Fœdera lecti.
Nube sub densâ jubar involútum
Vénerat cæcis aperíre terris:
Sole jam pleno, velut umbra, cessit
Lúcifer orbe.
Summa laus Patri, genitóque Verbo:
Et tibi compar, utriusque nexus
Spíritus semper, Deus unus, omni
Témporis ævo. Amen.

℣. Superbi iníquè agébant usquequâque: ℟. A lege autem tuâ non declinávi. *Ps.* 118.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Misit Heródes, & decollávit Joannem in cárcere: & allátum est caput ejus in disco, & datum est puellæ; & áttulit matri suæ. *Matth.* 14.

Collecta. *Brev. Paris.*

DEus, qui beátum Joannem Baptistam, & nascentis & morientis Fílii tui Præcursórem esse voluisti; † concéde, ut sicut ille veritátis & justítiæ martyr occúbuit, * ita nos pro veritáte & justítiâ ad mortem usque certémus; Per eumdem.

## AD TERTIAM.

Lectio. *Act.* 19.

JOannes baptizávit baptismo pœniténtiæ pópulum, dicens; † in eum qui ventúrus esset post ipsum, ut créderent, * hoc est, in Jesum.

℣. Dixi iníquis: Nolíte iníquè ágere; ℟. Et delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu. *Ps.* 74.

## AD SEXTAM.

Lectio. *Jerem.* 1.

EGo dedi te hódie in civitátem munítam, & in columnam férream, & in murum æreum super omnem terram, † régibus Juda, princípibus ejus, * & sacerdótibus, & pópulo terræ.

℣. Loquébar de testimóniis tuis in conspectu regum, ℟. Et non confundébar. *Ps.* 118.

## AD NONAM.

Lectio. *Isai.* 5.

VÆ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietátem. Qui justificátis ímpium pro munéribus, & justítiam justi aufertis ab eo. † Propter hoc sicut dévorat stípulam lingua ignis, & calor flammæ exúrit; * sic radix eórum quasi favilla erit, & germen eórum ut pulvis ascendet.

℣. Eripe me de operántibus iniquitátē, ℟. Et de viris sánguinum salva me. *Ps.* 58.

AD VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. ACcedentes discípuli Joannis, tulérunt corpus ejus, & sepeliérunt illud. *Matth.* 14.

II. Audívit Heródes famam Jesu, & ait: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit à mórtuis. *Matth.* 14.

III. Hæsitábat, & ait: Joannem ego decollávi; quis est iste de quo tália áudio? & quærébat vidére eum. *Luc.* 9.

IV. Venientes discípuli Joannis, nunciavéruntJesu. Quòd cum audisset Jesus, secessit inde in navículâ, in locum desertum seorsùm. *Matth.* 14.

Lectio. *Isai.* 57.

JUstus perit, & non est qui recógitet in corde suo. † Et viri misericórdiæ colliguntur, quia non est qui intélligat: * à fácie enim malítiæ collectus est justus.

℟. *br.* Deus, iníqui * Insurrexérunt super me. ℟. Deus. ℣. Et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam. * Insurrexérunt. ℣. Glória. ℟. Deus. *Ps.* 85.

Hymnus. *S. V.*

OMnibus manat cruor ecce venis:
Hinc sitim longam sátia, tyranne;
Et cibos inter paterasque, puro
Sánguine liba.

Ut caput vidit dápibus sub ipsis
Triste fumanti fluitáre tabo;
Hæsit, impastis fremuitque mensis
Fúneris autor.

Pálluit cœlum, trepidávit aula,
Ipsa sese horret féritas tyranni;
Sola saltátrix ovat, execrandi
Cónscia facti.

Non tamen frontis grávitas verendæ
Cessit immíti violáta ferro,
Dura mitescit plácido sub ore
Mortis imágo.

Qui suo nascens Dómino præíbat,
Morte crudéli prior immolátus
Ille, mox diro notat immolandum
Fúnere Christum.

Summa laus Patri, genitóque Verbo:
Et tibi compar, utriusque nexus
Spíritus semper, Deus unus, omni
Témporis ævo.
Amen.

℣. Custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum. ℟. De manu peccatóris liberábit eos. *Ps.* 96.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Venit Joannes in viâ justí-

tilæ, & non credidiſtis ei: publicáni autem & meretríces credidérunt ei; vos autem videntes, nec pœniténtiam habuiſtis póſtea, ut crederétis ei. *Matth.* 21.

FESTA SEPTEMBRIS.

*Die III.*

S. GREGORII MAGNI, PAPÆ ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

*Feſtivitas III. Claſſis.*

*Omnia de Communi Doctorum, exceptis quæ ſequuntur.*

*IN II. NOCTURNO.*

LECTIO V.

*Ex S. Gregorii vitâ per Paulum Diaconum ſcriptâ.*

GRegórius Magnus, Románus, Gordiáni ex ſenatório génere, & ſanctæ Sylviæ filius, urbánâ præfectúrâ functus, mórtuo patre, ex própriis facultátibus ſex in Siciliâ monaſtéria, séptimum Romæ, ſancti Andreæ nómine, in ſuis ædibus, ad clivum Scauri exſtruxit; ubi ſub Valentióne Abbáte mónachi vitam profeſſus, póſtea Abbas fuit. Evocátus inde à Pelágio ſecundo Diáconus ordinátur; nec multò poſt Conſtátinópolim Apocriſiárius ſedis Apoſtólicæ reſponſa factúrus mittitur: ubi ne aulæ conſuetúdine & curis ſeculáribus píetas refrigéſceret, Scripturárum meditatióni, & conſcribendis Morálium libris ánimum adhíbuit.

℟℟. *ut in II. Nocturno de Communi Doctorum, pag.* xlj.

LECTIO VI.

EA in urbe Eutychium Patriarcham, qui contra veram & contrectábilem córporum reſurrectiónem ſcrípſerat, ita convícit, ut & Imperátor Eutychii líbrum in ignem conjécerit, & ipſe pauló poſt Eutychius, cùm in morbum incidiſſet, inſtante morte, pellem manûs ſuæ contrectans, multis adſtántibus díxerit: Confiteor quia omnes in hâc carne reſurgémus. Romam reverſus Gregórius, Pelágio peſtiléntiâ ſubláto, ómnium votis Póntifex elígitur, anno Chriſti quingentéſimo nonagéſimo: totiſque licèt víribus renítens conſecrátur, hâc die tértiâ Septembris.

LECTIO VII.

IN Epíſtolâ Synódicâ quam pro more tunc ſcripſit ad Patriarchas, profeſſus eſt, ſe, ſicut ſancti Evangélii quátuor libros, ſic ſuſcípere quátuor Concília: Nicænum nempe, Conſtantinopolitánũ, Epheſinum & Calchedonenſe;

quintum quoque páriter venerári. Ipse præ modéstiâ servum servórum Dei se, primus Romanórum Pontíficum, in suis Epístolis inscripsit. Cum imperatóre Mauritio gráviter expostulávit de lege quam túlerat, ne mílites in monastériis reciperentur: cùm plerique sint, inquit, qui nisi ómnia relíquerint, salvári nullátenus possunt. Divíni Officii órdinem, cantûsque Ecclesiástici méthodū melióri formæ restítuit. Donatistas repressit in Africâ: Manichæos in possessiónibus suis in Sicíliâ degentes ab erróre revocári curávit.

LECTIO VIII.

CEnsuit ut Judæi prædicatióne pótiùs quàm vi ac necessitáte ad baptismum compellerentur. Anglórum gentem, missis in Británniam Augustíno & áliis mónachis, ad fidem adduxit: unde Anglórum Apóstolus à Bedâ vocátus est. Mira sunt quæ dixit, fecit, scripsit, decrévit, præsertim infirmâ semper valetúdine. Non quærébat verbis prosperári, sed móribus: nec honórem esse deputábat, in quo fratres suos honórem suum pérdere cognoscébat. Meus namque, inquiébat, honor est, honor universális Ecclésiæ: meus honor est, Fratrum meórum sólidus vigor. Tandem multis édi tis miráculis, Pontificátûs anno décimo tértio, quarto Idus Mártias, ad cœlestem beatitúdinem est evocátus.

COLLECTA. *Brev. Paris.*

DEus, coróna Pontíficum, & lucerna Doctórum, qui beátum Gregórium Ecclésiæ tuæ providísti Pontíficem & Doctórem: † quæsumus, ut ejus nos semper & documentis erúdias, * & exemplis informes; Qui vivis.

---

*DIE VIII.*

IN NATIVITATE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

*Festivitas II. Classis.*

---

AD I. VESPERAS.

*ANTIPHONÆ.*

I. LÆtámini cum Jerúsalem, & exsultáte in eâ, omnes qui diligitis eam; quia cognoscétur manus Dómini servis ejus. *Isai. 66.*

II. Non est abbreviáta manus Dómini ut salváre néqueat, neque aggraváta est auris ejus ut non exáudiat. *Isai. 59.*

III. Constítuit Deus humiliáre omnem montem excelsum, & rupes perennes; & convalles repléte in æqualitátem terræ. *Baruch, 5.*

IV. Erit Dóminus Rex super omnem terram; in die illâ erit Dóminus unus, & erit nomen ejus unum. *Zach.* 14.

Lectio. *Isai.* 40.

Consolámini, consolámini, pópule meus, dicit Deus vester. † Loquímini ad cor Jerúsalem, & advocáte eam; * quóniam compléta est malítia ejus, dimissa est iníquitas illíus.

℟. *br.* Prope timentes Dóminum * Salutáre ipsíus. ℟. Prope. ℣. Ut inhábitet glória in terrâ nostrâ, * Salutáre. ℣. Glória. ℟. Prope. *Ps.* 84.

Hymnus. *C.*

Lætis terra sonet pláusibus; huic Dei
Mater Virgo datur: múnere quo nova
Se rerum facies prótinus éxerit;
Mundo pax redit áurea.

Hæc est illa domus, quâ Deus ádvena
In terris habitat, digna Deo domus,
Templum grande, sibi quod propriâ manu
Summus cóndidit ártifex.

Aureis arca vetus fúlserit úndique
Scintillans radiis: hæc vacuas decent
Umbras: interior Núminis ipsius
Arcam nobilitas decet.

Non hìc manna latet, légifer aut lapis,
Non ramus sterilis: flos viget hìc ferax
Virtútum; sacer hìc panis, Homo-Deus,
Hìc legis residet dator.

Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio,
Ambórum sit idem Spirítui decus,
Arcánis habilem qui thalamum modis
Christo præparat hóspiti. Amen.

℣. Justítia & judícium præparátio sedis tuæ, Dómine; ℟. Misericórdia & véritas præcédent fáciem tuam. *Ps.* 88.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Erit germen Dómini in magnificéntiâ & glóriâ, & fructus terræ sublimis. *Isai.* 4.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 588.

¶ *Doxologia sequens ad Horas dicitur.*

Qui natus es de Vírgine,
Jesu tibi sit glória;
Cum Patre, & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Venite. *Ant.* Fílium Dei factum ex muliere, ut adoptiónem reciperémus filiórum; * Veníte, adorémus. *Gal.* 4.

Hymnus. *S. V.*

Vatum patent orácula
Promissa priscis Pátribus
En Virgo, quæ gravis Deo,
Nobis parem parit Deum.

Toto quid orbe par fuit,
Virgo parens, Homo-Deus?
Quo náscitur partu puer,
Hoc náscitur mundi salus.

Ut nocte caligántibus
Cœleste lumen témperet,
Velo tegi vult córporis;
Hoc, Virgo, velum præparas.

Quod prima mater pérdidit,
Mater reformas áltera:
Mors ipsa nobis prófuit,
Dum vita per te rédditur.

O Virgo, quanta núntias
Mundo gementi gáudia!
Dum te Creantis Filii
Mater futúra násceris!

Per te Deo conjúngimur,
Cui corpus aptasti Parens:
Per te Dei nos filii,
Per te Dei fratres sumus.

Sit Trinitáti glória
Verbo Dei quæ débitam
Matrem replens virtútibus,
Orbis salúti cónsulit.
Amen.

## *IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Dixit Dóminus ad Abram: Benedícam benedicéntibus tibi, atque in te benedicentur universæ cognatiónes terræ. *Gen.* 12.

II. Nec ultra vocábitur nomen tuum Abram, sed vocáberis Abraham, quia patrem multárum géntium constítui te. *Gen.* 17.

III. Reges ex te egredientur, & státuam pactum meum inter me & te, & semen tuum post te. *Gen.* 17.

IV. Non celáre pótero Abrahã quæ gestúrus sum, cum futúrus sit in gentem magnam, & benedicendæ sint in illo omnes natiónes terræ. *Gen.* 18.

V. Per memetipsum jurávi, dicit Dóminus, benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ. *Gen.* 22.

VI. Crédidit Abraham Deo, & reputátum est illi ad justítiam. *Gen.* 15.

℣. Memor fuit Dóminus in séculum testamenti sui, ℟. Quod dispósuit ad Abraham, & juramenti sui ad Isaac. *Ps.* 104.

*Lectiones cum* ℟℟. *de Scripturâ occurrente.*

## *IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Dixit Deus ad Abraham: Sara uxor tua páriet tibi Filium, vocabisque nomen ejus Isaac. *Gen.* 17.

II. Constítuam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & sémini ejus post eum. *Gen.* 17.

III. Appáruit Isaac Dóminus, & ait: Multiplicábo semen tuum sicut stellas cœli, & benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ. *Gen.* 26.

IV. Dixit Dóminus ad Jacob : Erit semen tuum quasi pulvis terræ. *Gen.* 28.

V. Dilatáberis ad Occidentem & Orientem, & Septentriónem & Merídiem, & benedicentur in te & in sémine tuo cunctæ tribus terræ. *Gen.* 28.

VI. Ero custos tuus quocumque perréxeris, & redúcam te in terram hanc : nec dimittam nisi complévero universa quæ dixi. *Gen.* 28.

℣. Státuit verbum suum Jacob in præceptum, ℟. Et Israel in testamentum æternum. *Ps.* 104.

LECTIO V.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri. *In Cap.* 1. *Luc. apud Alcuin.*

MAgníficat ánima mea Dóminum ; & exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Quæ cùm ómnibus perfectis verba convéniant, máximè tamen ea beátam Dei Genitrícem proferre decébat, quæ mériti privilégio singuláris, spirituáli ipsíus dilectióne flagrábat, cujus corporáli conceptióne gaudébat. Quæ jure in Jesu, id est, in Salvatóre suo speciáli præ cæteris Sanctis gáudio pótuit exsultáre : quia quem perpétuum salútis autórem nóverat, hunc ipsum & temporáli ortu de carne suâ nascitúrum esse sciébat, quátenus in unâ eâdemque persónâ & suus fílius esset & Dóminus.

℟. Benedícam tibi, complens juramentum quod spopondi Abraham patri tuo : * Et benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ. ℣. Beáta quæ credidisti, quóniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. * Et. *Gen.* 26. *Luc.* 1.

LECTIO VI.

QUàm vília de seipsâ sénserit édocet, & quod omne quidquid boni mériti hábuit, hoc supernâ grátiâ largiente percéperit, dicens : Quia respexit humilitátem ancillæ suæ ; ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Húmilem quippe Christi ancillam suo judício se fuisse demonstrat : sed respectu grátiæ cœlestis repentè sublimátam pronúntiat ; atque in tantum glorificátam, ut sua beatitúdo præcípua mérito cunctárum géntium voce mirétur. Addidit étiam adhuc divínæ pietátis múnera, quæ mirabíliter accépit, dignâ gratiárum actióne colláudans ; Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. Nihil ergo suis méritis tríbuit, quæ totam suam magnitúdinem ad illíus do-

num refert, qui essentiáliter potens & magnus exsistens, fidéles suos de parvis atque infirmis, fortes fácere consuévit & magnos.

℟. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperantes in se; * Et in me ancillâ suâ adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel. ℣. Ecce ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est; * Et. *Judith*, 13. *Luc.* 1.

LECTIO VII.

Sermo sancti Bernardi Abbátis. *De* 12. *Prærogativis B. M. V. Edit. Ben.*

OBsecro vos, filíoli, æmulámini mansuetúdinem, si Maríam dilígitis; si conténditis ei placére, æmulámini modéstiam ejus. Nihil enim tam idóneum hómini, nihil tam cóngruum Christiáno, maximéque mónachum nihil ádeo decet: & quidem manifesta satis in Vírgine ex hâc ipsâ mansuetúdine virtus humilitátis élucet. Nimírum collactáneæ sunt humílitas & mansuetúdo. Sicut enim mater præsumptiónis elátio, sic mansuetúdo vera nonnísi ex verâ humilitáte procédit.

℟. Magníficat ánima mea Dóminum; & exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo: * Quia respexit humilitátem ancillæ suæ. ℣. In Dómino laudábitur ánima mea: áudiant mansuéti, & læténtur; * Quia. *Luc.* 1. *Ps.* 33.

LECTIO VIII.

SEd cùm in suâ æstimatióne tam húmilis esset, nihilóminus & in promissiónis credulitáte magnánimis, ut quæ nihil áliud quàm exíguam sese reputábat ancillam, ad incomprehensíbile hoc mystérium nullátenus se dubitáret electam, & veram Dei & hóminis Genitrícem créderet mox futúram. Agit hoc nimírum in córdibus electórum grátiæ prærogatíva divínæ, ut eos nec humílitas pusillánimes fáciat, nec magnanímitas arrogantes: magis autem cooperentur sibi, ut non solùm nulla ex magnanimitáte subintret elátio, sed hinc máximè provehátur humílitas: ut inveniantur eò ampliùs timoráti, & largitóri múnerum non ingráti, ac vicissim ex occasióne humilitátis pusillanímitas nulla subrépat; sed quò minùs de suâ quisque vel in mínimis præsúmere consuévit, eò ampliùs étiam in magnis quibusque de divínâ virtúte confídat.

℟. Benedíxit te Dóminus in virtúte suâ; * Quia per te ad níhilum redégit

inimícos nostros. ℣. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui; * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Judith*. 13. *Luc*. 1.

## IN III. NOCTURNO.

*Cant. Ant.* ℣. *Lectiones & ℟℟. suprà in festo Visitationis, pag. 494.*

EVANGELIUM.

Inítium sancti Evangélii secundùm Matthæum. *Cap.* 1.

LIber generatiónis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Judam, & fratres ejus. Judas autem génuit Phares, & Zaram de Thamar. Phares autem génuit Esron. Esron autem génuit Aram. Aram autem génuit Amínadab. Amínadab autem génuit Naasson. Naasson autem génuit Salmon. Salmon autem génuit Booz de Rahab. Booz autem génuit Obed ex Ruth. Obed autem génuit Jesse. Jesse autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem, ex eâ quæ fuit Uriæ. Sálomon autem génuit Róboam. Róboam autem génuit Abíam. Abías autem génuit Asa. Asa autem génuit Jósaphat. Jósaphat autem génuit Joram. Joram autẽ génuitOzíam. Ozías autem génuit Jóatham. Jóatham autem génuit Achaz. Achaz autem génuit Ezechíam. Ezechías autem génuit Manassen. Manasses autem génuit Amon. Amon autem génuit Josíam. Josías autem génuit Jechóniam & fratres ejus, in transmigratióne Babylónis. Et post transmigratiónem Babylónis, Jechónias génuit Saláthiel. Saláthiel autem génuit Zoróbabel. Zoróbabel autem génuit Abíud. Abíud autem génuit Elíacim. Elíacim autem génuit Azor. Azor autem génuit Sadoc. Sadoc autem génuit Achim. Achim autem génuit Elíud. Elíud autem génuit Eléazar. Eléazar autem génuit Mathan. Mathan autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de quâ natus est Jesus, qui vocátur Christus.

## AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. ORiétur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel. *Num.* 24.

II. De Jacob erit qui dominétur, & perdat relíquias civitátis. *Num.* 24.

III. Egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascendet. *Isai.* 11.

IV. Erit radix Jesse, & qui exsurget régere gentes, in eum gentes sperábunt. *Rom.* 15.

V. Requiéscet super eum spíritus Dómini, & replébit eum. *Isai.* 11.

Lectio. *Jerem.* 23.

ECce dies véniunt, dicit Dóminus; † & suscitábo David germen justum; & regnábit Rex, & sápiens erit; * & fáciet judícium & justítiam in terrâ.

℟. *br.* Propter David servum tuum, * Non avertas fáciem Christi tui. ℟. Propter. ℣. Surge, Dómine, in réquiem tuam. * Non. ℣. Glória. ℟. Propter. *Ps.* 131.

Hymnus. *C.*

MOrtále cœlo tolle genus caput:
En noctis horror désiit; en jubar
Nascentis auróræ propinquum
Admonuit properáre solem.

Sacro tumentes gérmine jam polus
Terras amícis ímbribus írrigat:
De stirpe Jesse virga surgit
Conspicuum paritura florem.

Cœlestis illum grátia Spíritûs
Inunget: illi Justitia & Fides,
Timorque castus, Veritasque,
Et Pietas comites præíbunt.

Hunc ergo quem tot secla fidélibus
Votis anhélant, quem misero Deus
Promísit orbi, spem salútis,
Accélera, pia Virgo, fructum.

Sit Trinitáti perpetuum decus,
Inflicta mundo quæ miserans mala,
In Matre pignus nascitúri
Non dubium dat habére Christi. Amen.

℣. Jurávit Dóminus David veritátem, & non frustrábitur eam: ℟. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. *Ps.* 131.

*Ad* Benedíctus. *Ant.* Evangélium promíserat Deus per prophétas suos in Scriptúris sanctis de Fílio suo, qui factus est ei ex sémine David, secundùm carnem. *Rom.* 1.

Collecta. *Brev. Paris.*

DEus, qui in beneplácito tuo mundum tibi reconciliáre voluisti: † præsta, quæsumus, ut qui Nativitátem Vírginis Maríæ, de quâ natus est nobis Christus Salvátor, cum gáudio celebrámus, * ipsam quam Fílius ejus operátus est salútem, Matris intercessióne consequámur; Per eumdem.

AD PRIMAM.

Canon.

Ex Concílio Florentíno. *An.* 1441. *Decret. Eugenii Papæ pro Jacob.*

SAcro-Sancta Románæ Ecclésia ampléctitur, approbat, & súscipit san-

etiam primam Ephesínam Synodum ducentórum Patrum, quæ tértia est in órdine universálium Synodórum, in quâ ímpii Nestórii est damnáta blasphemía, diffinitumque, est Dómini nostri Jesu Christi veri Dei & veri hóminis unam esse persónam; & beátam Maríam semper Vírginem non solum Christotókon, sed étiam THEOTÓKON; hoc est, non tantùm hóminis, sed Dei Genitrícem ab omni Ecclésiâ prædicandam.

AD TERTIAM.

Lectio. *Act.* 3.

VOs estis filii Prophetárum, † & testamenti quod dispósuit Deus ad patres nostros, * dicens ad Abraham: Et in sémine tuo benedicentur omnes famíliæ terræ.

℣. Firmamentum est Dóminus timéntibus eum, ℟. Et testamentum ipsíus ut manifestétur illis. *Ps.* 24.

AD SEXTAM.

Lectio. *Rom.* 9.

NOn omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelítæ; neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii; † sed in Isaac vocábitur tibi semen: * Id est, non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui filii sunt promissiónis, æstimantur in sémine.

℣. Dóminus fáciens misericórdiam Christo suo David; ℟. Et sémini ejus usque in séculum. *Ps.* 17.

AD NONAM.

Lectio. *Rom.* 9.

SUnt Israelítæ, quorum adóptio est filiórum, & glória & testamentum, & legislátio, & obséquium, & promissa; † quorum Patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, * qui est super ómnia Deus benedictus in sécula. Amen.

℟. Deo grátias.

℣. Qui timétis Dóminum, laudáte eum: ℟. Universum semen Jacob, glorificáte eum. *Ps.* 21.

AD II. VESPERAS.

*Psalmi et Ant.*

I. *Ps.* 109. Dixit Dóminus, *pag.* 28.

*Ant.* Laudáte cœli, & exsulta terra, quia consolátus est Dóminus pópulum suum, & páuperum suórum miserébitur. *Isai.* 49.

II. *Ps.* 112. Laudáte púeri Dóminum, *pag.* 30.

*Ant.* Salus mea, in sempiternum erit, dicit Dóminus, & justítia mea in generatiónes seculórum. *Isai.* 51.

III. *Ps.* 121. Lætátus sum, *pag.* 75.

*Ant.* Consurge, indúere fortitúdinem bráchium Dómini: Consurge sicut in diébus antíquis, in generatiónibus seculórum. *Is.* 51.

IV. *Ps.* 147. Lauda Jerúsalem Dóminum, *pag.* 120.

*Ant.* Parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntium, & vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri. *Isai.* 52.

Lectio. *Apoc.* 21.

ECce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis: † & ipsi pópulus ejus erunt; * & ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

℟. *br.* Misericórdia & véritas * Obviavérunt sibi. ℟. Misericórdia. ℣. Justítia & pax osculátæ sunt. * Obviavérunt. ℣. Glória. ℟. Misericórdia. *Ps.* 84.

Hymnus. *C.*

UNus bonórum fons, Deus, ómnium,
Quàm liberáli fundis opes manu!
Non ante concessis Maríam
Quot properas cumuláre donis.

Inter rigentes, ceu rosa cláuditur
Spinas, & acres vincit acúleos;
Præsens amáram virulenti
Grátia vim fruticis retundit.

Quantùm pudícas inclyta vírgines
Præstat, remóto quæ dóminam gradu
Sequuntur, & Regis parentem
Sidereâ comitantur aulâ!

Nec Angelórum par decus: hi Deo
Adstant sedenti; fert Hominem-Deum
María; nomen dulce Matris
Virgíneo socians honóri.

Regína mundi, Virgo, cliéntium
Tutéla, mœstis perfugium reis,
Fer nostra Nato vota: tristem
Non patitur Genitrix repulsam.

Sit Trinitáti perpetuum decus,
Inflicta mundo quæ miserans mala,
In Matre pignus nasciturí
Non dubium dat habére Christi. Amen.

℣. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo; ℟. In generatiónem & generatiónem annuntiábo veritátem tuam. *Ps.* 88.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Dabis, Deus, veritátem Jacob, misericórdiam Abraham: quæ jurasti pátribus nostris à diébus antíquis. *Mich.* 7.

---

*IN EXALTATIONE*
SANCTÆ CRUCIS.
*Solemnitas III. Classis.*

---

AD I. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. RAdix Jesse, qui stat in signum populórum, ipsum Gentes depre-

cabuntur, & erit sepulcrum ejus gloriósum. *Isai.* 11.

II. Factus est principátus super húmerum ejus: & vocábitur nomen ejus, Deus, fortis. *Isai.* 9.

III. Levábit signum in natiónes, & congregábit prófugos Israel. *Isai.* 11.

IV. Exaltávi lignum húmile, & frondére feci lignum áridum: Ego Dóminus locútus sum, & feci. *Ezech.* 17.

LECTIO. *Galat.* 3.

CHristus nos redémit de maledícto legis, factus pro nobis maledíctum; † quia scriptum est: Maledíctus omnis qui pendet in ligno; * ut in Géntibus benedíctio Abrahæ fíeret in Christo Jesu.

℟. *br.* Cantáte Dómino, * Et benedícite nómini ejus. ℟. Cantáte. ℣. Annuntiáte de die in diem salutáre ejus. * Et. ℣. Glória. ℟. Cantáte. *Ps.* 95.

HYMNUS. *S. V.*

CRux alma salve, Crux venerábilis,
Torrente Christi sánguinis ébria;
Testis dolórum, tu supréma
Verba Dei morientis audis.

Tu celsa sedes, unde suos docet;
Vitális in quo nos peperit thorus:
Currus triumphantis, tribúnal
Júdicis, atque litantis ara.

Non rapta cæsis hóstibus ímpia
Hic arma fulgent, nec domiti duces
Graves caténis hic trahuntur:
Nobilior Crucis est triumphus.

Orbis redempti quália pígnora!
Crux tincta Christi sánguine adhuc madet:
Speráte, mortáles; salútem
Plena necis monumenta præstant.

Crux certa cœli sémita, quæ Patris
Thronum petenti pandis iter Deo:
Nunc álterâ nobis nefas est
Ire viâ malè delicátos.

Laus summa Patri, qui creat ómnia:
Natóque mundum qui reparat Cruce:
Qui cuncta replet, summa Sancto
Spiritui: tribus una semper. Amen.

℣. Notam fecisti in pópulis virtútem tuã. ℟. Redemisti in bráchio tuo pópulum tuum. *Ps.* 76.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Sic scriptum est, & sic oportébat Christum pati, & resúrgere à mórtuis tértiâ die, & prædicári in nómine ejus pœniténtiam, & remissiónem peccatórum in omnes gentes. *Luc.* 24.

*Collecta infrà ad Laudes, pag.* 600.

¶ *Doxologia sequens ad Horas dicitur,*

¶ Qui per Crucem nos liberas,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre, nec tibi minor
Laus, utriusque Spíritus.
Amen.

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Jesum, propter passiónem mortis, glóriâ & honóre coronátum; * Veníte, adorémus. *Hebr.* 2.

HYMNUS. *Guieti.*

Lignum Crucis mirábile
Totum per orbem próminet,
In quâ pependit ínnocens
Christus, Redemptor ómnium.

Hanc nulla cedrus árborem
Adæquat alto vértice,
Quæ poma nescit nóxia,
Sed ferre vitæ præmia.

Tu, Christe, Rex piíssime,
Hujus Crucis signáculo,
Diébus, horis ómnibus,
Muníre nos non ábnuas.

Ut lingua cordi cónsona,
Comesque cordis púritas,
Laudis tibi perénniter
Munus rependat débitum.

Sit Trinitáti glória;
Tibi, Pater, qui Fílii
Mundum redemptum sánguine
Sancto reformas Spíritu.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

*Ant.* I. Benedictum est lignum, per quod fit justítia. *Sap.* 14.

II. Ab inítio, cùm períerent superbi gigantes, spes orbis terrárum ad ratem confúgiens, remísit século semen nativitátis. *Sap.* 14.

III. Cùm aqua deléret terram, sanávit íterum sapiéntia, per contemptíbile lignum justum gubernans. *Sap.* 10.

IV. Dóminus ostendit Móysi lignum; quod cùm misisset in aquas, in dulcédinem versæ sunt. *Exod.* 15.

V. Mórsibus colubrórum exterminabantur; sed ad correptiónem in brevi turbáti sunt, signum habentes salútis. *Sap.* 16.

VI. In hoc ostendisti inimícis nostris, quia tu es qui líberas ab omni malo. *Sap.* 16.

℣. In te, Dómine, speravérunt patres nostri: ℟. Speravérunt, & liberasti eos. *Ps.* 21.

LECTIO I.

Ex Libro Exodi. *Cap.* 15.

Tulit Móyses Israel de mari Rubro, & egressi sunt in desertum Sur, ambulaveruntque tribus diébus per solitúdinem, & non inveniébant aquam. Et venérunt in Mara; nec póterant bíbere aquas de Mara, eo quòd essent amáræ. Unde & cóngruum loco

nomen impósuit, vocans illum Mara, id est, amaritúdinem. Et murmurávit pópulus contra Móysen dicens: Quid bibémus? At ille clamávit ad Dóminum, qui ostendit ei lignum, quod cùm misisset in aquas, in dulcédinem versæ sunt.

℟. Quóniam potens es, Dómine, ex ómnibus salváre; transeuntes mare hómines, * Exíguo ligno liberáti sunt. ℣. Quem vos interemistis, suspendentes in ligno, hunc príncipem Deus exaltávit, ad dandam pœniténtiam Israëli. * Exíguo. *Sap.* 14. *Act.* 5.

LECTIO II. *Cap.* 17.

VEnit Amalec, & pugnábat contra Israel in Ráphidim. Dixitque Móyses ad Jósue: Elige viros: & egressus pugna contra Amalec: Móyses autem & Aaron & Hur ascendérunt super vérticem collis: cùmque leváret Móyses manus, vincébat Israel: sin autem páululum remisisset, superábat Amalec.

℟. In diébus carnis suæ * Preces supplicationesque cum lácrymis ófferés Christus, exaudítus est; & factus est obtemperántibus sibi causa salútis ætérnæ. ℣. Cùm leváret Móyses manus, vincébat Israel. *Preces. *Hebr.* 5. *Exod.* 17.

LECTIO III.

MAnus autem Móysi erant graves: suméntes ígitur lápidem, posuérunt subter eum, in quo sedit. Aaron autem & Hur sustentábant manus ejus ex utrâque parte. Et factum est ut manus illíus non lassarentur usque ad occásum solis. Fugavitque Jósue Amalec & pópulum ejus in ore gládii. Dixit autem Dóminus ad Móysen: Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade áuribus Jósue: delébo enim memóriam Amalec sub cœlo.

℟. Fugávit Jósue Amalec; ædificavitque Móyses altáre, & vocávit nomen ejus, Dóminus exaltátio mea; dicens: * Quia manus sólii Dómini erit contra Amalec, à generatióne in generatiónem. ℣. Participávit Christus carni & sánguini, ut per mortem destrúeret eum qui habébat mortis impérium, id est, diábolum: * Quia. *Exod.* 17. *Hebr.* 2.

LECTIO IV.

Ex Libro Númeri. *Cap.* 21.

LOcútus pópulus contra Deum & Móysen, ait: Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moterémur in solitúdine? Deest panis, non sunt aquæ: ánima nostra jam náuseat super cibo isto levíssimo. Quamóbrē misit Dóminus ignítos ser-

pentes in pópulum, ad quorum plagas & mortes plurimórum, venérunt ad Móysen, atque dixérunt: Peccávimus, quia locúti sumus contra Dóminum & te: ora ut tollat à nobis serpentes. Oravitque Móyses pro pópulo, & locútus est Dóminus ad eum: Fac serpentem æneū, & pone eum pro signo: qui percussus adspéxerit eum, vivet.

℟. Sicut Móyses exaltávit serpentem in deserto, * Ita exaltári oportet Fílium hóminis; † Ut omnis qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam ætemam. ℣. Fecit Móyses serpentem æneum, & pósuit eum pro signo; quem cùm percussi adspícerent, sanabantur; * Ita. ℣. Glória. † Ut. *Joan.* 3. *Num.* 21.

## *IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Erit sanguis Agni vobis in signum in ædibus in quibus éritis, & vidébo sánguinem, & transíbo vos. *Exod.* 12.

II. Hoc signum est inter me & vos in generatiónibus vestris, signumque perpétuum. *Exod.* 31.

III. Pónite hoc in córdibus vestris: suspéndite pro signo in mánibus; & inter óculos vestros collocáte. *Deut.* 11.

IV. Signa Thau super frontes virórum geméntium super cunctis abominatiónibus Jerúsalem. *Ezech.* 9.

V. Transíte per civitátem & percútite: omnem autem super quem vidéritis Thau, ne occidátis. *Ezech.* 9.

VI. Nolíte nocére terræ & mari, quoadusque signémus servos Dei nostri in fróntibus eórum. *Apoc.* 7.

℣. Dómine, fac mecum signum in bonum: ℟. Ut vídeant qui odérunt me, & confundantur. *Ps.* 85.

LECTIO V.

Sermo sancti Leónis Papæ. *Serm. 57 de Passione Dom. 8. Edit. Paris. Cap. 6.*

Exaltáto, dilectíssimi, per crucem Christo, non illa tantùm spécies adspéctui mentis occurrat, quæ fuit in óculis impiórum quibus per Móysen dictum est: Et erit pendens vita tua ante óculos tuos, & timébis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ. Isti enim nihil in crucifixo Dómino præter fácinus suum cogitáre potuérunt, habentes timórem, non quo fides vera justificátur, sed quo consciéntia iníqua torquétur. Noster verò intelléctus, quem Spíritus veritátis illúminat, glóriam crucis cœlo terrâque radiantem, puro ac líbero corde suscípiat, & interióre ácie

videat, quale sit quod Dóminus, cùm de passiónis suæ loquerétur instántiâ, dixit: Nunc judícium mundi est, nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs, & ego si exaltátus fúero à terrâ, ómnia traham ad me.

℟. Sanábo contritiónes eórum, díligam eos spontáneè, quia aversus est furor meus ab eis: * In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis. ℣. Ego si exaltátus fúero à terrâ, ómnia traham ad meipsum. * In. *Osee*, 14 & 11. *Joan.* 12.

Lectio VI. *Cap.* 7.

O Admirábilis poténtia crucis! ô ineffábilis glória passiónis! in quâ & tribúnal Dómini, & judíciũ mundi, & potestas est Crucifixi. Traxisti enim, Dómine, ómnia ad te, & cùm expandisses totâ die manus tuas ad pópulum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ majestátis tuæ sensum totus mundus accépit. Traxisti, Dómine, ómnia ad te, cùm in exsecratiónem Judáici scéleris unam protulérunt ómnia elementa senténtiam. Traxisti, Dómine, ómnia ad te, quóniam scisso templi velo, sancta sanctórum ab indignis pontificibus recessérunt: ut figúra in veritátem, prophetía in manifestatiónem, & Lex in Evangélium verterétur.

℟. Ecce levábo ad Gentes manum meam, & ad pópulos exaltábo signum meum: * Et sciet omnis caro, quia ego Dóminus salvans te, & Redemptor tuus fortis Jacob. ℣. Cùm exaltavéritis Fílium hóminis, tunc cognoscétis quia ego sum; * Et. *Isai.* 49. *Joan.* 8.

Lectio VII.

TRaxisti, Dómine, ómnia ad te, ut quod in uno Judææ templo, obumbrátis significatiónibus tegebátur, pleno apertóque sacramento, universárum ubíque natiónum devótio celebráret. Nunc étenim & ordo clárior levitárum, & dígnitas ámplior seniórum, & sacrátior est únctio sacerdótum; quia crux tua ómnium fons benedictiónum, ómnium est causa gratiárum: per quam credéntibus datur virtus de infirmitáte, glória de oppróbrio, vita de morte.

℟. Hóstiæ quæ secundùm legem offeruntur, nunquam possunt auferre peccáta: * Christus autem unam pro peccátis ófferens hóstiam, unâ oblatióne consummávit in sempiternum sanctificátos. ℣. Sacrifícium & oblatiónem noluisti, Deus; holocaustum & pro peccáto non postu-

lasti : * Christus. *Hebr.* 10. *Ps.* 39.

Lectio VIII. *Cap.* 7 & 8.

Nunc étiam carnálium sacrificiórum varietáte cessante, omnes differéntias hostiárum una córporis & sánguinis tui implet oblátio : quóniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi : & ita in te universa pérficis mystéria, ut, sicut unum est pro omni víctimâ sacrifícium, ita unum de omni gente sit regnum. Confiteámur ígitur, dilectíssimi, quod beátus magister Géntium Paulus Apóstolus gloriósâ voce conféssus est, dicens : Fidélis sermo & omni acceptióne dignus, quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere. Hinc enim mirabílior est erga nos misericórdia Dei, quòd non pro justis, neque pro sanctis, sed pro iníquis & ímpiis Christus est mórtuus : & cùm mortis acúleum recípere non posset natúra deitátis, suscépit tamen, nascendo ex nobis, quod posset offerre pro nobis.

℟. Chirógraphum decréti, quod erat contrárium nobis, tulit de médio Christus, affígens illud cruci, * Et † Exspólians principátus & potestátes, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso. ℣. Factus est principátus super húmerum ejus; * Et. ℣. Glória. † Exspólians. *Coloss.* 2. *Isai.* 9.

## *IN III. NOCTURNO.*

I. Canticum. *Sap.* 16.

*Hebræi serpentum morsu castigati, & æneo serpente erecto sanati, Hominis per peccatum vulnerati & per crucem liberati, typus.*

Populo tuo, Dómine, supervénit sæva bestiárum ira, * mórsibus perversórum colubrórum exterminabantur.

Sed non in perpétuum ira tua permansit, * sed ad correptiónem in brevi turbáti sunt,

Signum habentes salútis, * ad commemoratiónem mandáti legis tuæ.

Qui enim conversus est, non per hoc quod vidébat sanabátur, * sed per te ómnium Salvatórem.

In hoc autem ostendisti inimícis nostris, * quia tu es qui líberas ab omni malo.

Illos enim locustárum & muscárum occidérunt morsus, & non est inventa sánitas ánimæ illórũ; * quia digni erant ab hujuscémodi exterminári.

II. Canticum.

Filios autem tuos, Dómine, nec dracónum venenatórum vicérunt den-

-tes;* misericórdia enim tua advéniens sanábat illos.

In memóriâ enim sermónum tuórum examinabantur, * & velóciter salvabantur;

Ne in altam incidentes obliviónem, * non possent tuo uti adjutório.

Etenim neque herba, neque malagma sanávit eos; * sed tuus, Dómine, sermo, qui sanat ómnia.

III. CANTICUM.

TU es enim, Dómine, qui vitæ & mortis habes potestátem, * & dedúcis ad portas mortis, & redúcis.

Homo autem occídit quidem per malítiam; * & cùm exíerit spíritus, non revertétur:

Nec revocábit ânimam quæ recepta est; * sed tuam manum effúgere impossíbile est.

Negantes enim te nosse ímpii, * per fortitúdinem bráchii tui flagelláti sunt.

*Ant.* Salva nos, Deus, Salvátor noster, & côngrega nos, & érue de géntibus; ut confiteámur nómini sancto tuo, & exsultémus in carmínibus tuis. *I. Paral.* 16.

℣. Deus noster, Deus salvos faciendi, ℟. Et Dómini Dómini éxitus mortis. *Ps.* 67.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 1.

NOn misit me Christus baptizáre, sed evangelizáre: non in sapiéntiâ verbi, ut non evacuétur crux Christi. Verbum enim crucis pereúntibus quidem stultítia est; iis autem qui salvi fiunt, id est, nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapiéntiam sapiéntium, & prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? ubi scriba? ubi conquisítor hujus séculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi?

℟. Si quis vidétur inter vos sápiens esse in hoc século, stultus fiat, ut sit sápiens. * Sapiéntia enim hujus mundi, stultítia est apud Deum. ℣. Quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confundat sapientes; * Sapiéntia. *I. Cor.* 3 & 1.

LECTIO X.

NAm quia in Dei sapiéntiâ non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum: plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credentes. Quóniam & Judæi signa petunt, & Græci sapiéntiam quærunt: nos autem prædicámus Christum crucifixum: Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam;

ipsis autem vocátis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtútem, & Dei sapiéntiam. Quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus; & quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus.

℟. Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta, * Ad cognoscéndum illum, & virtútem resurrectiónis ejus, & societátem passiónum illius. ℣. Exístimo ómnia detriméntum esse, propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei, propter quem ómnia detriméntum feci. * Ad. *Philip.* 3.

LECTIO XI.

Vidéte enim vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nóbiles. Sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confundat sapientes: & infírma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia; & ignobília mundi, & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret; ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia à Deo, & justítia, & sanctificátio, & redémptio, ut quemádmodum scriptum est: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

℟. Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi, * Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. ℣. In Dómino gaudébo, & exsultábo in Deo Jesu meo, * Per quem. *Galat.* 6. *Habac.* 3.

LECTIO XII. *Cap.* 2.

Et ego, cùm venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis, aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitáte & tremóre multo fui apud vos. Et sermo meus, & prædicátio mea, non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritûs & virtútis: ut fides vestra non sit in sapiéntiâ hóminum, sed in virtúte Dei. Sapiéntiam autem lóquimur inter perfectos; sapiéntiam verò non hujus séculi, neque príncipum hujus séculi, qui destruuntur; sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sécula in glóriam nostram. Quam nemo príncipum hujus séculi cognóvit: si enim cognovissent, nun-

quam Dóminum glóriæ crucifixiſſent.

℟. Legi mórtuus ſum, ut Deo vivam: * Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me, & trádidit ſemetipſum pro me. ℣. Chriſto confixus ſum cruci: vivo autem, jam non ego: vivit verò in me Chriſtus. * Quod. ℣. Glória. * Quod. *Galat.* 2.

EVANGELIUM.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Joannem.

*Cap.* 12.

DIxit Jeſus turbis Judæórum: Nunc judícium eſt mundi: nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs. Et ego ſi exaltátus fúero à terrâ, ómnia traham ad me ipſum. (Hoc autem dicébat, ſigníficans quâ morte eſſet moritúrus.) Reſpondit ei turba: Nos audívimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum: & quómodo tu dicis: Oportet exaltári Fílium hóminis? Quis eſt iſte Fílius hóminis? Dixit ergo eis Jeſus: Adhuc módicum lumen in vobis eſt. Ambuláte dum lucem habétis, ut non vos ténebræ comprehendant: & qui ámbulat in ténebris, neſcit quò vadat. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut filii lucis ſitis.

AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. CHriſtus mórtuus eſt pro peccátis noſtris, & reſurrexit tértiâ die ſecundùm Scriptúras. *I. Cor.* 15.

II. Delens quod adversùs nos erat chirógraphum decréti, quod erat contrárium nobis, & ipſum tulit de médio, affígens illud cruci. *Coloſſ.* 2.

III. Complácuit per eum reconciliáre ómnia in ipſum, pacíficans per sánguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt. *Coloſſ.* 1.

IV. Ipſe eſt pax noſtra, ſolvens inimicítias in carne ſuâ, ut reconcíliet Deo per crucem. *Epheſ.* 2.

V. Verbum crucis pereúntibus quidem ſtultítia eſt; iis autem qui ſalvi fiunt, id eſt, nobis, Dei virtus eſt. *I. Cor.* 1.

LECTIO. *I. Cor.* 1.

PRædicámus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcándalum, Géntibus autem ſtultítiam; ipſis autem vocátis Judæis atque Græcis, Chriſtum Dei virtútem, & Dei ſapiéntiam.

℟. *br.* Remiſiſti, Dómine, * Iniquitátem plebis tuæ. ℟. Remiſiſti. ℣. Operuiſti ómnia peccáta eórum. * Iniquitátem. ℣. Glória. ℟. Remiſiſti. *Pſ.* 84.

HYMNUS. S. V.

Unica Crux Dei cruóre,
Quam potens & éfficax!
[illegible]
[illegible]:
[illegible]
Tanta vis [illegible] Crucis!
Publici fontes salútis,
Sacra Christi vúlnera,
Vulnerátos illa sanant
Anguis instar æréi:
Quisquis æger speret, & spe
Non suâ fraudábitur.
Crux, tribúnal quo sedébit
Justus ultor críminum;
Sponte sed nos judicémus,
Cedet ira júdicis;
Nosque primi puniámus,
Ne secundus púniat.
Totíus Fons sanctitátis,
Sancta quo sunt ómnia,
Qui tuo quodcumque crimen
Expiasti sánguine,
Labe puros, Christe, serves
Christiános móribus.
Sempiterna laus Parenti
Qui creávit ómnia;
Filióque, qui redémit
Morte nos volens suâ:
Par & illi cujus almo
Recreámur hálitu. Amen.

℣. Dícite in Géntibus, quia Dóminus regnávit à ligno. ℟. Judicábit pópulos in æquitáte. *Ps.* 95. *Sec. LXX.*

*Ad* Benedíctus. *Ant.* Parébit signum Fílii hóminis in cælo; & vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus cæli, cum virtúte multâ & majestáte. *Matth.* 24.

COLLECTA. *Brev. Clun.*

Dómine Deus, qui discípulis tuis mortem tuam signíficans, te exaltátum à terrâ, ad te ómnia tractúrum prænuntiásti; da nobis, quæsumus, ut Crucifíxo configurári gaudéntes, * non nisi in ipsâ tuâ Cruce gloriári; Qui vivis & regnas.

*Fit Commemoratio* S. CORNELII, PAPÆ & MARTYRIS.

*Collecta.* Deus, cujus grátiâ. *de Communi unius Martyris Pontif. pag.* xvj.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Nicæno secúndo. *An.* 787.

Sequentes divínitus inspirátum sanctórum Patrum nostrórum magistérium, & Cathólicæ traditiónem Ecclésiæ (nam Spíritûs sancti hanc esse nóvimus, qui nimírum in ipsâ inhábitat) definímus in omni certitúdine ac diligéntiâ, sicut figúram pretiósæ ac vivíficæ Crucis, ita venerábiles ac sanctas imágines proponendas, tam vidélicet imáginem Dómini Dei & Salvatóris nostri Jesu Christi,

Christi, quàm intemerátæ Dóminæ nostræ sanctæ Dei Genitrícis, honorabiliúmque Angelórum, & ómnium Sanctórum simul & bonórum virórum. Ita ut istis, sícuti figúræ pretiósæ ac vivíficæ Crucis, & sanctis Evangéliis, & réliquis sacris monuméntis, incensórum & lúminum oblátio ad harum honórem efficiendum exhibeátur, quemádmodum & antíquis piæ consuetúdinis erat. Imáginis enim honor ad primitívum transit: & qui adórat imáginem, adórat in eâ depícti subsisténtiam.

AD TERTIAM.

Lectio. *Ephes.* 1.

In Christo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, † secundùm divítias grátiæ ejus, * quæ superabundávit in nobis.

℣. Copiósa apud eum redémptio, ℟. Et ipse rédimet Israel ex ómnibus iniquitátibus ejus. *Ps.* 129.

AD SEXTAM.

Lectio. *Hebr.* 2.

Vidémus Jesum, propter passiónem mortis, glóriâ & honóre coronátum, ut grátiâ Dei pro ómnibus gustáret mortem. † Decébat enim eum, propter quem ómnia, & per quem ómnia, qui multos fílios in glóriam addúxerat, * autórem salútis eórum per passiónem consummáre.

℣. Minuisti eum paulò minùs ab Angelis, ℟. Glóriâ & honóre coronasti eum. *Ps.* 8.

AD NONAM.

Lectio. *Philip.* 2.

Humiliávit semetipsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. † Propter quod & Deus exaltávit illum, * & donávit illi nomen quod est super omne nomen.

℣. Exsultábunt lábia mea, cùm cantávero tibi, ℟. Et ánima mea quam redemisti. *Ps.* 70.

AD II. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. Christus crucifixus est ex infirmitáte; sed vivit ex virtúte Dei. *II. Cor.* 13.

II. Nos infirmi sumus in illo, sed vivémus cum eo ex virtúte Dei. *II. Cor.* 13.

III. Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti, & ultrà non serviámus peccáto. *Rom.* 6.

IV. Si complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus, simul & resurrectiónis érimus. *Rom.* 6.

LECTIO. *I. Petr. 1.*

NOn corruptibílibus auro vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conversatióne paternæ traditiónis: † sed pretióso sánguine quasi Agni immaculáti Christi, * & incontamináti.

℟. *br.* In humilitáte nostrâ * Memor fuit nostrî. ℟. In. ℣. Et redémit nos ab inimícis nostris. * Memor. ℣. Glória. ℟. In. *Ps.* 135.

*Hymnus*, Crux alma, salve. *ut ad I. Vesperas, pag.* 591.

℣. Omnis terra adóret te, & psallat tibi; ℟. Psálmum dicat nómini tuo, Dómine. *Ps.* 65.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Dignus est Agnus, qui occísus est, accípere virtútem, & divinitátem, & sapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem. *Apoc.* 5.

---

QUATUOR TEMPORA *Septembris cum jejunio, celebrantur Feriâ IV, Feriâ VI & Sabbato post Festum Exaltationis S. Crucis.*

¶ *Officium fit de Feriâ, additis & exceptis quæ hìc in his tribus Fériis sunt propria.*

CANON

*Ad Dominicam quæ antecedit Quatuor Tempora Septembris.*

Ex Concílio Aquensi. *An.* 1585. *Tit. de Sacram. Ordinis.*

DOmínico illo die qui quátuor stata jejúnii témpora, quibus Ordinis Sacramentum ministrátur, próximè antecédit, Paróchi non solùm illud solemne jejúnium hujus rei causâ institútum denúntient: verùm étiam in suâ unusquisque eórum Parochiáli Ecclésiâ, pópulum éxcitet, ut illis ipsis statis jejúnii diébus frequens in oratióne, purè sanctéque versétur; ut tum Epíscopus in eórum delectu quibus Ordines cónferet, Spíritus Sancti lúmine illustrétur; tum illi quibus conferuntur, in vitæ sanctitáte, doctrínâ, religiosísque virtútibus profíciant.

---

FERIA QUARTA. QUATUOR TEMPORUM.

LECTIO III.

Sermo sancti Leónis Papæ. *Serm. 88 de Jejunio Septimi mensis. 5. Edit. Paris. Cap. 1.*

SAcrátum, dilectíssimi, in Séptimo mense Jejúniū ad commúnis devotiónis exercítia prædicámus, fi-

denter vos paternis cohortatiónibus incitantes, ut quod fuit ante Judáicum, vestrâ sit observántiâ Christiánum. Est enim omni témpore aptum, & testamento utríque convéniens, ut per castigatiónem mentis & córporis, misericórdia divína quærátur: quia nihil est efficácius ad exorandum Deum, quàm ut homo ipse se júdicet, & nunquam désinat à véniâ postulandâ, qui se scit nunquam esse sine culpâ. Habet enim hoc in se generáliter humána natúra, non à Creatóre ínsitum, sed à prævaricatóre contractum, & in pósteros generandi lege transfúsum, ut de corruptíbili córpore, étiam quod ánimam corrúmpere possit, oriátur. Hinc intérior homo, tametsi jam in Christo regenerátus, & à vínculis captivitátis est érutus, assíduos habet cum carne conflictus, & dum cóhibet concupiscentem, pátitur repugnantem. In quâ discórdiâ non fácilè obtinétur tam perfecta victória, ut étiam quæ sunt abrumpenda, non illigent, & quæ sunt interficienda, non vúlnerent.

℟. Vocávit nos Deus própriâ glóriâ & virtúte, ut efficiámini divínæ consortes natúræ; * Fugientes ejus quæ in mundo est, concupiscéntiæ corruptiónem. ℣. Nolíte ítaque conformári huic século, sed reformámini in novitáte sensûs vestri: * Fugientes. ℣. Glória. * Fugientes. *II. Petr. 1. Rom. 12.*

*Ad* Benedictus. *Ant.* Si potes crédere, ómnia possibília sunt credenti. Credo, Dómine: ádjuva incredulitátem meam. *Marc. 9.*

Collecta. *Sacr. Greg.*

MIsericórdiæ tuæ remédiis, quæsumus, Dómine, fragílitas nostra subsistat; † ut quæ suâ conditióne adtéritur, * tuâ cleméntiâ reparétur; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Mediolanensi primo. *An.* 1565. *Can.* 7.

QUòd ex divinárum Litterárum senténtiâ parum hómini prodest, se per jejúnium cibo temperasse, si ánimus in peccátis sit intémperans; idcircò fidéles in jejúnio præcípuè stúdeant, ut dum caro ab alimentis ábstinet, mens páriter à culpâ jejúnet; omnesque in Dei láudibus, eleemósynis, áliisque piis officiis occupentur: hoc est enim jejúnium quod se Dóminus Isaíæ ore delegisse testátur.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Increpávit Jesus spíritum immundum, & sanávit púerum, & réddidit illum pa-

tri ejus; stupébant autem omnes in magnitúdine Dei. *Luc. 9.*

---

FERIA SEXTA.

*QUATUOR TEMPORUM.*

LECTIO III.

Ex Sermóne quinto sancti Leónis Papæ, de Jejúnio Séptimi mensis. *Serm.* 88. *Edit. Paris. Cap.* 2 & 3.

NE usque ad inertem desídiam desperatióne ducámur, quæ impossibília sunt hómini ex imbecillitáte própriâ, possibília spondet Dóminus ex virtúte divínâ. Angusta enim & arcta est via, quæ ducit ad vitam, & nemo in eam gressum inferret, nemo vestígium promovéret, nisi difficiles áditus ipse se Christus viam faciendo reseráret. In quo ergo nobis spes est æternæ vitæ, in eódem est & forma patiéntiæ. Alióqui falsæ proféssiónis imágine útimur, si cujus nómine gloriámur, ejus instítúta non séquimur. Quæ útique nobis oneróſa non essent, si nihil áliud quàm quod amandum jubétur, amarémus. Duo namque amóres sunt, ex quibus omnes pródeunt voluntátes, ita diversæ qualitátibus, sicut dividuntur autóribus. Rationábilis enim ánimus, qui sine dilectióne esse non potest, aut Dei amátor est, aut mundi. In dilectióne Dei, nulla nímia: in dilectióne autem mundi, cuncta sunt nóxia. Et ídeo ætenis bonis inseparabíliter inhæréndum, temporálibus verò transeunter utendum est: ut peregrinántibus nobis, & ad pátriam redíre properántibus, quidquid de prosperitátibus mundi hujus occúrrerit, viáticum sit itíneris, non illécebra mansiónis.

℟. Quicumque volúerit amícus esse séculi hujus, inimícus Dei constitúitur: * Quia amicítia hujus mundi inimíca est Dei. ℣. Si quis diligit mundum, non est cáritas Patris in eo; * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Jac.* 4. *I. Joan.* 2.

*Ad* Benedíctus. *Ant.* Vides hanc mulíerem? Remittuntur ei peccáta multa, quóniam diléxit multùm. *Luc.* 7.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus,† ut observatiónes sacras ánnuâ devotióne recolentes; * & córpore tibi placeámus & mente; Per Dóminum.

CANON.

Ex Concílio Aquisgranensi. *An.* 816. *Can.* 16.

SIcut íniqui & peccatóres ministérium sacerdotále ádsequi prohibentur, ita

indocti & imperíti à tali offício retrahuntur. Illi enim exemplis suis vitam bonórum corrumpunt; isti suâ ignáviâ iníquos corrígere nésciunt: quî enim docére póterunt, quod ipsi non didicérunt?

*Ad* Magníficat. *Ant.* Dixit Jesus ad mulíerem: Fides tua te salvam fecit; vade in pace. *Luc.* 7.

---

SABBATO.

*Quatuor Temporum.*

Lectio III.

Sermo sancti Leónis Papæ. *Serm.* 91. *in Jejunio Septimi mensis*, 8. *Edit. Paris. Cap.* 1.

Omnis, dilectíssimi, divinórum erudítio præceptórum hoc máximè agit apud corda credéntium, ut amor pravus recto amóre superétur, & delectatióne justítiæ, peccandi cupíditas destruátur, dicente Scriptúrâ: Post concupiscéntias tuas non eas, & à voluntáte tua avértere. Cùm autem sint in ánimis hóminum multæ bonæ concupiscéntiæ, & laudábiles voluntátes, quid est quod jubétur, ut nostris non consentiámus affectibus: nisi quòd ab illâ concupiscéntiâ prohibémur, & ab illâ voluntáte revocámur, cujus ortus ex nobis est, & ídeo mala pronuntiátur, quia nostra esse convíncitur? Méritò ergo Dóminus in oratióne, quam trádidit, nóluit nos ad Deum dícere: Fiat voluntas nostra, sed: Fiat voluntas tua: hoc est, non illa quam caro íncitat: sed quam Spíritus sanctus inspírat. Unde autem hoc desidérium conceptum sit, cui semper débeat repugnári, non difficulter intélligunt, qui se Adæ fílios esse novérunt, & peccante humáni géneris patre, non dúbitant in propágine vitiátum esse, quod est in radíce corruptum. Quàmvis autem per grátiam Dómini nostri Jesu Christi in novam creatúram transiérimus ex véteri, donec tamen corpus mortále gestámus, necesse est ut contra carnis desidéria dimicémus.

℟. Post concupiscéntias tuas non eas: & * A voluntáte tuâ avértere. ℣. Carnália desidéria mílitant advers ùs ánimam. * A voluntáte. ℣. Glória. * A voluntáte. *Eccli.* 18. *I. Petr.* 2.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Hypócritæ, unusquisque vestrûm sábbato non solvit bovem suum, & ducit adaquáre? Hanc autem fíliam Abrahæ, non opórtuit solvi à vínculo isto die sábbati? *Luc.* 13.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

Omnípotens sempitérne Deus, qui per continéntiam salutárem & cor-

póribus medéris & méntibus; † majestátem tuam súpplices exorámus, ut piâ jejunántium deprecatióne placátus, * & præséntia nobis subsídia tribuas & futúra; Per Dóminum.

C A N O N.

Ex Concílio Andegavensi. *An.* 1448. *Can.* 2.

CUm, secundùm Apóstolum, non sit manus alicúi citò imponenda, & ex hujus transgressióne verbi magnus error hódie repéritur in Dei Ecclésiâ; dum innumerósæ persónæ contemptíbiles vel abjectæ, sciéntiâ & móribus insufficientes, ad sacerdótium, & quod longè damnabílius est, ad curam & regímen referuntur animárum; statúimus ut nullus à modò ad sacros órdines, & máximè sacerdótium promoveantur, nisi sint vitâ & móribus commendábiles, ac litteratúrâ seu sciéntiâ sufficientes.

---

*D I E XVI.*

S. EUPHEMIÆ, VIRGINIS & MARTYRIS, *COMMEMORATIO.*

*De Communi Virginum Martyrum.*

COLLECTA. *Brev. Parif.*

AUres tuæ pietátis, quæsumus, Dómine, précibus nostris inclína: † ut qui delictórum nostrórum caténis stríngimur, * interveniente beátâ Euphémiâ Vírgine & Mártyre tuâ, miseratiónis tuæ grátiâ liberémur; Per Dóminum.



COMMUNE



# COMMUNE SANCTORUM.

## *PARS ÆSTIVA.*

### IN VIGILIIS *APOSTOLORUM.*

*Officium Feriale, cum Collectâ ſequenti.*

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

DA nobis, omnípotens & miſéricors Deus; † ut Sanctórum tuórum natalítia celebrantes, * quorum prædicámus triũphos, eórum fidem veráciter imitémur: Per Dóminum.

### COMMUNE *APOSTOLORUM.*

#### AD I. VESPERAS.

*ANTIPHONÆ.*

I. ISti ſunt quos miſit Dóminus, ut perámbulent terram. *Zach.* 1.

II. Sanctificábunt Sanctum Jacob, & Deum Iſrael prædicábunt. *Iſai.* 29.

III. Scient in géntibus ſemen eórum, & germen eórum in médio populórũ. *Iſai.* 61.

IV. Omnes qui víderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dóminus. *Iſai.* 61.

LECTIO. *Iſai.* 66.

HÆc dicit Dóminus: † Mittam ex eis qui ſalváti fúerint ad gentes in mare, in Africam & Lydiam, tendentes ſagittam: in Itáliam & Græciam; ad ínſulas longè; * ad eos qui non audiérunt de me, & non vidérunt glóriam meam.

℟. *br.* Annuntiáte inter gentes, * Glóriam Dómini; ℟. Annuntiáte. ℣. In ómnibus pópulis mirabília ejus. * Glóriam. ℣. Glória. ℟. Annuntiáte. *Pſ.* 95.

HYMNUS. *C.*

LÆtáre, cœlum; pláuſibus
Tellus reſultet æmulis;

Apostolórum glóriam
Solemnis instaurat dies.
Vos, ceu tubis sonántibus,
Christum per orbem spárgitis:
Vos illa sacris Vátibus
Prædicta mundi lúmina.
Qui, dante Christo, pánditis,
Qui cláuditis cœli fores;
Nos críminum tenácibus
Vinclis ligátos sólvite.
Potente qui nutu graves
Morbos fugátis córporum,
Desiderátam póscite
Ægris medélam móribus:
Sublímis ut cùm vénerit,
Vobis simul sedéntibus,
Ad déxterum Judex latus
Nos inter agnos cóllocet.
Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte, qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Annuntiábitur Dómino generátio ventúra; ℟. Et annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo qui nascétur. *Ps.* 21.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Sicut terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum gérminat, sic Dóminus Deus germinábit justítiam & laudem coram univérsis géntibus. *Isai.* 61.

*Collecta ut in Proprio Sanctorum.*

---

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Apostolórum Magistrum & Dóminum, * Veníte, adorémus. *Joan.* 13.

HYMNUS. *S. V.*

Supréme, quales, Arbiter,
Tibi minístros éligis,
Tuas opes qui vílibus
Vasis amas commíttere!
Hæc nempè plena lúmine
Tu vasa frangi præcipis:
Lux indè magna rúmpitur,
Ceu, nube scissâ, fulgura.
Totum per orbem núntii,
Nubes velut, citi volant:
Verbo graves, Verbo Deo,
Tonant, coruscant, pérpluunt.
Christum sonant: versæ ruunt
Arces superbæ dæmonum:
Circùm tubis clangéntibus,
Sic versa quondàm mœnia.
Fac, Christe, cœlestes tubæ
Somno graves nos éxcitent:
Accensa de te lúmina
Pellant tenébras méntium.
Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte, qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Vocávit Jesus discípulos suos, & elégit duódecim ex ipsis, quos & Apóstolos nominávit. *Luc.* 6.

II. Vocávit ad se quos vóluit ipse, & venérunt ad eum; & fecit ut essent duódecim cum illo. *Marc.* 3.

III. Dedit illis potestá-

tem curandi infirmitátes & ejiciendi dæmónia. *Ibid.*

IV. Hos duódecim misit Jesus præcípiens eis, dicens: Ite ad oves quæ periérunt domûs Israel. *Matth.* 10.

V. Euntes prædicáte, dicentes: Quia appropinquávit regnum cœlórum. *Ibid.*

VI. Exeuntes prædicábant, ut pœniténtiam ágerent; & dæmónia multa ejiciébant, & ungébant óleo multos ægros, & sanábant. *Marc.* 6.

℣. In nómine tuo, Dómine, ℟. Spernémus insurgentes in nobis. *Ps.* 43.

*Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.*

## *IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Nolíte possidére aurum, neque argentum, neque pecúniam in zonis vestris; dignus est enim operárius cibo suo. *Matth.* 10.

II. Dico vobis, amícis meis: Ne terreámini ab his qui occídunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quid fáciant. *Luc.* 12.

III. Beáti estis cùm maledíxerint vobis, & persecúti vos fúerint; & díxerint omne malum adversùm vos mentientes propter me. *Matth.* 5.

IV. In patiéntiâ vestrâ possidébitis ánimas vestras. *Luc.* 4.

V. Cùm fecéritis ómnia quæ præcepta sunt vobis, dícite: Servi inútiles sumus: quod debúimus fácere, fécimus. *Luc.* 17.

VI. Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem séculi. *Matth.* 28.

℣. Propter te, Dómine, mortificámur totâ die: ℟. Æstimáti sumus sicut oves occisiónis. *Ps.* 43.

*Lectiones cum Responsoriis suis ut in Propriô.*

## *IN III. NOCTURNO.*

I. CANTICUM. *Isai.* 52.

*Excitatur Sion, hoc est, Christi Ecclesia, ad consolationem ob gratuitam suî redemptionem.*

QUàm pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem; * annuntiantis bonum:

Prædicantis salútem, * dicentis Sion: Regnábit Deus tuus!

Vox speculatórum tuórum; * levavérunt vocem, simul laudábunt:

Quia óculo ad óculum vidébunt, * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte, & laudáte simul, deserta Jerúsalem: * quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem.

Parávit Dóminus bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntium; * & vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri.

II. Canticum. *Isai.* 61.

*Christi Salvatoris officium, Humani generis reparatio.*

SPíritus Dómini super me, * eo quod únxerit Dóminus me:

Ad annuntiandum mansuétis misit me, ut medérer contrítis corde, * & prædicárem captívis indulgéntiam, & clausis apertiónem:

Ut prædicárem annum placábilem Dómino, & diē ultiónis Deo nostro: * ut consolárer omnes lugentes:

Ut pónerem lugéntibus Sion; & darem eis coró · nam pro cínere, óleum gáudii pro luctu, * pállium laudis pro spíritu mœróris:

Et vocabuntur in eâ fortes justítiæ, * plantátio Dómini ad glorificandum.

Et ædificábunt deserta à sǽculo, & ruínas antiquas érigent, & instaurábunt civitátes desertas, * dissipátas in generatiónem & generatiónem.

Et stabunt aliéni, & pascent pécora vestra: * & filii peregrinórum agrícolæ & vinitóres vestri erunt.

Vos autem Sacerdótes Dómini vocabímini; * Ministri Dei nostri, dicétur vobis:

Fortitúdinem géntium comedétis, * & in glóriâ eárum superbiétis.

III. Canticum. *Isai.* 66.

*Per Discipulorum Christi prædicationem, gentium conversio.*

POnam in eis signum; * & mittam ex eis, qui salváti fuerint, ad gentes in mare;

In Africam, & Lydiam tendentes sagittam; * in Itáliam, & Græciam, ad ínsulas longè.

Ad eos qui non audiérunt de me, * & non vidérunt glóriam meam:

Et annuntiábunt glóriam meam géntibus, & addúcent omnes fratres vestros de cunctis géntibus donum Dómino, * ad montem sanctum meum Jerúsalem, dicit Dóminus:

Quómodo si ínferant filii Israel munus in vase mundo * in domum Dómini;

Et assúmam ex eis in sacerdótes & levítas, * dicit Dóminus.

Quia sicut cœli novi, & terra nova, quæ ego fácio stare coram me, dicit Dóminus; * sic stabit semen vestrum & nomen vestrum.

*Ant.* Quàm speciósi pedes evangelizántium pacē, evangelizántium bona! *Rom.* 10.

℣. In generatiónem & generatiónem, ℟. Annuntiábimus laudem tuam. *Ps.* 78.

LECTIO IX.
Ex Actibus Apostolórum. *Cap.* 4.

MUltitúdinis credéntiũ erat cor unum & ánima una: nec quisquam eórum quæ possidébat, áliquid suum esse dicébat; sed erant illis ómnia commúnia. Et virtúte magnâ reddébant Apóstoli testimónium resurrectiónis Jesu Christi Dómini nostri: & grátia magna erat in ómnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessóres agrórum aut domórum erant, vendentes afferébant prétia eórum quæ vendébant, & ponébant ante pedes Apostolórum. Dividebátur autem síngulis, prout cuíque opus erat.

℟. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. * Estóte ergo prudentes sicut serpentes, & símplices sicut columbæ. ℣. Ex ore Dómini prudéntia, & próteget gradientes simplíciter. * Estóte. *Matth.* 10. *Prov.* 2.

LECTIO X. *Cap.* 5.

EXsurgens autem Princeps sacerdótum, & omnes qui cum illo erant, quæ est hæresis Sadducæórum, repléti sunt zelo; & injecérunt manus in Apóstolos, & posuérunt eos in custódiâ públicâ. Angelus autem Dómini per noctem apériens jánuas cárceris, & edúcens eos, dixit: Ite, & stantes loquímini in templo plebi ómnia verba vitæ hujus. Qui cùm audissent, intravérunt dilúculo in templum, & docébant.

℟. Mementóte sermónis mei, quem ego dixi vobis: * Non est servus major dómino suo: si me persecúti sunt, & vos persequentur. ℣. Locúti sunt adversùm me linguâ dolósâ, & sermónibus ódii circumdedérunt me. * Non est. *Joan.* 15. *Ps.* 108.

LECTIO XI.

ADvéniens autem quidam nuntiávit eis: Quia ecce viri quos posuístis in cárcerem, sunt in templo, stantes & docentes pópulum. Tunc ábiit magistrátus cum ministris, & adduxit illos sine vi: timébant enim pópulum, ne lapidarentur. Et cùm adduxissent illos, statuérunt in concílio. Et interrogávit eos Princeps sacerdótum, dicens: Præcipiendo præcépimus vobis, ne docerétis in nómine isto: & ecce replestis Jerúsalem doctrínâ vestrâ, & vultis indúcere super nos sánguinem hóminis istíus. Respondens autem Petrus & Apóstoli, dixérunt: Obedíre oportet Deo magìs quàm homínibus.

℟. In mundo presśúram habébitis: * Sed confídite; ego vici mundum. ℣. Quia de mundo non estis, sed

ego elégi vos de mundo; proptérea odit vos mundus. * Sed. *Joan.* 16 & 15.

LECTIO XII.

ET convocantes Apóstolos, cæsis denuntiavérunt, ne omninò loquerentur in nómine Jesu, & dimisérunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contumélíam pati. Omni autem die non cessábant in templo & circa domos docentes, & evangelizantes Christum Jesum.

℟. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis; * Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum. ℣. Nolíte timére, pusillus grex; quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. * Et ego. ℣. Glória. * Et ego. *Luc.* 22 & 12.

*Evangelium & Collecta ut in Proprio.*

---

AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. JEsus locútus est úndecim discípulis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ; euntes ergo docéte omnes gentes. *Matth.* 28.

II. Quorum remiséritis peccáta, remittuntur eis; & quorum retinuéritis, retenta sunt. *Joan.* 20.

III. Accipiétis virtútem superveniéntis Spíritûs Sancti in vos; & éritis mihi testes usque ad últimum terræ. *Act.* 1.

IV. Prædicáte Evangélium omni creatúræ; baptizantes eos in nómine Patris, & Fílii, & Spíritûs Sancti. *Marc.* 16. *Matth.* 28.

V. Profecti prædicavérunt ubíque, Dómino cooperante & sermónem confirmante sequéntibus signis. *Marc.* 16.

LECTIO. *Ephes.* 4.

CHristus dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelistas, álios autem Pastóres & Doctóres, † ad consummatiónem Sanctórum, in opus ministérii, * in ædificatiónem córporis Christi.

℟. *br.* In omnem terram, *Exívit sonus eórum. ℟. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. * Exívit. ℣. Glória. ℟. In omnem. *Ps.* 18.

HYMNUS. *S. V.*

CŒlestis aulæ Príncipes,
Sacri duces exércitûs;
Bisséna mundi lúmina,
Olìm futúri júdices.

Mersis gravi calígine,
Per vos dies renáscitur;
Quos vanus error lúserat,
Illustrat alma véritas.

Non vi, nec armis mílitum,
Fandi nec ullis ártibus;
Verbo sed irrísæ Crucis,
Christo rebelles súbditis.

Quibus gemébat súbditus,
Rumpuntur orbis víncula:
Jam gaudet excusso jugo,
Liber Dei sub légibus.

Vulgáta terris ómnibus,
Per vos Dei mystéria:
Sic vestra terris ómnibus,
Præclára facta pérsonant.

Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte, qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Non sunt loquélæ, neque sermónes, ℟. Quorum non audiantur voces eórum. *Ps.* 18.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Deo grátias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, & odórem notítiæ suæ manifestat per nos in omni loco. *II. Cor.* 2.

*Collecta ut in Proprio.*

AD HORAS *Antiphonæ Laudum, quartâ omissâ.*

AD PRIMAM, *Canon Feriæ, suo loco. Et sic in aliis Communibus.*

AD TERTIAM.

LECTIO. *II. Cor.* 5.

POsuit in nobis Deus verbum reconciliatiónis.† Pro Christo ergo legatióne fúngimur tamquàm Deo exhortante per nos. * Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo.

℣. Nimìs honorificáti sunt amíci tui, Deus; ℟. Nimìs confortátus est principátus eórum. *Ps.* 138.

AD SEXTAM.

LECTIO. *I. Cor.* 2.

NOn spíritum hujus mundi accépimus, sed spíritum qui ex Deo est; ut sciámus quæ à Deo donáta sunt nobis: † quæ & lóquimur non in doctis humánæ sapiéntiæ verbis, * sed in doctrínâ Spíritûs.

℣. Dóminus dabit verbum evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Ps.* 67.

AD NONAM.

LECTIO. *Hebr.* 2.

QUómodo nos effugiémus, si tantam neglexérimus salútem? † quæ cùm inítium accepisset enarrári per Dóminum, * ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta est, contestante Deo signis, & portentis, & váriis virtútibus.

℣. Veníte, & vidéte ópera Dómini, ℟. Quæ pósuit prodígia super terram. *Ps.* 45.

---

AD II. VESPERAS.

*ANTIPHONÆ.*

I. SPectáculum facti sumus mundo, & Angelis & homínibus. *I. Cor.* 4.

II. Quæ stulta sunt mundi, elégit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia. *I. Cor.* 1.

III. Lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abs-

cóndita est, quam prædestinávit Deus ante sécula in glóriam nostram. *I. Cor.* 2.

IV. Fundamentum áliud nemo potest pónere præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus. *I. Cor.* 3.

LECTIO. *Ephes.* 2.

JAm non estis hóspites & ádvenæ; sed estis cives sanctórum & doméstici Dei, † superædificáti super fundamentum Apostolórũ & Prophetárum, * ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

℞. *br.* Dóminus excelsus, terríbilis, * Rex magnus super omnem terram. ℞. Dóminus. ℣. Subjécit pópulos nobis & gentes sub pédibus nostris. * Rex. ℣. Glória. ℞. Dóminus. *Ps.* 46.

HYMNUS. *S. V.*

QUem misit in terras
Deus,
Ut morte nos servet suâ,
Amóris hic fidos sui
Vos éligit vicários.

Occísus Agnus à lupis,
Vos misit agnos ad lupos;
Mores feróos éxuunt
Agni repentè de lupis.

Quæ victimárum cædibus
Tellus madébat ímpiis,
Vestris eam sudóribus,
Vestro piastis sánguine.

Hoc rore facta pinguior,
Quot illa fructus prótulit!
Quæ, quanta surrexit seges!
Et ista nos seges sumus:

Quam si bonus respéxeris,
Qui das rigátis créscere,
Frumenta nos cœléstibus
Matúra condes hórreis.

Uni sit & Trino Deo
Suprêma laus, summum
decus,
De nocte, qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii: ℞. Constítues eos príncipes super omnem terram. *Ps.* 44.

*Ad* Magníficat. *Ant.* In fundamentis civitátis sanctæ Jerúsalem nómina duódecim Apostolórum Agni; & lucerna ejus est Agnus. *Apoc.* 21.

---

## COMMUNE
## *UNIUS MARTYRIS.*

---

### AD I. VESPERAS.

*ANTIPHONÆ.*

I. JUstus quasi leo confidens, absque terróre erit. *Prov.* 28.

II. In tentatióne Deus illum conservábit & liberábit à malis; & non illidétur quasi in procellâ navis. *Eccli.* 33.

III. Bonus Dóminus, & confortans in die tribulatiónis; & sciens sperantes in se. *Nahum,* 1.

IV. Pro certo habet omnis qui te colit, Dómine, quòd vita ejus, si in probatióne fúerit, coronábitur. *Tob.* 3.

LECTIO. *Eccli.* 4.

PRo justítiâ agonizáre pro ánimâ tuâ, † & usque ad mortem certa pro justitiâ, * & Deus expugnábit pro te inimícos tuos.

℟. *br.* Dóminus protector vitæ meæ; * A quo trepidábo? ℟. Dóminus. ℣. Dóminus illuminátio mea & salus mea. * A quo. ℣. Glória. ℟. Dóminus. *Ps.* 26.

HYMNUS. *S. V.*

EX quo salus mortálium,
Fluxit sacer Dei cruor;
Homo redemptus æmulum
Deo litávit sánguinem.

Non jam Crucis Christi pudet:
Quin surgit ingens glória,
Deum fatéri mórtuum,
Pro mórtuo mori Deo.

Hoc iste plenus spíritu
Ridet minas, ridet neces,
Tuâque fretus déxterâ,
Tibi, Redemptor, mílitat.

Paráta spectans præmia,
Secúrus ad pœnas volat;
Sic pugnat, ut speret mori,
Et morte mortem víncere.

Unus tot armátas manus
Stupente lassat júdice;
Et tortus ipsis qui cadit
Torquéntibus fit fórtior.

Da, Christe, tanti mílitis
Æquáre facta fórtia:
Da sustinére pro tuo,
Quodcumque durum nómine.

Sit laus Patri; laus Filio
Testi fidéli, quo duce,
Tormenta vincunt Mártyres;
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. In Deo sperávi: ℟. Non timébo quid fáciat mihi homo. *Ps.* 55.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Ecce Deus salvátor meus, fiduciáliter agam, & non timébo; quia fortitúdo mea & laus mea Dóminus, & factus est mihi in salútem. *Isai.* 12.

*Collecta infrà ad Laudes, nisi sit propria.*

---

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte *Ant.* Deum patiéntiæ & solátii, * Veníte, adorémus. *Rom.* 15.

HYMNUS. *S. V.*

FElix morte tuâ, qui cruciátibus
Cœlo difficilem rúmpere amas viam,
Et signáre cruóre
Quam Christo déderas fidem?

Pœnis victa quibus defíceret fides?
Tu pœnas ávidâ mente præóccupas:
Cui non sufficit una,
Ambis innúmeras neces.

Te pro lege suâ magnánimum mori
Te Christus púgilem spectat ab æthere:
Ne succúmbere possis,
Tecum prælia sustinet.

Et nos delícias vana per ótia,

Gens infida Deo quærimus ánxii;
Quid torpémus? inertes
Sánguis Mártyris éxcitat.
Patri máxima laus, máxima Fílio;
Amborumque sacro máxima Flámini,
Cujus róbore freti,
Vincunt fúnera Mártyres. Amen.

## IN I. NOCTURNO.

*Ant.* I. Qui timet Dóminum, nihil trepidábit, & non pavébit; quóniam ipse est spes ejus. *Eccli.* 34.

II. Fortitúdo símplicis, via Dómini: justus in ætérnum non commovébitur. *Prov.* 10.

III. Noli erubéscere testimónium Dñi nostri, collabóra Evangélio secundùm virtútem Dei. *II. Tim.* 1.

IV. Labóra sicut bonus miles Christi Jesu: nam & qui certat in agóne, non coronábitur, nisi legítimè certáverit. *II. Tim.* 2.

V. Hæc est grátia, si propter Dei consciéntiam sustinet quis tristítias pátiens injustè: in hoc enim vocáti estis. *I. Petri*, 2.

VI. Qui vícerit, & custodíerit usque in finem, ópera mea, dabo illi potestátem super gentes, sicut & ego accépi à Patre meo. *Apoc.* 2.

℣. Cantábo, Dómine, fortitúdinem tuam, ℟. Et exsultábo mane misericórdiam tuam. *Ps.* 58.

*Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.*

## IN II. NOCTURNO.

*Ant.* I. In spe quæ ad patres nostros repromissiónis facta est à Deo, sto judício subjectus. *Act.* 26.

II. Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum; & quærunt ánimam meam, ut áuferant eã. *III. Reg.* 19.

III. Ego ad Dóminum aspíciam, exspectábo Deum salvatórem meum; áudiet me Deus meus. *Mich.* 7.

IV. Prompto ánimo pro gravíssimis ac sanctíssimis légibus honestâ morte perfungar. *II. Mach.* 6.

V. E cœlo ista membra possídeo; sed propter Dei leges hæc ipsa despício; quóniam ab ipso me ea receptúrũ spero. *II. Mach.* 7.

VI. Propter opus Christi, usque ad mortem accépit, tradens ánimã suã. *Phil.* 2.

℣. Adjútor meus, tibi psallam; ℟. Quia Deus susceptor meus es. *Ps.* 58.

### LECTIO V.

Ex Epístolâ sancti Ignátii, Epíscopi & Mártyris, ad Románoş. *Edit. Cotel. ex Græc. an.* 107. *n.* 5. & 6.

Nunc incípio discípulus esse. Visibílium & invisibílium nihil éxpetam, ut Jesum Christum, ásse-

quar. Ignis, crux, ferárum concursus, óssium discerptiónes, membrórum concisiónes, totíus córporis contritiónes, mala diáboli tormenta, in me véniant; tantúmmodò ut Jesû Christum nanciscar. Nil me juvábunt fines mundi, nec regna hujus séculi. Mélius est mihi émori propter Jesum Christum quàm imperáre finibus terræ. Illum quæro, qui pro nobis mórtuus est. Illum volo, qui propter nos resurrexit. Ille lucrum mihi ádjacet.

℟. Pláceo mihi in infirmitátibus meis, in contuméliis, in necessitátibus, in persecutiónibus, in angústiis pro Christo, * Cùm enim infirmor, tunc potens sum. ℣. Víncula & tribulatiónes me manent; sed nihil horum véreor. * Cùm enim. *II. Cor.* 12. *Act.* 20.

LECTIO VI.

IGnóscite mihi, fratres; ne mihi impedimento sitis, quóminùs vivam; ne me velítis mori; cúmque cúpiam Dei esse, per mundum ne separétis me, neque per matériam seducátis. Sínite me purum lumen hauríre. Cùm illìc fúero, homo ero. Sínite me imitatórem esse passiónis Dei mei. Si quis ipsum in se ipso póssidet, intélligat quid volo, & compatiátur mihi, ut qui sciat quæ me constringunt.

℟. Ego non solùm alligári, sed * Et mori parátus sum propter nomen Dómini Jesu. ℣. Animam & corpus meum trado pro pátriis légibus. * Et mori. *Act.* 21. *II. Machab.* 7.

LECTIO VII. *n.* 7.

PRinceps hujus séculi rápere me vult, & voluntátem, quam erga Deum hábeo, corrúmpere. Nullus ítaque vestrûm qui præsentes estis opem ferat: ipsi pótiùs mei sitis, id est, Dei mei. Ne loquámini Jesum Christum, & mundum concupiscátis. Invídia in vobis non hábitet: neque si ego præsens vos óbsecrem, obtemperétis mihi; verùm his pótiùs crédite, quæ vobis scribo. Vivens enim scribo vobis, amóre captus moriendi. Meus amor crucifixus est: & non est in me ignis amans áliquam aquã: sed vivens, & loquens in me, intùs mihi dixit: Veni ad Patrem. Non gáudeo corruptíbili nutrimento, nec voluptátibus hujus vitæ: panem Dei volo; qui est caro Jesu Christi, qui ex género Davídis: & potum volo sánguinem illíus, qui est cáritas incorruptíbilis.

℟. Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, manifestè tu scis quia cùm à morte possem liberári, * Duros córporis sustíneo dolóres: secundùm ánimam verò propter timórem tuum libenter hæc pátior. ℣. Gau-

deo in passiónibus, & adímpleo ea quæ desunt passiónũ Christi in carne meâ. * Duros. *II. Mach. 6. Coloss.* 1.

LECTIO VIII. *n.* 8.

NOlo ámpliùs secundùm hómines vívere : id autem fiet, si vos voluéritis. Velítis ergo, ut & vos acceptémini. Brévibus lítteris déprecor vos ; crédite mihi. Jesus autem Christus manifestábit vobis hæc, quòd verè dicam ; non mendax est in quo Pater verè locútus est. Pétite pro me, ut cónsequar. Non secundùm carnem vobis scripsi, sed secundùm Dei arbítriũ. Si pátiar, voluistis : sin rejíciar, odistis.

℟. Gloriámur in tribulatiónibus sciéntes quòd tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem, probátio verò spẽ ; * Spes autem non confúndit. ℣. Deo subjecta esto, ánima mea ; quóniam ab ipso patiéntia mea, & spes mea in Deo est. * Spes autem. ℣. Glória. * Spes autem. *Rom.* 5. *Ps.* 61.

## *IN III. NOCTURNO.*

I. CANTICUM. *Eccli.* 51.

*Dei laus, exaltatio, & de misericordiis ejus gratiarum actio.*

COnfitébor tibi, Dómine Rex, * & collaudábo te Deum salvatórem meum.

Confitébor nómini tuo, * quóniam adjútor & protéctor factus es mihi.

Et liberasti corpus meum à perditióne, à láqueo linguæ iníquæ, & à lábiis operántium mendácium; & in conspectu adstántium * factus es mihi adjútor.

Et liberasti me secundùm multitúdinem misericórdiæ nóminis tui, * à rugiéntibus præparátis ad escam,

De mánibus quæréntium ánimam meam, * & de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me.

II. CANTICUM. *Ibid.*

LAudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, * & vita mea appropinquans erat in inferno deorsùm.

Circumdedérunt me úndique ; * & non erat qui adjuváret.

Respíciens eram ad adjutórium hóminum, * & non erat.

Memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine, * & operatiónis tuæ, quæ à século sunt.

Quóniam éruis sustinentes te, Dómine, * & líberas eos de mánibus géntiũ.

III. CANTICUM. *Ibid.*

EXaltasti super terram habitatiónem meam, * & pro morte defluente deprecátus sum.

Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelinquat me in die tribulatiónis meæ, * & in témpore superbórum sine adjutório.

Laudábo nomen tuum assíduè, & collaudábo illud in confessióne, * & exaudíta est orátio mea.

Et liberasti me de perditióne, * & eripuisti me de témpore iníquo.

Proptéreà confitébor, & laudem dicam tibi, * & benedícam nómini Dómini.

*Ant.* Ego in Dómino gaudébo, & exsultábo in Deo Jesu meo: Deus Dóminus fortitúdo mea. *Habacuc.* 3.

℣. Diligam te, Dómine, fortitúdo mea: ℟. Dóminus firmamentum meum, & refúgium meum, & liberátor meus. *Ps.* 17.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Petri Apóstoli. *Cap.* 2.

HÆc est grátia, si propter Dei consciéntiam sústinet quis tristítias, pátiens injustè. Quæ est enim glória, si peccántes & colaphizáti suffertis? sed si benè faciéntes patienter sustinétis, hæc est grátia apud Deum. In hoc enim vocáti estis; quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequámini vestígia ejus: qui peccátum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; qui cùm maledicerétur, non maledicébat; cùm paterétur, non comminabátur; tradébat autem judicanti se injustè: qui peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum, ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus: cujus livóre sanáti estis.

℟. Confitébor nómini tuo, Dómine; * Quóniam adjútor & protéctor factus es mihi. ℣. Exsultábo, & lætábor in misericórdiâ tuâ, Dómine. * Quóniam. *Eccli.* 51. *Ps.* 30.

LECTIO X. *Cap.* 3.

OMnes unánimes, compatientes, fraternitátis amatóres, misericordes, modesti, húmiles, non reddentes malum pro malo, nec maledíctum pro maledícto; sed è contrário benedicentes: quia in hoc vocáti estis, ut benedictiónem hæreditáte possideátis. Qui enim vult vitam dilígere, & dies vidére bonos, coérceat linguam suam à malo, & lábia ejus ne loquantur dolum. Declínet à malo, & fáciat bonum; inquírat pacem, & sequátur eam: quia óculi Dómini super justos, & aures ejus in preces eórum; vultus autem Dómini super facientes mala. Et quis est qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? Sed & si quid patímini propter justítiam, beáti.

℟. Qui volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam; * Qui autem perdíderit ánimam suam propter me & Evangélium, salvam fáciet eam. ℣. Qui negáverit me coram homínibus,

negábo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est. *Qui. *Marc.* 8. *Matth.* 10.

LECTIO XI.

TImórem autem eórum ne timuéritis, & non conturbémini. Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris, paráti semper ad satisfactiónem omni poscenti vos ratiónem de eâ, quæ in vobis est, spe; sed cum modéstiâ & timóre consciéntiam habentes bonam: ut in eo quòd détrahunt vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conversatiónem. Mélius est enim benè facientes, si volùntas Dei velit, pati, quàm malè facientes; quia & Christus semel pro peccátis nostris mórtuus est, justus pro injustis: ut nos offerret Deo, mortificátus quidem carne, vivificátus autem spíritu.

℞. Dóminus mihi ádstitit & confortávit me; * Et salvum fáciet in regnum suum cœleste. ℣. Liberávit me Dóminus ab omni ópere malo. * Et salvū. *II. Tim.* 4.

LECTIO XII. *Cap.* 4.

CAríssimi, nolíte peregrinári in fervóre, qui ad tentatiónem vobis fit, quasi novi áliquid vobis contingat; sed communicantes Christi passiónibus gaudéte, ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultantes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ & virtútis Dei, & qui est ejus Spíritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrûm patiátur ut homicída, aut fur, aut maledícus, aut alienórum appetítor. Si autem ut Christiánus, non erubescat; gloríficet autem Deum in isto nómine, quóniam tempus est ut incípiat judícium à domo Dei. Si autē primùm à nobis; quis finis eórum, qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvábitur; ímpius & peccátor ubi parébunt? Itaque & hi qui patiuntur secundùm voluntátem Dei, fidéli Creatóri commendent ánimas suas in benefactis.

℞. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. * In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ. ℣. Omnia detrimentum feci ad cognoscendum Christum, & societátem passiónum illius, configurátus morti ejus. * In réliquo. ℣. Glória. * In réliquo. *II. Tim.* 4. *Phil.* 3.

*Si sit Pontifex,*

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Cap.* 15.

DIxit Jesus discípulis suis: Si mundus vos odit, scitóte quia me prióre m vobis ódio hábuit. Si de mundo fuissétis mun-

dus quod ſuum erat dilígeret : quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elégi vos de mundo, proptéreà odit vos mundus. Mementóte ſermónis mei quẽ ego dixi vobis : Non eſt ſervus major dómino ſuo. Si me perſecúti ſunt, & vos perſequentur : ſi ſermónem meum ſervavérunt, & veſtrum ſervábunt. Sed hæc ómnia fácient vobis propter nomen meum; quia néſciunt eum qui miſit me. Si non veniſſem, & locútus fuiſſem eis, peccátum non habérent; nunc autem excuſatiónem non habent de peccáto ſuo. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si ópera mea non feciſſem in eis, quæ nemo álius fecit, peccátum non habérent; nunc autem & vidérunt, & odérunt me & Patrem meũ: ſed ut adimpleátur ſermo qui in lege eórum ſcriptus eſt : Quia ódio habuérunt me gratìs.

*Si non ſit Pontifex,*

EVANGELIUM.

Sequéntia ſancti Evangélii ſecundùm Matthæum.

*Cap.* 16.

JEſus dixit diſcípulis ſuis : Si quis vult poſt me veníre, ábneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequátur me. Qui enim volúerit ánimam ſuam ſalvam fácere, perdet eam; qui autem perdíderit ánimam ſuam propter me, invéniet eam. Quid enim prodeſt hómini, ſi mundum univerſum lucrétur, ánimæ verò ſuæ detrimentum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánimâ ſuâ? Fílius enim hóminis ventúrus eſt in glóriâ Patris ſui cum Angelis ſuis; & tunc reddet unicuíque ſecundùm ópera ejus.

*Collecta ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.*

---

AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. QUicumque confeſſus fúerit me coram homínibus, & Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei. *Luc.* 12.

II. Qui autem negáverit me coram homínibus, negábitur coram Angelis Dei. *Ibid.*

III. Qui ſuſtinúerit in finem, hic ſalvus erit. *Marc.* 13.

IV. Scient quia ego diléxi te, quóniam ſervaſti verbum patiéntiæ meæ. *Apoc.* 3.

V. Vincenti dabo édere de ligno vitæ quod eſt in paradíſo Dei mei. *Apoc.* 3.

LECTIO. *I. Joan.* 5.

OMne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum : † & hæc eſt victória quæ vincit mundum, * fides noſtra.

℟. *br.* In Deo ſalutáre meum * Et glória mea. ℟. In Deo. ℣. Deus auxílii mei, & ſpes mea in Deo

est. * Et. ℣. Glória. ℟. In Deo. *Ps.* 61.

HYMNUS. *S. V.*

JAm non te lácerant carníficum manus,
Inter qui récubas cœlituum choros:
Nunc pro cárcere cæco,
Fulgentes hábitas domos.
Non jam vincla manus, non cóhibent pedes:
Tu liber súperûm regna perámbulas:
Quot plagis laniátus,
Cœlo tot rádiis nites.
Nec te dira fames, nec sitis ámpliùs,
Nec probrósa premit te modò núditas:
Nunc te lúmine puro
Pascit Christus & índuit.
Sic tu Martyribus dexter ades, Deus,
Ut quos mors périmit, glória víndicet;
Confundísque tyrannum,
Dum quos déprimit, élevas.
Patri máxima laus, máxima Fílio;
Amborumque sacro máxima Flámini,
Cujus róbore freti,
Vincunt fúnera Mártyres. Amen.

℣. Fortitúdo mea & laus mea Dóminus; ℟. Et factus est mihi in salútem. *Ps.* 117.

*Ad Benedictus. Ant.* Glorificátus sum in óculis Dómini; & Deus meus factus est fortitúdo mea. *Isai.* 49.

*Si sit Pontifex,*

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, cujus grátia beátum *N.* in Sacerdótem elégit, doctrína ad prædicandum erúdiit, poténtia ad perseverandum confirmávit; † da nobis ex ejus imitatióne pópulum Christiánum & instrúere vivendi exemplo, * & cùm opus fúerit, confirmáre patiendo: Per Dóminum.

ALIA COLLECTA.
*Sacr. Leon.*

OMnípotens, sempitérne Deus, qui in ómnium Sanctórum tuórum es virtúte mirábilis; * da nobis beáti *N.* festivitátem cóngruis honóribus, & sédulâ imitatióne celebráre, * qui Fílii tui Martyr & Póntifex, quod ministério gessit, testimónio comprobávit, & quod prædicávit ore, confirmávit exemplo: Per eumdem Dóminum.

*Si non sit Pontifex,*

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui beátum *N.* Mártyrem tuum virtúte constántiæ in passióne roborasti; † ex ejus nobis imitatióne tríbue, pro amóre tuo próspera mundi despícere, * & nulla ejus advérsa formidáre: Per Dóminum.

*Si sit Sacerdos tantùm*, COLLECTA. *Brev. Paris.*

DEus, à quo constántiam fides, & virtútem sumit infirmitas; † quæsumus, ut beáti *N.* Sacerdótis & Mártyris tui exemplo & précibus, * quidquid in persecutiónibus sævum est, quidquid in morte terríbile, fácias nos tui nóminis confessióne superáre; Per Dóminum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *I. Tim. 6.*

CErta bonum certámen fidei: † apprehende vitam ætérnam in quâ vocátus es, * & confessus bonam confessiónem coram multis téstibus.

℣. Si consistant adversùm me castra, ℟. Non timébit cor meum. *Ps. 26.*

AD SEXTAM.

LECTIO. *II. Cor. 4.*

QUod in præsenti est momentáneum & leve tribulatiónis nostræ † supra modum in sublimitáte * ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis.

℣. Tu, Dómine, susceptor meus es, ℟. Glória mea & exaltans caput meum. *Ps. 3.*

AD NONAM.

LECTIO. *Rom. 8.*

EXístimo quòd non sunt condignæ passiónes hujus témporis † ad futúram glóriam, * quæ revelábitur in nobis.

℣. Tu, Dómine, adjuvisti me, ℟. Et consolátus es me. *Ps. 85.*

---

AD II. VESPERAS.

*ANTIPHONÆ.*

I. QUis est qui vincit mũdum, nisi qui credit quóniam Jesus est Fílius Dei? *I. Joan. 5.*

II. Factus es, Dómine, fortitúdo páuperi, fortitúdo egéno in tribulatióne suâ: spes à túrbine, umbráculum ab æstu. *Isai. 25.*

III. Post tempestátem tranquillum facis, Dómine, & post lacrymatiónem & fletum exsultatiónem infundis. *Tob. 3.*

IV. Cantáte Dómino, laudáte Dóminum; quia liberávit ánimam páuperis de manu malórũ. *Jerem. 20.*

LECTIO. *Jac. 1.*

BEátus vir qui suffert tentatiónem; † quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ * quam repromísit Deus diligéntibus se.

℟. *br.* Posuisti, Dómine, * Super caput ejus. ℟. Posuisti. ℣. Corónam de lápide pretióso. * Super. ℣. Glória. ℟. Posuisti. *Ps. 20.*

*Hymnus*, Ex quo salus mortálium. *ut ad I. Vesp. pag.* ix.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo: ℟. Glóriã

& magnum decórem impónes ſuper eum. *Pſ.* 20.

*Ad* Magníficát. *Ant.* Qui vícerit, dabo ei ſedére mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus. *Apoc.* 3.

*Collecta ut ad Laudes, niſi ſit propria; & ſic in aliis Communibus.*

DIEBUS PRIVATIS.

*Omnia ut in Feſtivitatibus, exceptis quæ ſequuntur.*

*In I. Nocturno. Antiphonæ & ℣. ut in Pſalterio. Duæ primæ Lectiones cum ℟℟. ſuis de Scripturâ occurrente; tertia de Sancto ut in Proprio Sanctorum.*

*IN II. NOCTURNO.*

*Antiphona unica ut in Pſalterio.*

Lectio. *I. Petr.* 4.

CAríſſimi, nolíte peregrinári in fervóre, qui ad tentatiónem vobis fit, quaſi novi áliquid vobis contingat; ſed communicantes Chriſti paſſiónibus gaudéte, ut & in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exſultantes.

℣. Deo ſubjecta eſto, ánima mea; ℟. Quóniam ab ipſo patiéntia mea. *Pſ.* 61.

*Collecta de Sancto; ad Laudes & Horas ut in Feſtivitatibus. Et ita ſit in omnibus Officiis Sanctorum in Diebus privatis.*

COMMUNE *PLURIUM* *MARTYRUM.*

AD I. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. VEnit hora, ut omnis qui intérficit vos, arbitrétur obſéquium ſe præſtáre Deo. *Joan.* 16.

II. Injícient vobis manus ſuas, & perſequentur trahentes ad reges & præſides, propter nomen meũ. *Luc.* 21.

III. Tradet autem frater fratrem in mortem, & inſurgent filii in parentes, & morte eos afficiẽt. *Matth.* 10

IV. Dabo vobis os & ſapiéntiam cui non póterunt resíſtere & contradícere omnes adverſárii veſtri. *Luc.* 21.

Lectio. *I. Petr.* 4.

SI exprobrámini in nómine Chriſti, beáti éritis;† quóniam quod eſt honóris, glóriæ & virtútis Dei, & qui eſt ejus Spíritus,* ſuper vos requieſcit.

℟. *br.* Adjuvábit juſtos Dóminus, * Et liberábit eos. ℟. Adjuvábit. ℣. Et éruet eos à peccatóribus. * Et. ℣. Glória. ℟. Adjuvábit. *Pſ.* 36.

Hymnus. *C.*

CHriſti Martyribus débita nos decet,
Virtútis mémores, prómere cántica;

Quos nec blandítiis, nec potuit minis
Fallax víncere sécul͂u.
Cœléstis pátriæ mens ínhians bonis,
Mundi spernit opes flúxaque gáudia:
Vitæ quin-étiam, præ Dómini lucro,
Jactúram fácilem putant.
Non vultus métuunt carníficum truces,
Fœtas suppliciis despíciunt manus:
Enses, flagra, rotas, ómnia pérpeti
Victrix edócuit, fides.
O incredíbilem vim patiéntiæ!
Non, artus láceros qui crúciat dolor,
Extorquet gémitum, non querimóniam
Agnis mítibus élicit.
Ergo nunc própior Christe, tibi sedet
Palmis turba nitens usquè viréntibus,
Victorumque gerens præmia, nóbiles
Multo sánguine láureas.
Sit laus summa Patri, súmmaque Fílio:
Sit par, Sancte, tibi glória, Spíritus,
Cujus præsídio prælia sústinent,
Contemptâ nece, Mártyres. Amen.

℣. In Deo faciémus virtútem; ℟. Et ipse ad nihilum dedúcet tribulantes nos. *Ps.* 59.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Cùm vos óderint hómines, & exprobráverint, propter Fílium hóminis; gaudéte, & exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cœlo. *Luc.* 6.

*Collecta ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.*

---

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Dóminum legítimè certantes coronantem; * Veníte, adorémus. *II. Tim.* 2.

HYMNUS. *S. V.*

FOrtes cadendo Mártyres,
Quos empta fuso sánguine,
Cœléstis ornat púrpura
Junctis canámus vócibus.
Acti procellis ómnibus,
Sui cruóris flúmine
Vehuntur; & Christo duce,
Portus beátos óccupant.
Sævit tyrannus, állicit:
Temnunt minas, temnunt preces,
Deum minantem dum timent,
Dum mulcerantem díligunt.
Quem lictor insánus sitit,
Quem cæcus effúndit furor,
Amor sacerdos pródigum
Christo cruórem cónsecrat.
Et ille mixtus sánguini
Quem fudit in ligno Deus,
Fundéntibus placábilem
Oráre non cessat Deum.
Impléte vos omnes decet,
Passo Deo quod défuit;

Per tot neces læso Patri
Fit plena Christus hóstia.
Quo duce, vincunt Mártyres,
Jesu; tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Confortámini, & viríliter ágite in lege: quia in ipsâ gloriósi éritis. *I. Mach.* 2.

II. Moriámur omnes in simplicitáte nostrâ; & testes erunt super nos cœlum & terra. *Ibid.*

III. Paráti sumus mori, magìs quàm pátrias Dei leges prævaricári. *II. Mach.* 7.

IV. Dóminus Deus adspíciet veritátem, & consolábitur in nobis. *Ibid.*

V. Dóminus Deus vester pro vobis ipse pugnábit; hoc tantùm diligentíssimè præcavéte, ut diligátis Dóminum Deum vestrum. *Jos.* 23.

VI. Omnes qui placuérunt Deo, per multas tribulatiónes transiérunt fidéles. *Judith*, 8.

℣. Da nobis, Dómine, auxílium de tribulatióne; ℟. Quia vana salus hóminis. *Ps.* 59.

*Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.*

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Per multas tribulatiónes, oportet nos intráre in regnum Dei. *Act.* 14.

II. Omnes qui piè volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patientur. *II. Tim.* 3.

III. Magnum certámen sustinuistis passiónum, oppróbriis & tribulatiónibus spectáculum facti. *Hebr.* 10.

IV. Sicut abundant passiónes Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolátio nostra. *I. Cor.* 1.

V. Non injustus Deus, ut obliviscátur óperis vestri, & dilectiónis quam ostendistis in nómine ipsíus. *Hebr.* 6.

VI. Exsultábitis lætítiâ inenarrábili & glorificátâ; reportantes finem fidei vestræ, salútem animárum. *I. Petr.* 1.

℣. Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, ℟. Coronasti nos. *Ps.* 5.

LECTIO V.

Ex Epístolâ sancti Cypriáni, Epíscopi & Mártyris, ad Mártyres & Confessóres. *Ep.* 8. *Edit. Baluz. An.* 251.

QUibus ego vos láudibus prædicem, fortíssimi fratres? Robur péctoris vestri & perseverántiam fidei, quo præcónio vocis exornem? Tolerasti usque ad consummatiónem glóriæ duríssimam quæstiónem, nec cessistis suppliciis, sed vobis pótiùs supplícia cessérunt. Finem dolóribus,

quem

quem tormenta non dabant, corónæ dedérunt. Quæstio grávior ad hoc diù persevérávit, non ut stantem fidem dejíceret, sed ut hómines Dei ad Dóminum velóciùs mítteret.

℟. In nullo terreámini ab adversáriis; * Quia vobis donátum est pro Christo, non solùm ut in eum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini. ℣. Æmulatóres estóte legis, & date ánimas vestras pro testamento patrum vestrórum. *Quia. *Philip.* 1. *II. Machab.* 2.

LECTIO VI.

VIdit admírans præséntium multitúdo cœleste certámen, certámen Dei, certámen spirituále, prælium Christi, stetisse servos ejus voce líberâ, mente incorruptâ, virtúte divínâ, telis quidem seculáribus nudos, sed armis fidei credentes armátos. Stetérunt torti torquéntibus fortióres, & pulsantes ac laniantes úngulas pulsáta ac laniáta membra vicérunt. Inexpugnábilem fidem superáre non pótuit sæviens diù plaga repetíta, quamvis ruptâ compáge víscerum torquerentur in servis Dei jam non membra, sed vúlnera. Fluébat sánguis qui incéndium persecutiónis exstíngueret, qui flammas & ignes gehennæ glorióso cruóre sopíret.

℟. Dico vobis amícis meis: * Ne terreámini ab his qui occídunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quid fáciant. ℣. Ego, ego ipse consolábor vos: quis tu ut timéres ab hómine mortáli, & à fílio hóminis, qui quasi fœnum ita arescet? * Ne terreámini. *Luc.* 12. *Isai.* 51.

LECTIO VII.

O Quale illud fuit spectáculum Dómino, quàm sublíme, quàm magnum, quàm Dei óculis sacramento ac devotióne mílitis ejus acceptum! Sicut scriptum est in Psalmis, Spíritu sancto loquente ad nos páriter & monente: Pretiósa est in conspectu Dómini mors justórũ ejus. Pretiósa mors hæc est, quæ emit immortalitátem prétio sui sánguinis, quæ accépit corónam de consummatióne virtútis. Quàm lætus illic Christus fuit, quàm libens in tálibus servis suis & pugnávit & vicit protector fidei, & dans credéntibus tantum quantum se credit cápere qui sumit! Certámini suo ádfuit, præliatóres atque assertóres sui nóminis erexit, corroborávit, animávit. Et qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis.

℟. In mortem trádimur propter Jesum, * Ut & vita Jesu manifestétur in carne nostrâ mortáli. ℣.

Propter te, Dómine, mortificámur totâ die; æstimáti sumus sicut oves occisiónis. * Ut & vita. *II. Cor.* 4. *Ps.* 43.

LECTIO VIII.

O Beátam Ecclésiam nostram, quam sic honor divínæ dignatiónis illúminat, quam tempóribus nostris gloriósus Mártyrum sánguis illustrat! Erat antè in opéribus fratrum cándida, nunc facta est in Mártyrum cruóre purpúrea. Flóribus ejus nec lília nec rosæ desunt. Certent nunc sínguli ad utriusque honóris amplíssimam dignitátē. Accípiant corónas vel de ópere cándidas, vel de passióne purpúreas. In cœléstibus castris & pax & ácies habent flores suos, quibus miles Christi ob glóriam coronétur.

℞. Per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen. * Aspicientes in autórem fidei & consummatórem Jesum. ℣. Exhibeámus nosmetipsos sicut Dei minístros, in multâ patiéntiâ, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus. * Aspicientes. ℣. Glória Patri. * Aspicientes. *Hebr.* 12. *II. Cor.* 6.

## *IN III. NOCTURNO.*

I. CANTICUM. *Sap.* 3.

*Felicitas Justorum qui variis tentationibus in hâc vitâ à Deo fuerunt probati.*

JUstórum ánimæ in manu Dei sunt, * & non tanget illos tormentum mortis.

Visi sunt óculis insipiéntium mori; * & æstimáta est afflíctio éxitus illórum:

Et quod à nobis est iter, extermínium; * illi autem sunt in pace.

Et si coram homínibus tormenta passi sunt, * spes illórum immortalitáte plena est.

In paucis vexáti, in multis benè disponentur: * quóniam Deus tentávit eos, & invénit illos dignos se.

Tamquam aurum in fornáce probávit illos, & quasi holocausti hóstiam accépit illos, * & in témpore erit respectus illórum.

Fulgébunt justi, * & tamquam scintillæ in arundinéto discurrent.

Judicábunt natiónes, & dominabuntur pópulis, * & regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

II. CANTICUM. *Sap.* 5.

*Gloria Justorum & æterna felicitas; in judicio Dei inutiles impiorum fletus.*

STabunt justi in magnâ constántiâ adversùs eos qui se angustiavérunt, * & qui abstulérunt labóres eórum.

Videntes turbabuntur timóre horríbili, * & mira-

buntur in subitatióne insperátæ salútis,

Dicentes intra se, pœniténtiam agentes, & præ angústiâ spíritûs gementes: * Hi sunt quos habúimus aliquandò in derísum, & in similitúdinem impropérii.

Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, * & finem illórum sine honóre:

Ecce quómodò computáti sunt inter fílios Dei,* & inter sanctos sors illórum est.

Ergò errávimus à viâ veritátis, & justítiæ lumen non luxit nobis, * & sol intelligéntiæ non est ortus nobis.

III. Canticum. *Ibid.*

JUsti autem in perpétuum vivent, & apud Dóminum est merces eórum, * & cogitátio illórum apud Altíssimum.

Ideò accípient regnum decóris, * & diadéma speciéi de manu Dómini:

Quóniam déxterâ suâ teget eos, * & bráchio sancto suo defendet illos.

Accípiet armatúram zelus illíus, & armábit creatúram ad ultiónem inimicórum.

Induet pro thoráce justítiam, * & accípiet pro gáleâ judícium certum.

Sumet scutum inexpugnábile, æquitátem; ácuet autem duram iram in lánceam; * & pugnábit cum illo orbis terrárum contra insensátos.

*Ant.* Laudábit te pópulus fortis; quia factus es spes à túrbine, umbráculum ab æstu. *Is.* 25.

℣. Deus noster refúgium & virtus; ℟. Adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimìs. *Ps.* 45.

Lectio IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. *Cap.* 8.

EXístimo quòd non sunt condignæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam exspectátio creatúræ, revelatiónem filiórum Dei exspectat. Vanitáti enim creatúra subjecta est non volens, sed propter eum qui subjécit eam in spe: quia & ipsa creatúra liberábitur à servitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiórum Dei.

℟. Mundi Creátor qui formávit hóminis nativitátem, quique ómnium invénit oríginem, * Et spíritum vobis cum misericórdiâ reddet & vitam, sicut nunc vosmetipsos despícitis propter leges ejus. ℣. Cùm vénerit glorificári in sanctis suis, & admirábilis fieri in ómnibus qui credidérunt. * Et spíritum. *II. Machab.* 7. *II. Thess.* 1.

Lectio X.

SCimus enim quòd omnis creatúra ingemis-

cit, & párturit uſque adhuc. Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primítias Spíritûs habentes, & ipſi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei exſpectantes, redemptiónem córporis noſtri. Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem quæ vidétur, non eſt ſpes: nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non vidémus, ſperámus: per patiéntiam exſpectámus. Simíliter autem & Spíritus ádjuvat infirmitátem noſtrã: nam quid orémus, ſicut oportet neſcímus; ſed ipſe Spíritus póſtulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus. Qui autem ſcrutátur corda, ſcit quid desíderet Spíritus: quia ſecundùm Deum póſtulat pro ſanctis.

℟. Deus omnis grátiæ, qui vocávit nos in æternam ſuam glóriam in Chriſto Jeſu módicum paſſos ipſe perficiet, confirmábit, ſolidabitque: * Ipſi glória in ſécula. ℣. Rex mundi defunctos nos pro ſuis légibus in æternæ vitæ reſurrectióne ſuſcitábit. * Ipſi. *I. Petr.* 5. *II. Machab.* 7.

LECTIO XI.

SCimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundùm propóſitum vocáti ſunt ſancti. Nam quos præſcívit, & prædeſtinávit conformes fieri imáginis Fílii ſui, ut ſit ipſe primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædeſtinávit, hos & vocávit; & quos vocávit, hos & juſtificávit: quos autem juſtificávit, illos & glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio ſuo non pepercit, ſed pro nobis ómnibus trádidit illum: quómodò non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accuſábit adversùs electos Dei? Deus qui juſtíficat. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Jeſus, qui mórtuus eſt, immò qui & reſurrexit, qui eſt ad déxteram Dei, qui étiam interpellat pro nobis.

℟. Vicérunt propter ſánguinem Agni, & propter verbum teſtimónii ſui, & non dilexérunt ánimas ſuas uſque ad mortem: * Proptéreà lætámini, cœli, & qui habitátis in eis. ℣. Módico dolóre ſuſtentáto, ſub teſtamento æternæ vitæ effecti ſunt. * Proptéreà. *Apoc.* 12. *II. Machab.* 7.

LECTIO XII.

QUis ergo nos ſeparábit à caritáte Chriſti? tribulátio, an angúſtia, an fames, an núditas, an perículum, an perſecútio, an gládius? ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificámur totâ die: æſtimáti ſumus ſicut oves occiſiónis. Sed in his ómnibus ſuperámus propter eum qui dilexit

xit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque ángeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profundum, neque creatúra ália póterit nos separáre à caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

℟. Antíquus diérum judícium dedit sanctis Excelsi, & tempus advénit, * Et † Regnum obtinuérunt sancti. ℣. Per fidem operáti sunt justítiam, adepti sunt repromissiónes. * Et regnum. ℣. Glória. † Regnū. *Dan.* 7. *Hebr.* 11.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam.

*Cap.* 21.

DIxit Jesus discípulis suis: Cùm audiéritis prælia & seditiónes, nolíte terréri: oportet primùm hæc fieri, sed nondùm statìm finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, & regnum adversùs regnū, & terræ motus magni erunt per loca, & pestiléntiæ, & fames, terroresque de cœlo, & signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, & persequentur, tradentes in synagógas, & custódias, trahentes ad reges & præsides, propter nomen meū: continget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris, non præmeditári quemádmodùm respondeátis. Ego enim dabo vobis os, & sapiéntiam, cui non póterunt resístere, & contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem à paréntibus, & frátribus, & cognátis, & amícis, & morte affícient ex vobis; & éritis ódio ómnibus propter nomen meum: & capillus de cápite vestro non períbit. In patiéntiâ vestrâ possidébitis ánimas vestras.

---

AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. OCuli Dómini contēplantur universam terram, & præbent fortitúdinem his qui corde perfecto credunt in eum. *II. Paral.* 16.

II. In multo experimento tribulatiónis abundántia gáudii ipsórum fuit. *II. Cor.* 8.

III. Et si coram homínibus tormenta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. *Sap.* 3.

IV. Qui própriâ voluntáte obtulistis vos discrímini, benedícite Dómino. *Judic.* 5.

V. Sicut sócii passiónum estis, sic éritis & consolatiónis. *II. Cor.* 1.

LECTIO. *I. Petr.* 4.

CArissimi, communicantes Christi passiónibus

gaudéte, † ut & in revelatióne glóriæ ejus * gaudeátis exsultantes.

℟. *br.* Anima nostra sicut passer erepta est * De láqueo venántium. ℟. Anima. ℣. Láqueus contrítus est, & nos liberáti sumus. * De. ℣. Glória. ℟. Anima. *Ps.* 123.

HYMNUS. *S. V.*

QUam, Christe, signasti viam
Primus profúso sánguine,
Per hanc tui te fortiter
Ducem sequuntur mílites.
Fossus manus, fossus pedes,
Ovans ad astra tránsvolas;
Et membra trunci Mártyres,
Addunt triumpho se tuo.
Omnes in ostro spléndidi
Tuum tribúnal ámbiunt:
Accepta monstrant vúlnera,
Et per tot ora súpplicant.
Audíre si nos réspuis,
Quos críminum moles gravat;
Audi tuos qui sánguinem
Fudêre pro te, Mártyres.
Fac, si tyrannus déficit,
Ne blandiendo mólliùs
Frangat voluptas péctora
Ipsis tyrannis sævior.
Cujus sub armis mílitant
Mundumque vincunt Mártyres,
Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliasti, ℟. Annis quibus vídimus mala. *Ps.* 89.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Beáti qui persecutiónem patiuntur propter justítiam; quóniam ipsórum est regnum cœlórum. *Matth.* 5.

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

OMnípotens, sempiterne Deus, qui sanctis tuis *N.* & *N.* non solùm crédere in Fílium tuum, sed étiam pro eódem pati posse donasti; † nostræ quoque fragilitáti divínum prætende subsídium, * ut misericórdiam sempiternam, pro quâ illi felíces ánimas exhalárunt, nos saltem sincérâ confessióne mereámur: Per Dóminum.

ALIA COLLECTA. *Sacr. Ambr.*

OMnípotens, sempiterne Deus, qui in sanctórum Mártyrum tuórum *N.* & sociórum córdibus flammam tuæ dilectiónis accendis; † da méntibus nostris eamdem fidei, caritatisque virtútem, * ut quorum gaudémus triumphis, proficiámus exemplis: Per.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Jac.* 1.

OMne gáudium existimáte, fratres mei, cùm in tentatiónes várias incidéritis; † sciéntes quòd probátio fidei vestræ patiéntiam operátur; * patiéntia autem opus perfectum habet.

℣. Anima nostra sustinet Dóminum; ℟. Quóniam adjútor & protéctor noster est. *Ps.* 32.

AD SEXTAM.

LECTIO. *I. Petr.* 3.

QUis est qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? † Sed & si quid patímini propter justítiam beáti. * Timórem autem eórum ne timuéritis, & non conturbémini; Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris.

℣. Non derelinquet Dóminus sanctos suos: ℟. In ætérnum conservabuntur. *Ps.* 36.

AD NONAM.

LECTIO. *I. Petr.* 1.

IN Deo exsultábitis, módicùm nunc si opórtet contristári in váriis tentatiónibus; † ut probátio vestræ fidei multò pretiósior auro, quod per ignem probátur, * inveniátur in laudem, & glóriam, & honórem in revelatióne Jesu Christi.

℣. Qui séminant in lácrymis, ℟. In exsultatióne metent. *Ps.* 125.

---

AD II. VESPERAS.

*ANTIPHONÆ.*

I. VIdi ánimas interfectórum propter verbum Dei, & propter testimóniũ quod habébant. *Apoc.* 6.

II. Stabant ante thronum in conspectu Agni; & palmæ in mánibus eórum. *Apoc.* 7.

III. Venérunt de tribulatióne magnâ, & lavérunt stolas suas, & dealbavérunt eas in sánguine Agni. *Apoc.* 7.

IV. Ante thronum Dei sunt, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus; & qui sedet in throno, habitábit super illos. *Apoc.* 7.

LECTIO. *Apoc.* 21.

ABsterget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum; † & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà; * quia prima abiérunt.

℟. *br.* Probasti nos, Deus, * Et eduxisti nos in refrigérium. ℟. Probasti. ℣. Igne nos examinasti, sicut examinátur argentum. * Et. ℣. Glória. ℟. Probasti. *Ps.* 65.

*Hymnus*, Christi Martyribus. *ut suprà ad I. Vesperas. pag.* xviij.

℣. In ætérnum exsultábunt, ℟. Et habitábis in eis. *Ps.* 5.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ; & dictum est illis ut requiéscerent, donec compleantur consérvi eórum, qui interficiendi sunt sicut & illi. *Apoc.* 6.

DIEBUS PRIVATIS.

*IN II. NOCTURNO.*

LECTIO. *I. Petri, 4.*

NEmo vestrûm patiátur ut homicída, aut fur, aut malédicus, aut alienórum appetítor. Si autem ut Christiánus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nómine; quóniam tempus est ut incípiat judícium à domo Dei. Si autem primùm à nobis: quis finis eórum qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvábitur, ímpius & peccátor ubi parébunt? Itaque & hi qui patiuntur secundùm voluntátem Dei, fidéli Creatóri commendent ánimas suas in benefactis.

℣. Custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum: ℟. De manu peccatóris liberábit eos. *Ps. 96.*

COMMUNE *PONTIFICUM.*

AD I. VESPERAS.

*ANTIPHONÆ.*

I. DAbo vobis Pastóres juxta cor meum, & pascent vos sciéntiâ & doctrínâ. *Jerem. 3.*

II. Ponam Præpósitos tuos justítiam; non audiétur iníquitas in terrâ tuâ, & occupábit salus muros tuos. *Isai. 60.*

III. Holocausta eórum & víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo. *Is. 56.*

IV. Quemcumque elégerit Dóminus, ipse erit sanctus. *Num. 16.*

LECTIO. *Hebr. 5.*

NEc quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur à Deo, tamquàm Aaron. † Sic & Christus non semetipsum clarificávit ut Póntifex fieret; sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu; ego hódie génui te: * quemádmodùm & in álio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum secundùm órdinem Melchísedech.

℟. *br.* Domus Aaron, * Benedícite Dómino. ℟. Domus. ℣. Domus Levi, & qui timétis Dóminum. * Benedícite. ℣. Glória. ℟. Domus. *Ps. 134.*

HYMNUS. *G. Ep. S.*

CHriste, Pastórum caput atque princeps,
Præsulis festam veneráta lucem,
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequentat.
Ille non vano ténuit tremendam
Spíritu sedem, próprio nec ausu:
Sed sacrum jussus, Dómino vocante,
Sumpsit honórem.
Strénuum bello púgilem superni

Chrísmatis pleno tuus unxit intùs
Spíritus cornu, posuitque sanctam
Páscere gentem.
Fit gregis pastor, pater atque forma:
Lætus impendit sua, seque: servus
Omnium, curis gravis, omnibusque
Omnia factus.
Pro reis orat, réficit gementes,
Erigit lapsos, tenebrasque pellit,
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hostem.
Fac ut illíus précibus juvémur,
Christe: fac Patrem pariterque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum.
Amen.

℣. Beátus quem elegisti, & assumpsisti: ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Elégit ipsum Dóminus ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum & bonum odórem, in memóriam placáre pro pópulo suo. *Eccli.* 45.

*Collecta ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.*

---

## AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Christum Pastórum príncipem, * Veníte, adorémus. *I. Petr.* 5.

HYMNUS. *S. V.*

Christe, decréto Patris institútus
Póntifex summo, tibi qui fidéles,
Quos legis formas pópulis regendis
Ipse ministros.
Hunc juvat festo celebráre cantu,
Qui licèt magnis méritis abundans,
Flens & invítus, duce te, tremendum
Sumpsit honórem.
Nóverat quantis páteat periclis
Ille, qui summos ápices adeptus,
Omnium curas, sibi raptus uni,
Sústinet omnes.
Fécerat fervens amor inquiétum;
Quò gregis cari pia cura poscit,
Advolat promptus, mora non euntem
Ulla retardat.
Dux iter, vitâ præeunte, monstrat,
Cómprobat factis sua dicta magnis;
Et domum sanctam benè olente Christi
Implet odóre.
Lux erat cæco, cólumen labanti,
Una spes lapso, mísero levámen,
Próvidus cunctis pater, omnibusque

Omnia factus.
Qui tuis formas pópulis ministros
Laus tibi jugis, Déitas supréma;
Fac ut in Clero sua prima virtus,
Christe, resurgat.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Suscitábo mihi Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum & ánimam meam fáciet. *I. Reg.* 2.

II. Elégi eum ex ómnibus mihi in Sacerdótem, ut ascénderet ad altáre meum, & adoléret mihi incensum. *I. Reg.* 2.

III. Speculatórem dedi te dómui Israel; & áudies de ore meo verbum, & annuntiábis eis ex me. *Ezech.* 3.

IV. Probatórem dedi te in pópulo meo robustum; & scies, & probábis viam eórum. *Jerem.* 6.

V. Si in viis meis ambuláveris, & custódiam meã custodíeris, judicábis domũ meam. *Zach.* 3.

VI. Esto vígilans, & confirma quæ moritúra erant. Si non vigiláveris, véniam ad te tamquàm fur, & néscies quâ horâ véniam ad te. *Apoc.* 3.

℣. Dóminus pars hæreditátis meæ, & cálicis mei: ℟. Tu es qui restítues hæreditátẽ meam mihi. *Ps.* 15.

*Lectiones cum* Responsoriis *suis de Scripturâ occurrente.*

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Grátias ago ei qui me confortávit Christo Jesu, quia fidélem me existimávit ponens in ministério. *I. Tim.* 1.

II. Vos scitis quómodò nihil subtráxerim utílium, quóminùs annuntiárem vobis, & docérem vos públicè & per domos. *Act.* 20.

III. Mundus sum à sánguine ómnium; non enim subterfúgi quóminùs annuntiárem omne consílium Dei vobis. *Ibid.*

IV. Dei sumus adjutóres; Dei agricultúra estis, Dei ædificátio estis. *I. Cor.* 3.

V. Non sufficientes sumus à nobis; sed sufficiéntia nostra ex Deo est, qui & idóneos nos fecit ministros novi testamenti. *II. Cor.* 3.

VI. Si ministrátio mortis lítteris deformáta, in lapídibus, fuit in glóriâ, quómodò non magis ministrátio Spíritûs erit in glóriâ? *Ib.*

℣. Impinguasti in óleo caput meum; ℟. Et calix meus inébrians quàm præclárus est! *Ps.* 22.

LECTIO V.

Ex libro Régulæ pastorális sancti Gregórii Papæ.

*Part.* 2, *cap.* 1, 2.

TAntùm debet actiónem pópuli áctio transcéndere Præsulis, quantùm

distáre solet à grege vita pastóris. Oportet namque ut metíri sollícitè stúdeat, quantâ tenendæ rectitúdinis necessitáte constríngitur, sub cujus æstimatióne pópulus grex vocátur. Sit ergo necesse est cogitatióne mũdus, actióne præcípuus, discrétus in siléntio, útilis in verbo, síngulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspensus, benè agéntibus per humilitátem sócius, contra delinquéntium vítia per zelum justítiæ eréctus. Rector semper cogitatióne sit mundus; quátenùs nulla hunc immundítia pólluat, qui hoc suscépit officii, ut in aliénis quoque córdibus pollutiónis máculas tergat: quia necesse est, ut esse munda stúdeat manus, quæ dilúere sordes curat.

℟. Póntifex, super cujus caput fusum est unctiónis óleum, & cujus manus consecrátæ sunt, * Non contaminábitur; ne pólluat sanctuárium Dómini. ℣. Quia óleum sanctæ unctiónis Dei sui super eum est: vestitusque est sanctis véstibus. * Non. *Levit.* 21.

LECTIO VI. *Cap.* 3.

SIt Rector operatióne præcípuus; ut vitæ viam súbditis vivendo denúntiet; & grex qui pastóris vocem moresque séquitur, per exempla mélius quàm per verba gradiátur. Qui enim loci sui necessitáte exígitur summa dícere, hâc eâdem necessitáte cõpéllitur summa monstráre. Illa namque vox libéntiùs auditórum cor pénetrat, quam dicentis vita commendat; quia quod loquendo ímperat, ostendendo ádjuvat ut fiat.

℟. Pópulum meum docébunt quid sit inter sanctum & pollútum; * Et inter mundum & immundum ostendent eis. ℣. Cùm fúerit controvérsia, stabunt in judíciis meis, & judicábunt. * Et inter. *Ezech.* 44.

LECTIO VII. *Cap.* 4.

SIt Rector discrétus in siléntio, útilis in verbo: ne aut tacenda próferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locútio in errórem pértrahit, ita indiscrétum siléntium hos qui erudíri póterant, in erróre derelinquit. Præcónis quippe offícium súscipit, quisquis ad sacerdótium accédit; ut ante adventum júdicis, qui terribíliter séquitur, ipse scílicet clamando gradiátur. Sacerdos ergò si prædicatiónis est néscius, quam clamóris vocem datúrus est præco mutus? Verùm cùm se ad loquendum præparat, sub quanto cautélæ stúdio loquátur, attendat; ne, si inordinátè ad loquendum rápitur, erróris vúlnere audiéntium corda feriantur; & cùm fortassè

sápiens vidéri desíderat, unitátis compágem insipienter abscindat.

℟. Lábia sacerdôtis custódient sciéntiam, & legem requírent ex ore ejus; * Quia Angelus Dómini exercítuum est. ℣. Oportet Epíscopū sine crímine esse, amplecténtem eum, qui secundùm doctrínam est fidélem sermónem, ut potens sit exhortári in doctrínâ sanâ, & eos qui contradícunt argúere. * Quia Angelus. *Malach.* 2. *Tit.* 1.

LECTIO VIII. *Cap.* 5, 6.

SIt Rector síngulis compassióne próximus, præ cunctis contemplatióne suspensus: ut & per pietátis víscera in se infirmitátem cæterórum tránsferat, & per speculatiónis altitúdinem semetipsum quoque invisibília appetendo, transcendat: ne, aut alta petens, proximórum infirma despíciat, aut infirmis proximórum cóngruens, appétere alta derelínquat. Sit benè agéntibus per humilitátem sócius; contra delinquéntium vítia per zelum justítiæ erectus. Nam cuncti qui præsunt, non in se potestátem debent órdinis, sed æqualitátem pensáre conditiónis: nec præesse se homínibus gáudeant, sed prodesse. Téneant ergò rectóres extériùs quod pro aliórum utilitáte suscípiunt; servent intériùs quod de suâ æstimatióne per iméscunt. Sed tamen, quibusdam signis decenter erumpéntibus, eos apud se esse húmiles, étiam subjecti deprehendant; quátenùs & in autoritáte eórum, quod formídent, vídeant; & de humilitáte, quod imitentur, agnoscant.

℟. Factus sum infirmus, ut infirmos lucrifácerem. * Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. ℣. Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram páuperum. * Omnibus. ℣. Glória. * Omnibus. *I. Cor.* 9. *Job*, 29.

## *IN III. NOCTURNO.*

I. CANTICUM. *Ezech.* 34.

*Ovium suarum Dominus liberator & pastor.*

EGo pascam oves meas:* & ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus.

Quod períerat, requíram; & quod abjectum erat, redúcam; * & quod confractum fúerat, alligábo;

Et quod infirmum fúerat consolidábo, & quod pingue & forte, custódiam: * & pascam illas in judício.

Et suscitábo super eas Pastórem unum, qui pascat eas, servum meum David: * ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastórem.

Ego autem Dóminus ero eis in Deum: & servus meus David princeps in mé-

dio eórum : * ego Dóminus locútus sum.

II. CANTICUM. *Ibid.*

ET fáciam cum eis pactū pacis, * & cessáre fáciam béstias péssimas de terrâ ;

Et qui hábitant in deserto, * secúri dórmient in sáltibus.

Et ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem ; & dedúcam imbrem in témpore suo : * plúviæ benedictiónis erunt.

Et dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum ;* & erunt in terrâ suâ absque timóre :

Et scient quia ego Dóminus, cùm contrívero caténas jugi eórum, * & erúero eos de manu imperántium sibi.

Et non erunt ultrà in rapínam in géntibus, neque béstiæ terræ devorábunt eos : * sed habitábunt confidenter absque ullo terróre.

Vos autem greges mei, greges páscuæ meæ, hómines estis : * & ego Dóminus Deus vester, dicit Dóminus Deus.

III. CANTICUM. *Jerem.* 3.

*Futura Jerusalem gloria & exaltatio.*

INtrodúcam vos in Sion, & dabo vobis pastóres juxta cor meum ; * & pascent vos sciéntiâ & doctrinâ.

Cúmque multiplicáti fuéritis, * & crevéritis in terrâ in diébus illis, ait Dóminus:

Non dicent ultrà : Arca testamenti Dómini : neque ascendet super cor, neque recordabuntur illíus :* nec visitábitur, nec fiet ultrà.

In témpore illo vocábunt Jerúsalem Sólium Dómini : & congregabuntur ad eam omnes gentes in nómine Dómini in Jerúsalem, * & non ambulábunt post pravitátem cordis sui péssimi.

Convertímini, filii revertentes,* & sanábo aversiónes vestras.

Ecce nos venímus ad te ; tu enim es Dóminus Deus noster : * verè in Dómino Deo nostro salus Israel.

*Ant.* Accéde ad altáre ; & ímmola pro peccáto tuo ; offer holocáustum, & deprecáre pro te & pro pópulo. *Levit.* 9.

℣. Sacrificent sacrificium laudis ; ℟. Et annúntient ópera Dei in exsultatióne. *Ps.* 106.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. *Cap.* 3.

FIdélis sermo : si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Oportet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse ; uníus uxóris virum, sóbrium, prudentem, ornáb 5

tum, pudícum, hospitálem, doctórem, non violentum, non percussórem, sed modestum: non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui benè præpósitum: filios habentem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præesse nescit, quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum: ne in supérbiam elátus, in judícium incidat diáboli. Oportet autem illum & testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium incidat, & in láqueum diáboli.

℟. Rectórem te posuérunt? noli extolli: * Esto in illis quasi unus ex ipsis; curam illórum habe. ℣. Si quis vult primus esse, erit ómnium novíssimus, & ómnium minister. * Esto. *Eccli.* 32. *Marc.* 9.

LECTIO X. *Cap.* 4.

NEmo adolescéntiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidélium in verbo, in conversatióne, in caritáte, in fide, in castitáte. Dum vénio, adtende lectióni, exhortatióni, & doctrínæ. Noli negligere grátiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophétiam, cum impositióne mánuum presbytérii. Hæc meditáre, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit ómnibus. Adtende tibi, & doctrínæ: insta in illis. Hoc enim fáciens, & te ipsum salvum fácies, & eos qui te áudiunt.

℟. Super spéculam Dómini ego sum, stans júgiter per diem: * Et super custódiam meam ego sum, stans totis nóctibus. ℣. Nocte & die non cessávi, cum lácrymis monens unumquemque vestrûm. * Et super. *Isai.* 21. *Act.* 20.

LECTIO XI. *Cap.* 5.

QUi benè præsunt Presbyteri, dúplici honóre digni habeantur: máximè qui labórant in verbo & doctrínâ. Dicit enim Scriptúra: Non alligábis os bovi trituranti. Et: Dignus est operárius mercéde suâ. Adversùs Presbyterum accusatiónē noli recipere, nisi sub duóbus aut tribus téstibus. Peccantes coram ómnibus árgue: ut & cæteri timórem hábeant. Testor coram Deo & Christo Jesu, & electis Angelis, ut hæc custódias sine præjudício, nihil fáciens in álteram partem declinando. Manus citò némini imposúeris, neque communicáveris peccátis aliénis. Teipsum castum custódi.

℟. Locútus es sánctis tuis, & dixisti: Exaltávi electum de plebe meâ: invéni servum meum. * Oleo sáncto meo unxi eum; manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Huic Deus testimónium

perhibens, dixit : Invéni virum secúdùm cor meum. * Oleo. *Ps.* 88. *Act.* 13.

LECTIO XII. *Cap.* 6.

RAdix ómnium malórum est cupíditas : quã quidam appetentes, erravérunt à fide, & inseruérunt se dolóribus multis. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge : sectáre verò justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam; mansuetúdinem. Certa bonum certámen fídei; apprehende vitam æternam, in quâ vocátus es, & confessus bonam confessiónem coram multis téstibus. Præcípio tibi coram Deo, qui vivíficat ómnia, & Christo Jesu, qui testimónium réddidit sub Póntio Piláto, bonam confessiónem : ut serves mandátum sine máculâ, irreprehensíbile usque in adventum Dómini nostri Jesu Christi.

℟. Euge, serve bone & fidélis, super multa te constituam : * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Super pópulum meum constitui te : sapiéntia & sciéntia data sunt tibi ; & glóriam dabo tibi. * Intra. ℣. Glória. *Intra. *Matth.* 25. *II. Paral.* 1.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Cap.* 24.

DIxit Jesus discípulis suis : Vigiláte ; quia nescítis quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias quâ horâ fur ventúrus esset, vigiláret útique, & non síneret pérfodi domum suam. Ideò & vos estóte paráti ; quia quâ nescítis horâ, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus & prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore ? Beátus ille servus, quem, cùm vénerit dóminus ejus, invénerit sic facientem. Amẽ dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

---

AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. SUper muros tuos, Jerúsalẽ, constítui custódes : totâ die & totâ nocte, in perpétuum non tacébunt. *Isai.* 62.

II. Erunt Dómino offerentes sacrifícia in justítiâ ; & placébit Dómino sacrifícium. *Malach.* 3.

III. Deum Israel prædicábunt ; & scient errantes spíritu intellectum. *Isai.* 29.

IV. Audiátur sónitus, quando ingréditur & egréditur sanctuárium Póntifex in conspectu Dómini. *Exod.* 28.

V. Qui vos audit, me audit ; & qui vos spernit, me

ſpernit; qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me. *Luc.* 10.

LECTIO. *Hebr.* 13.

MEmentóte Præpoſitórum veſtrórum, qui vobis locúti ſunt verbum Dei: quorum intuentes éxitum converſatiónis, imitámini fidem. † Jeſus Chriſtus heri, & hódie; ipſe & in ſécula. * Doctrínis váriis & peregrínis nolíte abdúci.

℟. *br.* Réſpice de cœlo, Dómine, & vide, * Et víſita víneam iſtam. ℟. Réſpice. ℣. Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua. * Et víſita. ℣. Glória. ℟. Réſpice. *Pſ.* 79.

HYMNUS. *G. Ep. S.*

JEsu Sacerdótum decus,
In hâc die, quâ glóriâ
Sanctum corónas Præſulem,
Votis adeſto ſupplicum.

Sui probátus præmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páſcere.

Hos novit, & præit vocans
In tuta quemque páſcua,
Victumque præbet: áudiunt,
Sequuntur, & vivunt oves.

Quam ſentit errantem jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet inventam ſuo
Portans ovíli réddere.

Arcet frementes béſtias,
Lupi retundit ímpetus,
Doloſque fallit, vel mori
Caro parátus pro grege.

Offert frequentem víctimam
Cum plebe Paſtor ínnocens;
Secumque devótum gregem
Pius Sacerdos ímmolat.

Supréme, Chriſte, Póntifex,
Jugis tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſécula.
Amen.

℣. Paſce pópulum tuum, Dómine, in virgâ tuâ, ℟. Gregem hæreditátis tuæ. *Mich.* 7.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Sacerdótes tui induantur ſalútem: Dómine Deus, ne avérteris fáciem chriſti tui; memento miſericordiárũ ſervi tui. *II. Paral.* 6.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui pópulis tuis indulgéntiâ cónſulis, & amóre domináris, quique illis regendis vicários caritátis tuæ præficis miniſtros: † da, quæſumus, intercedente beáto *N.* Pontífice, ſpíritum ſapiéntiæ, quibus ſacræ dediſti régimen diſciplínæ; * ut de profectu ſanctárum óvium, fiant gáudia ætérna paſtórum: Per Dóminum.

ALIA COLLECTA. *Br. Clun.*

OMnípotens Deus, qui beátum *N.* Antiſtitem pópulo tuo præeſſe, & quibus præerat, verbo & exẽplo prodeſſe voluiſti: † có-

dem intercedente, Pastóres Ecclésiæ tuæ cum grégibus sibi commissis dirige in viâ salútis ætérnæ; * ut omnes, te donante, tibi plácita cúpiant & totâ virtúte perfíciant : Per Dóminum.

## AD TERTIAM.

LECTIO. *Heb.* 5.

OMnis Póntifex ex homínibus assumptus, † pro homínibus constitúitur in iis quæ sunt ad Deum, * ut ófferat dona & sacrifícia pro peccátis.

℣. Circuívi & immolávi in tabernáculo ejus ℟. Hóstiam vociferatiónis. *Ps.* 26.

## AD SEXTAM.

LECTIO. *Act.* 20.

ADténdite vobis, & universo gregi, † in quo vos Spíritus sanctus pósuit Epíscopos régere Ecclésiam Dei, * quam acquisívit sánguine suo.

℣. Elégit Dóminus servum suum, ℟. Páscere Israel hæreditátem suam. *Ps.* 77.

## AD NONAM.

LECTIO. *Hebr.* 13.

OBedíte Præpósitis vestris, & subjacéte eis; † Ipsi enim pervígilant, * quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

℣. Nos pópulus tuus, & oves páscuæ tuæ; ℟. Confitébimur tibi in séculum. *Ps.* 78.

## AD II. VESPERAS.

*ANTIPHONÆ.*

I. QUi intrat per óstium, pastor est óvium : huic ostiárius áperit, & oves vocem ejus áudiunt. *Joan.* 10.

II. Próprias oves vocat nominátim, & edúcit eas, & ante eas vadit. *Joan.* 10.

III. Oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus; aliénum autem non sequuntur, sed fúgiunt ab eo. *Joan.* 10.

IV. Fur venit ut perdat, mercenárius videt lupum, & fugit : bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. *Joan.* 10.

LECTIO. *I. Petr.* 5.

PAscite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontáneè secundùm Deum; † neque turpis lucri grátiâ, sed voluntáriè; * neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex ánimo.

℟. *br.* Pavit eos * In innocéntiâ cordis sui. ℟. Pavit. ℣. Et in intelléctibus mánuum suárum deduxit eos. * In. ℣. Glória. ℟. Pavit. *Ps.* 77.

*Hymnus.* Christe Pastórum. *ut ad I. Vesp. p.* xxviij.

℣. Salvum fecit Dóminus Christum suum : ℟. Exáudiet illum de cœlo sancto suo. *Ps.* 19.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Cùm apparúerit Princeps pastórum, percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónam. *I. Petr.* 5.

---

DIEBUS PRIVATIS.

*IN II. NOCTURNO.*

LECTIO. *Tit.* 1.

OPortet Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem, non supérbum, non iracundum, non vinolentum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum; sed hospitálem, benignum, sóbrium, justum, sanctum, continentem, amplecténtem eum qui secundùm doctrínam est, fidélem sermónem; ut potens sit exhortári in doctrínâ sanâ, & eos qui contradícunt, argúere.

℣. Exaltent Dóminum in ecclésiâ plebis, ℟. Et in cáthedrâ seniórum laudent eum. *Ps.* 106.

---

COMMUNE

*DOCTORUM.*

---

AD I. VESPERAS.

*ANTIPHONÆ.*

I. IN dexterâ Dómini ígnea lex: dilexit pópulos; omnes sancti in manu illíus sunt: & qui appropinquant pédibus ejus, accípient de doctrínâ illíus. *Deut.* 33.

II. In corde prudentis requiéscit sapiéntia, & indoctos quosque erúdiet. *Prov.* 14.

III. In médio Ecclésiæ apériet Dóminus os ejus, & adimplébit illum spíritu sapiéntiæ & intelléctûs. *Eccli.* 15.

IV. Ipse tamquàm imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ; & in oratióne confitébitur Dómino. *Eccli.* 39.

LECTIO. *Eccli.* 24.

DOctrínam quasi prophétiam effundam, † & relinquam illam quæréntibus sapiéntiam, * & non désinam in progénies illórum usque in ævum sanctum.

℟. *br.* Os justi * Meditábitur sapiéntiam. ℟. Os. ℣. Et lingua ejus loquétur judícium. * Meditábitur. ℣. Glória. ℟. Os justi. *Ps.* 36.

HYMNUS. *S. V.*

O, Qui perpétuus nos mónitor doces,
Vox ætérna Patris, Christe, vicários
Doctóres, pátrias cùm rémeas domos,
Nobis quàm benè súppetis!
Hi semper vígilant, ne quid adúlterum
Corrumpat fídei virgíneum decus;
Lædi vel léviter non pátitur fides,
His custódibus íntegra.

Infâmes âbolent rellíquias deûm;
Erróres ábigunt, crímina dédocent;
Christo restituunt, quos malè crédulos
Mendax lúserat hæresis.

Patrum canítiem, tot venerábiles
Rugas objíciunt, unde nitet fides:
Quæ sunt prisca, docent; quæ nova, súbruunt:
Servant depósitum Dei.

Sit supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine, ℟. Et de lege tuâ docúeris eum. *Ps.* 93.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesauro suo nova & vétera. *Matth.* 13.

*Collecta ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.*

---

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Fontem sapiéntiæ Dóminum, * Veníte, adorémus. *Eccli.* 1.

HYMNUS. *S. V.*

Jam nunc quæ númeras tot tibi víndices,
Effer sidéreum Relligio caput:
Quot sunt mota tibi prælia, nóbiles
Tot nectis tibi láureas.

Cùm per mille neces impietas furit,
Oppónis válido péctore Mártyres:
Cùm per mille dolos décipit hæresis,
Doctóres tibi súscitas.

Quando sparsa lues úndique críminum,
Hi gliscens vítium prótinùs ámputant:
Quando plúrima nox méntibus íncubat,
Hi plenum révehunt diem.

Firmant instábiles, & dúbios regunt:
Monstrant tuta procul lítora náufragis:
Nobis, qui véhimur cæca per æquora,
Lucent perpétuæ faces.

Quæ dixêre tuis cónsona sénsibus,
Nostris illa, Deus, córdibus ímprimas;
Quos terris cólimus, quos séquimur duces,
Fac nos móribus ássequi.

Patri máxima laus, máxima Fílio,
Par sit, Sancte, tibi glória, Spíritus:
Fac mentes répleat lúmine véritas,

Urat péctora cáritas. Amen.

## *IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* I. A Deo profecta est sapiéntia: & in ore fidéli abundábit; & Dominátor dabit eam illi. *Eccli.* 15.

II. Sapiéntia non est multis manifesta; quibus autem cógnita est, pérmanet usque ad conspectum Dei. *Eccli.* 6.

III. Multitúdo sapiéntium sánitas est orbis terrárum. *Sap.* 6.

IV. Sapiens in pópulo hæreditábit honórem; & nomen illíus erit vivens in ætérnum. *Eccli.* 37.

V. Néminē díligit Deus, nisi eum qui cum sapiéntiā inhábitat. *Eccli.* 7.

VI. Sciéntia sapientis tamquàm inundátio abundábit, & consílium illíus sicut fons vitæ pérmanet. *Eccli.* 21.

℣. Bonum mihi lex oris tui, Dómine, ℟. Super míllia auri & argenti. *Ps.* 118.

*Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.*

## *IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Optávi, & datus est mihi sensus; & invocávi, & venit in me spíritus sapiéntiæ. *Sap.* 1.

II. Præpósui illam regnis & sédibus, & divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. *Ibid.*

III. Ego non sum turbátus te Pastórem sequens, & diem hóminis non desiderávi; quod egressum est de lábiis meis, rectum in conspectu tuo fuit. *Jerem.* 17.

IV. Annuntiábam ut pœniténtiam ágerent, & converterentur ad Deum; digna pœniténtiæ ópera faciéntes. *Act.* 26.

V. Inventi sunt sermónes tui, & comédi eos; & factum est mihi verbum tuum in gáudium & in lætítiam cordis mei. *Jerem.* 15.

VI. Cùm esset sapientíssimus, dócuit pópulum: quæsívit verba utília, & conscripsit sermónes rectíssimos ac veritáte plenos. *Eccli.* 12.

℣. Scrutábor legem tuā, Dómine, ℟. Et custódiam illam in toto corde meo. *Ps.* 118.

### LECTIO V.

Ex libro secundo sancti Augustíni Epíscopi contra Juliánum. *Cap.* 10. *n.* 34.

SAnctos & in sanctâ Ecclésiâ illustres Antístites Dei, non Platónicis & Aristotélicis & Zenónicis, aliisque hujuscémodi, vel Græcis vel Latínis, quamquam & istis áliquos eórum, verùm omnes sacris lítteris erudítos nominátim, sicut oportébat, expressi; eorumque senténtias, quantùm sufficere videbátur, sine

ullâ, éditas ambiguitáte, digessi; ut in eis tímeas, non ipsos, sed illum qui sibi eos utília vasa formávit, & sancta templa constrúxit: qui tunc de istâ causâ judicavérunt, quando eos nemo potest dícere, perperàm cuíquam vel adversári, vel favére potuisse.

℟. Ne despícias narratiónem presbyterórum sapiéntium: * Ab ipsis enim disces sapiéntiam & doctrínam intellectûs. ℣. Sapiéntiæ illórum ex corde conjúngere; ut omnem narratiónem Dei possis audíre. * Ab ipsis. *Eccli.* 8 & 6.

LECTIO VI. *n.* 34 & 37.

NUllus nobíscum vel vobíscum amicítias adtendérunt, vel inimicítias exercuérunt; neque nobis, neque vobis iráti sunt; neque nos, neque vos miseráti sunt. Quod invenérunt in Ecclésiâ, tenuérunt; quod didicérunt, docuérunt; quod à pátribus accepérunt, fíliis tradidérunt. Isti sunt docti, graves, sancti, veritátis acérrimi defensóres adversùs gárrulas vanitátes; in quorum ratióne, eruditióne, libertáte, quæ tria bona júdici tribuisti, non potes inveníre quod spernas.

℟. Non te prætéreat narrátio seniórum: * Ipsi enim didicérunt à pátribus suis. ℣. Ne transgrediáris términos antíquos, quos posuérunt patres tui. * Ipsi. *Eccli.* 8. *Prov.* 22.

LECTIO VII. *n.* 37.

SI episcopális synodus ex toto orbe cõgregarétur, mirum si tales possent illic fácilè tot sedére; quia nec isti uno témpore fuérunt: sed fidéles, & multis excelentióres, paucos dispensatóres suos Deus, per diversas ætátes témporum locorumque distántias, sicut ei placet, atque expedíre júdicat, ipse dispensat. Hos ítaque de áliis atque áliis tempóribus, atque regiónibus, ab Oriente & Occidente congregátos vides, non in locum quò navigáre cogantur hómines, sed in librum qui navigáre possit ad hómines.

℟. Verba sapiéntium sicut stímuli & quasi in altum defixi, quæ per magistrórum consílium datæ sunt à pastóre uno: * His ámpliùs, fili mi, ne requíras. ℣. Quãta mandávit Dóminus pátribus nostris, nota fácere ea fíliis suis, ut cognoscat generátio áltera. * His. *Eccli.* 12. *Ps.* 77.

LECTIO VIII. *Ibid.*

QUantò tibi essent isti júdices optabilióres, si tenéres cathólicam fidem; tantò tibi sunt terribilióres, quia oppugnas cathólicam fidem, quam in lacte suxérunt, quam in cibo sumpsérunt; cujus lac & cibum parvis magnisque

ministravérunt; quam contra inimícos étiam vos tunc nondum natos, undè nunc revelámini, apertíssimè ac fortíssimè defendérunt. Tálibus post Apóstolos, sancta Ecclésia plantatóribus, rigatóribus, ædificatóribus, pastóribus, nutritóribus crevit.

℟. Dat Dominus sapiéntiam sapiéntibus & sciéntiã intelligéntibus disciplínam: * Ipse revélat profunda & abscóndita: & † Lux cum eo est. ℣. In manu illíus & nos & sermónes nostri, & omnis sapiéntia & disciplína. * Ipse. ℣. Glória. † Lux. *Dan.* 2. *Sap.* 7.

*IN III. NOCTURNO.*

I. CANTICUM. *Prov.* 3.

*Summa viri sapientis felicitas. Quæ à Deo est Sapientiæ encomium.*

BEátus homo qui invénit sapiéntiam, * & qui áffluit prudéntiâ.

Mélior est acquisítio ejus negotiatióne argenti, * & auri primi & puríssimi, fructus ejus.

Pretiósior est cunctis ópibus; * & ómnia quæ desiderantur, huic non valent comparári.

Longitúdo diérum in déxterâ ejus, * & in sinistrâ illíus divítiæ & glória.

Viæ ejus, viæ pulchræ; * & omnes sémitæ illíus pacíficæ.

Lignum vitæ est his qui apprehénderint eam; * & qui tenúerit eam, beátus.

II. CANTICUM. *Sap.* 7.

*Sapientiæ fructus & excellentia.*

OMnibus mobílibus mobílior est sapiéntia; * adtingit autem ubíque propter suam munditiam.

Vapor est enim virtútis Dei, & emanátio quædam est claritátis omnipoténtis Dei sincéra; * & ideò nihil inquinátum in eam incurrit.

Candor est enim lucis ætérnæ, & spéculum sine máculâ Dei majestátis, * & imágo bonitátis illíus.

Et cùm sit una, ómnia potest; * & in se pérmanens, ómnia ínnovat;

Et per natiónes in ánimas sanctas se transfert; * amícos Dei & prophétas constítuit.

Néminem enim díligit Deus, * nisi eum qui cum sapiéntiâ inhábitat.

III. CANTICUM. *Sap.* 9.

*Incerta hominum sapientia; sola vera, quæ est à Deo.*

QUis hóminum póterit scire consílium Dei? * aut quis póterit cogitáre quid velit Deus?

Cogitatiónes enim mortálium tímidæ, * & incertæ providéntiæ nostræ.

Corpus enim quod corrúmpitur, aggrávat ánimã, * & terréna inhabitátio

déprimit sensum multa cogitantem.

Et difficilè æstimámus quæ in terrâ sunt; & quæ in prospectu sunt, invenímus cum labóre: * quæ autem in cœlis sunt, quis investigábit?

Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu déderis sapiéntiam, * & míseris Spíritum sanctum tuum de altíssimis:

Et sic correctæ sint sémitæ eórum qui sunt in terris, * & quæ tibi placent, didícerint hómines?

Nam per sapiéntiam sanáti sunt,* quicumque placuérunt tibi, Dómine, à princípio.

*Ant.* Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam; & in ipsâ laudábo eum. *Eccli.* 51.

℣. Deus, docuisti me à juventúte meâ; ℟. Et usque nunc pronuntiábo mirabília tua. *Ps.* 70.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. *Cap.* 2.

FIli mi, confortáre in grátiâ quæ est in Christo Jesu; & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidélibus homínibus, qui idónei erunt & álios docére. Labóra sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo mílitans Deo ímplicat se negótiis seculáribus; ut ei pláceat, cui se probávit. Nam & qui certat in agóne, non coronátur nisi legítimè certáverit. Laborantem agrícolam oportet primùm de frúctibus percípere. Intéllige quæ dico: dabit enim tibi Dóminus in ómnibus intellectum.

℟. Sápiens apériet os suum in oratióne;*Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum. ℣. Si quis vestrûm índiget sapiéntiâ, póstulet à Deo, qui dat ómnibus affluenter. * Si enim. *Eccli.* 39. *Jac.* 1.

LECTIO X.

NOli conténdere verbis; ad nihil enim útile est, nisi ad subversiónem audiéntium. Sollícitè cura teipsum probábilem exhibére Deo, operárium inconfusíbilem, rectè tractantem verbum veritátis: profána autem & vanilóquia devíta; multùm enim proficiunt ad impietátem: & sermo eórum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus, & Philétus, qui à veritáte excidérunt, dicentes resurrectiónem esse jam factam, & subvertérunt quorumdam fidem. Sed firmum testamētum Dei stat, habens signáculum hoc: Cognóvit Dóminus qui sunt ejus; & discédat ab iniquitáte, omnis qui nóminat nomen Dómini.

℟. Ne retíneas verbum

in témpore salútis : non abscondas sapiéntiam tuam in decóre suo : * In linguâ enim sapiéntia dignóscitur; & sensus, & sciéntia, & doctrina in verbo sensáti. ℣. Prædica verbum; insta opportúnè, importúnè; árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntiâ & doctrínâ. * In linguâ. *Eccli.* 4. *II. Tim.* 4.

### Lectio XI.

JUvenília desidéria fuge, sectáre verò justítiam, fidem, caritátem & pacem, cum iis qui ínvocant Dóminum de corde puro. Stultas autem, & sine disciplínâ quæstiónes devíta : sciens quia génerant lites. Servum autem Dómini non oportet litigáre ; sed mansuétum esse ad omnes, docíbilem, patientem, cum modéstiâ corripientem eos qui resistunt veritáti : nequando Deus det illis pœniténtiam ad cognoscendam veritátem, & resipiscant à diáboli láqueis, à quo captívi tenentur ad ipsíus voluntátem.

℟. Qui habet sermónem meum, loquátur sermónem meum verè : quid páleis ad tríticum ? dicit Dóminus. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dóminus, * Et quasi málleus cónterens petram? ℣. Vivus est sermo Dei, & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancípiti. * Et quasi. *Jerem.* 23. *Hebr.* 4.

### Lectio XII. *Cap.* 3.

TU autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes; quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii & Lystris: quales persecutiónes sustínui, & ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes qui piè volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patientur. Mali autem hómines, & seductóres profícient in pejus, errantes & in errórem mittentes. Tu verò pérmane in iis quæ didicísti, & crédita sunt tibi: sciens à quo didíceris; & quia ab infántiâ sacras lítteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem, per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis scriptúra divínitùs inspiráta útilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justítiâ: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

℟. Si quis erráverit à veritáte, & convérterit quis eum; scire debet * Quóniam † Qui converti fécerit peccatórem ab erróre viæ suæ, salvábit ánimam ejus à morte, & opériet multitúdinem peccatórum. ℣. Ad-

tende tibi & doctrínæ: hoc enim fáciens, & teipsum salvum fácies, & eos qui te áudiunt. * Quóniam. ℣. Glória. † Qui. *Jac.* 5. *I. Tim.* 4.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Cap.* 5.

DIxit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultrà, nisi ut mittátur foràs, & conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscondi suprà montem pósita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, & gloríficēt patrem vestrum, qui in cœlis est. Nolíte putáre, quóniā veni sólvere Legem, aut Prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cœlum & terra, ióta unum, aut unus apex non præteríbit à Lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, & docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cœlórum; qui autem fécerit, & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum.

AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. DOminus dedit mihi linguam erudítam, ut sciam sustentáre eum qui lassus est verbo. *Isai.* 50.

II. Sermo meus non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis; sed in ostensióne spíritûs & virtútis. *I. Cor.* 2.

III. Auxílio adjútus Dei sto, testíficans minóri atque majóri, nihil extrà dicens quàm ea quæ Prophétæ locúti sunt. *Act.* 26.

IV. Non judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. *I. Cor.* 2.

V. Si nóverim mystéria ómnia, & omnem sciéntiam; caritátem autem non habúero, nihil sum. *I. Cor.* 13.

LECTIO. *Jac.* 3.

QUæ desursùm est sapiéntia, primùm quidem pudíca est, † deinde pacífica, modesta, suasíbilis, bonis conséntiens, * plena misericórdiâ & frúctibus bonis.

℟. *br.* Lex Dómini immaculáta, * Convertens ánimas. ℟. Lex. ℣. Testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis. * Convertens. ℣. Glória. ℟. Lex. *Ps.* 18.

HYMNUS. *S. V.*

VOs ſuccenſa Deo ſplén-
dida lúmina :
Vos ſal, nos hómines quo
ſapimus Deum ;
Ævum, puri ánimo, mó-
ribus íntegri,
Quo condímur in álte-
rum.
Per vos Rellígio, túta-
que Véritas ;
Per vos virgíneis fulget
honóribus :
Per vos Chriſtus amat pán-
dere dívites
Theſauros ſapiéntiæ.
Veſtris unda fluit pura
canálibus ;
Chriſti floret ager ; munda
nitet ſeges ;
Lac aptum púeris, & ſóli-
dum viris
Cauti ſufficitis cibum.
Hi ſunt, ſumme Deus,
qui tibi mílitant ;
Hi ſunt qui ſtábiles ædífi-
cant domos :
Unâ docta cohors arma
tenet manu ;
Muros cónſtruit álterâ.
Viciſtis ſtygias vos qui-
bus hæreſes,
Hæc nos accípimus tela ſu-
pérſtites ;
His pugnámus adhuc, nec
dúbio éxitu
His armis quoque vín-
cimus.
Quis te, ſumme Pater,
te Sóboles Patris,
Te divíne ſatìs prædicet
Hálitus ?
Laudes ipſe tuas dic, pó-
tior Deus,
Unus qui tibi ſufficis.
Amen.

℣. Juſtitiæ Dómini re-
ctæ, lætificantes corda : ℟.
Præceptum Dómini lúci-
dum, illúminans óculos.
*Pſ.* 18.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Sa-
piéntia & fortitúdo Dómini
ſunt : tibi, Deus, confi-
teor, teque laudo ; quia
ſapiéntiam & fortitúdinem
dediſti mihi. *Dan.* 2.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

QUæſumus, Dómine,
cleméntiam tuam ; †
ut in hâc die quam feſti-
vitáte beáti *N.* cōſecraſti,*
des nobis illam ſequi do-
ctrínam, quam ille verbo
dócuit, & ópere complévit :
Per Dóminum.

COLLECTA. *Brev. Clun.*

EXcita, Dómine, inter-
cedente beáto *N.* tuó-
rum corda fidélium, † ut
ſacris intenta doctrínis, *
& intélligant quod ſequan-
tur, & ſequendo fidéliter
apprehendant : Per Dómi-
num.

AD TERTIAM.

LECTIO. *I. Cor.* 2.

UNicuíque datur mani-
feſtátio Spíritûs ad uti-
litátem : † álii quidem per
Spíritum datur ſermo ſa-
piéntiæ ; * álii autem ſermo
ſciéntiæ ſecundùm eumdem
Spíritum.

℣. Os meum annuntiá-
bit juſtítiam tuam : ℟. To-

tâ die salutáre tuum. *Ps.* 70.

AD SEXTAM.

LECTIO. *I. Tim. 6.*

SI quis áliter docet, & non acquiescit sanis sermónibus Dómini nostri Jesu Christi, † & ei quæ secundùm pietátem est, doctrínæ, * superbus est, nihil sciens.

℣. A judíciis tuis non declinávi, Dómine; ℟. Quia tu legem posuisti mihi. *Ps.* 118.

AD NONAM.

LECTIO. *I. Tim. 1.*

FInis præcepti est cáritas de corde puro, & consciéntiâ bonâ, & fide non fictâ; † à quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vanilóquium, volentes esse legis doctóres, * non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

℣. Pronuntiávi ómnia judícia oris tui: ℟. In viâ testimoniórum tuórum delectátus sum. *Ps.* 118.

AD II. VESPERAS.

*ANTIPHONÆ.*

I. FUit gratus Deo; erudítus omni sapiéntiâ; & erat potens in verbis & in opéribus suis. *Act.* 7.

II. Juxta manum Dei sui bonam super se, parávit cor suum, ut investigáret legem Dómini, & fáceret, & docéret. *I. Esdr.* 7.

III. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Ecclésia. *Eccl.* 39.

IV. Qui fécerit & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum. *Matth.* 5.

LECTIO. *II. Tim.* 2.

COnfortáre in grátiâ quæ est in Christo Jesu, † & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidélibus homínibus; * qui idónei erunt & álios docére.

℟. *br.* Quanta audívimus, * Et cognóvimus ea! ℟. Quanta. ℣. Patres nostri narravérunt nobis. * Et cognóvimus ea. ℣. Glória. ℟. Quanta. *Ps.* 77.

*Hymnus.* O, qui perpétuus. *ut ad I. Vesp. pag.* xxxviij.

℣. Annuntiávi justítiam tuam in Ecclésiâ magnâ; ℟. Ecce lábia mea non prohibébo; Dómine, tu scisti. *Ps.* 39.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmamenti; & qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes. *Dan.* 12.

DIEBUS PRIVATIS.

*IN II. NOCTURNO.*

LECTIO. *I. Tim. 6.*

DEpósitum custódi, devítans profánas vocum novitátes, & opposi-

tiónes falsi nóminis sciéntiæ, quam quidam promitténtes, circa fidem excidérunt.

℣. Narrábo nomen tuum frátribus meis: ℟. In médio Ecclésiæ laudábo te. *Ps.* 21.

---

COMMUNE
*ABBATUM,*
*MONACHORUM,*
*ET ANACHORETARUM.*

---

AD I. VESPERAS.

*ANTIPHONÆ.*

I. POnet Dóminus desértum Sion quasi delícias, & solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. *Isai.* 51.

II. Habitábit in solitúdine judícium, & justítia in Charmel sedébit. *Isai.* 32.

III. Erit opus justitiæ pax, & cultus justítiæ siléntium, & secúritas usque in sempitérnum. *Isai.* 32.

IV. Sedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ. *Isai.* 32.

LECTIO. *II. Cor.* 6.

EXíte de médio eórum; & separámini, & immundum ne tetigéritis, dicit Dóminus; † & ego recípiam vos; & ero vobis in patrem, *& vos éritis mihi in filios.

℟. *br.* Súscipe me secundùm elóquium tuum, * Et vivam; ℟. Súscipe. ℣. Non confundas me ab exspectatióne meâ. * Et. ℣. Glória. ℟. Súscipe. *Ps.* 118.

HYMNUS. *S. V.*

FElíces némorum pángimus íncolas,
Certo consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio secli
Mores læderet íntegros.
Ut te possídeant, quem sitiunt Deum,
Urbes, regna, suos, se quoque déserunt:
Totus víluit orbis,
Dum cœléstia cógitát.
Nudi, prompti, álacres, líberi ab ómnibus,
Ad luctam púgiles óciùs ádvolant;
Ut vastum mare tranent,
Prudentes onus éxuūt.
Æternas ut opes, cértaque gáudia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra
Sano péctore temnunt,
Confisi melióribus.
Illis summa fuit glória, déspici;
Illis divítiæ, paupériem pati;
Illis summa voluptas,
Longo supplício mori.
Fac nos, summe Deus, quæ pátimur mala,
In pœnam scélerum ferre libéntiùs;
Et tellúre relictâ,
Immortália quærere.

Patri máxima laus ; máxima Fílio,
Amborumque sacro máxima Flámini,
Quo deserta petívit
Quondam ductus Homo-Deus. Amen.

*Si sit Anachoreta.*

HYMNUS. *S. V.*

QUid tu, relíctis úrbibus,
Mortálium consórtia
Timens fugis? quid tu vides,
Solusque tecum cógitas?

Mentis volátu líbero,
Percurris ætérnas domos;
Et quæ negas mortálibus,
Transfers Deo commércia.

Præsens choris cœléstibus,
Sacro quiétus ótio,
Totus tuendo Númini,
Totus colendo tu vacas.

Quàm pura, qui te díligunt,
O Christe, libant gáudia!
Te propter antris ábditos
Sinu recondis in tuo.

Qui sponte desertum petis,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

℣. In umbrâ alárum tuárum sperábo, ℟. Donec tránseat iníquitas. *Ps.* 56.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da paupéribus; & habébis thesaurum in cœlo: & veni, séquere me. *Matth.* 19.

*Collecta ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.*

*Pars Æstiva.*

---

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Remuneratórem inquiréntibus se Deum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 11.

*Hymnus,* Felíces némorū, *ut ad I. Vesperas.*

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Fúgite de terrâ Aquilónis, dicit Dóminus: ô Sion! fuge, quæ hábitas apud fíliam Babylónis. *Zach.* 2.

II. Quæ participátio justítiæ cum iniquitáte, aut quæ sócietas luci ad ténebras? exíte de médio eórum. *II. Cor.* 1.

III. Quicumque volúerit amícus esse séculi hujus, inimícus Dei constitúitur. *Jac.* 4

IV. Omnis ex vobis qui non renúntiat ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus. *Luc.* 14.

V. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & fratres, & soróres, adhuc autem & ánimam suam, non potest meus esse discípulus. *Ibid.*

VI. Qui non bájulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discípulus. *Ibid.*

℣. Ecce elongávi fúgiens, ℟. Et mansi in solitúdine. *Ps.* 54.

*Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.*

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Intráte per angustam portam quæ ducit ad vitam; quia lata porta ducit ad perditióné. *Matth.* 7.

II. Quid prodest hómini si mundum universum lucrétur, ánimæ verò suæ detrimentũ patiátur? *Matth.* 16.

III. Si quis vult post me veníre, ábneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequátur me. *Matth.* 16.

IV. Nolíte timére, pusíllus grex; quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. *Luc.* 12.

V. Véndite quæ possidétis, & date eleemósynam; fácite vobis thesaurum non deficientem in cœlis. *Ibid.*

VI. Ubi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. *Ibid.*

℣. Cogitávi dies antíquos, ℟. Et annos æternos in mente hábui. *Ps.* 76.

LECTIO V.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi, de Móribus Ecclésiæ Cathólicæ. *Edit. Bened. cap.* 31.

QUis non illos mirétur & prædicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illécebris, in commúnem vitam castíssimam, sanctissimamque congregáti, simul ætátem agunt, viventes in oratiónibus, in lectiónibus, in disputatiónibus, nullâ supérbiâ túmidi, nullâ pervicáciâ turbulenti, nullâ invidéntiâ lívidi: sed modesti, verecundi, pacáti, concordíssimam vitam & intentíssimam in Deum, gratíssimum munus ipsi ófferunt, à quo ista posse meruérunt. Nemo quidquam póssidet próprium; nemo cuíquam onerósus est. Operántur mánibus ea, quibus & corpus pasci possit, & à Deo mens impedíri non possit.

℟. Fúgite de médio Babylónis, * Et salvet unusquísque ánimam suam. ℣. Exíte de illâ, pópulus meus; ut ne partícipes sitis delictórum ejus, & de plagis ejus non accipiátis. * Et salvet. *Jerem.* 51. *Apoc.* 18.

LECTIO VI. *Cap.* 33.

CAritas præcípuè custóditur; caritáti victus, caritáti sermo, caritáti hábitus, caritáti vultus aptátur, coítur in unam conspiraturque caritátem; hanc violáre, tamquàm Deum, nefas dúcitur: huic si quid resistit, expugnátur atque ejícitur; hanc si quid offendit, unum diem duráre non sínitur. Sciunt ita commendátam esse à Christo & Apóstolis, ut si hæc una desit, inánia; si hæc adsit, plena sint ómnia.

℟. Vade, pópule meus, intra cubícula tua, claude óstia tua super te, abscóndere módicùm ad momen-

tum, * Donec pertránseat indignátio. ℣. Veníte seorsùm in desertum locum, & requiéscite pusillùm. * Donec. *Isai.* 26. *Marc.* 6.

LECTIO VII.

Ex Libro tértio sancti Joannis Chrysóstomi Epíscopi adversùs oppugnatóres vitæ Monásticæ. *Edit. Bened. n.* 10.

Vitæ genus cœlo dignum delegérunt, nec minórem Angélico statum óbtinent. Quemádmodũ enim apud Angelos nulla est inæquálitas: neque álii prósperè, álii in extrémis malis versantur, sed omnes in unâ pace, lætítiâ & glóriâ: sic & his in locis, nemo paupertátem expróbrat, nemo de divítiis gloriátur: meum & tuum illud, quod ómnia subvertit & perturbat, pénitùs éxsulat. Omnia ipsis commúnia sunt, mensa, domicílium, vestimenta. Ecquid mirum, quando ipsa ánima una eademque ómnibus est? Omnes eâdem sunt nobilitáte nóbiles, eâdem servitúte servi, eâdem libertáte líberi. Unæ illìc ómnibus divítiæ, quæ verè divítiæ sunt: una glória, quæ verè glória: non enim nómine, sed re bona tenent; una volúptas, unum desidérium, una spes ómnibus; ac quasi quâdam normâ & librâ ómnia accurátè ordinantur.

℟. Multitúdinis erat cor unum & ánima una; * Nec quisquam eórum quæ possidébat, áliquid suum esse dicébat, sed erant illis ómnia commúnia. ℣. Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitáre fratres in unum! * Nec. *Act.* 4. *Ps.* 132.

LECTIO VIII.

Nulla inæquálitas, sed ordo, concínnitas, harmónia, & multa concórdiæ servandæ diligéntia, perpetúaque lætítiæ matéria. Quamóbrem omnes ómnia fáciunt, & patiuntur, ut læténtur & gáudeant. Illìc enim solùm vídeas hæc perfectè contíngere, nusquam álibi: non modò quòd præséntia ómnia contemnant, atque omnem rixæ ac discórdiæ matériã abscíderint, splendidâque futurórum spe fulti sint; sed étiam quòd ea quæ síngulis áccidunt, seu trístia, seu bona, ómnibus commúnia esse putentur.

℟. Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta; * Ut invéniar in illo habens justítiam quæ ex fide est, configurátus morti ejus. ℣. Elégi abjectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum. * Ut. ℣. Glória. * Ut. *Philip.* 3. *Ps.* 83.

IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Isai. 35.*

*Religiosæ solitudinis lætitia, securitas, & perpetua felicitas.*

SCissæ sunt in deserto aquæ, * & torrentes in solitúdine.

Et quæ erat árida, erit in stagnum, * & sitiens in fontes aquárum.

In cubílibus, in quibus priùs dracónes habitábant, * oriétur viror cálami & junci.

Et erit ibi sémita & via, & via sancta vocábitur: * non transíbit per eam pollútus.

Et hæc erit vobis directa via, * ita ut stulti non errent per eam.

II. CANTICUM. *Ibidem.*

NOn erit ibi leo, & mala béstia non ascendet per eam, * nec inveniétur ibi.

Et ambulábunt * qui liberáti fúerint.

Et redempti à Dómino convertentur; & vénient in Sion cum laude, * & lætítia sempiterna super caput eórum.

Gáudium & lætítiam obtinébunt, * & fúgiet dolor & gémitus.

III. CANTICUM. *Thren. 3.*

*Animæ soli Deo adhærentis spes & fiducia.*

PArs mea Dóminus, dixit ánima mea: * proptérea exspectábo eum.

Bonus est Dóminus sperántibus in eum, * ánimæ quærenti illum.

Bonum est præstolári cum siléntio * salutáre Dei.

Bonum est viro, * cùm portáverit jugum ab adolescéntiâ suâ.

Sedébit solitárius, & tacébit; * quia levávit super se.

Ponet in púlvere os suum, * si fortè sit spes.

*Ant.* Ædificabuntur in te deserta seculórum, & erit quasi hortus irríguus. *Is.* 58.

℣. Plantáti in domo Dómini, ℟. In átriis domûs Dei nostri florébunt. *Ps.* 91.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

*Cap.* 4.

OBsecro vos, ego vinctus in Dómino, ut dignè ambulétis vocatióne, quâ vocáti estis, cum omni humilitáte, & mansuetúdine, cum patiéntiâ, supportantes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem Spíritûs in vínculo pacis. Unú corpus, & unus Spíritus, sicut vocáti estis in unâ spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptisma; unus Deus & Pater ómnium, qui est super omnes, & per ómnia, & in ómnibus nobis.

℟. Indúite vos sicut electi Dei, sancti & dilecti,

víscera misericórdiæ, benignitatem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam; * Et pax Christi exsultet in córdibus vestris. ℣. Super ómnia hæc caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis. * Et pax. *Coloss.* 3.

LECTIO X.

HOc ígitur dico, & testíficor in Dómino, ut jam non ambulétis, sicut & gentes ámbulant in vanitáte sensûs sui, ténebris obscurátum habentes intelléctum, alienáti à vitá Dei, per ignorántiam, quæ est in illis, propter cæcitátem cordis ipsórum, qui desperantes, semetipsos tradidérunt impudicítiæ, in operatiónem immundítiæ omnis, in avarítiam. Vos autem non ita didicistis Christum. Si tamen illum audistis, & in ipso edocti estis, sicut est véritas in Jesu: depónere vos secundùm desidéria erróris. Renovámini autem spíritu mentis vestræ, & indúite novum hóminem, qui secundùm Deum creátus est in justítiâ & sanctitáte veritátis.

℟. Ego Dóminus Deus vester: * Juxta consuetúdinem terræ Ægypti in quâ habitastis, non faciétis. ℣. Nolíte conformári huic sǽculo; sed reformámini in novitáte sensûs vestri. * Juxta. *Levit.* 18. *Rom.* 12.

LECTIO XI. *Cap.* 4. & 5.

OMnis sermo malus ex ore vestro non procédat; sed si quis bonus ad ædificatiónem fídei, ut det grátiam audiéntibus. Et nolíte contristáre Spíritum sanctum Dei: in quo signáti estis in diem redemptiónis. Omnis amaritúdo, & ira, & indignátio, & clamor, & blasphémia tollátur à vobis, cum omni malítiâ. Estóte autem ínvicem benígni, misericordes, donantes ínvicem, sicut & Deus in Christo donávit vobis. Estóte ergo imitatóres Dei sicut filii caríssimi: & ambuláte in dilectióne, sicut & Christus diléxit nos, & trádidit semetipsum pro nobis oblatiónem & hóstiã Deo in odórem suavitátis.

℟. Sitis omnes unánimes, compatientes, fraternitátis amatóres, misericordes, modesti, húmiles: * Quia in hoc vocáti estis, ut benedictiónẽ hæreditáre possideátis. ℣. Caritáte fraternitátis ínvicem diligentes; honóre ínvicem præveniéntes, sollicitúdine non pigri, Spíritu ferventes, Dómino serviéntes. * Quia. *I. Petr.* 3. *Rom.* 12.

LECTIO XII.

Ex Epístolâ ejusdem ad Philippenses. *Cap.* 3.

IMitatóres meĩ estóte, fratres, & observáte eos qui ita ámbulant, sicut

habétis formam nostram. Multi enim ámbulant, quos sæpè dicébam vobis, nunc autem & flens dico, inimícos crucis Christi: quorum finis intéritus; quorum Deus venter est; & glória in confusióne ipsórum, qui terréna sápiunt. Nostra autem conversátio in cœlis est: unde étiam Salvatórem exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ, secundùm operatiónem, quâ étiam possit subjícere sibi ómnia.

℟. Exeámus ad Jesum extra castra, impropérium ejus portantes: * Non enim habémus hìc manentem civitátem, sed futúram inquírimus. ℣. Peregríni sumus coram te, Dómine, & ádvenæ, sicut omnes patres nostri. * Non enim. ℣. Glória. * Non enim. *Hebr.* 13. *I. Paral.* 29.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Cap.* 19.

Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, & secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixìt illis: Amen dico vobis, quòd vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cùm séderit Filius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis & vos super sedes duódecim judicantes duódecim tribus Israel. Et omnis qui relíquerit domũ, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, & vitam æternam possidébit.

---

AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. Vivo jam non ego; vivit verò in me Christus: quòd autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei. *Galat.* 2.

II. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Galat.* 6.

III. Exui me stolâ pacis; índui autem me sacco obsecratiónis, & venit mihi gáudium à Sancto. *Baruch*, 4.

IV. Quæ retrò sunt oblivíscens, pérsequor ad bravíum supernæ vocatiónis in Christo Jesu. *Philip.* 3.

V. In voce laudis immolábo tibi: quæcumque vovi, reddam pro salúte Dómino. *Jon.* 2.

LECTIO. *Deut.* 7.

Dominus Deus ipse est fortis & fidélis, † custódiens pactum & misericórdiam diligéntibus se, * & his qui custódiunt præcepta ejus in mille generatiónes.

℞. *br.* Quid mihi est in cœlo, * Et à te quid vólui super terram? ℞. Quid. ℣. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. * Et. ℣. Glória. ℞. Quid. *Ps.* 72.

HYMNUS. *S. V.*

O Pulchras acies, cástraque fórtia;
Quæ spes, una fides, unus amor regit!
Omnes lege sub unâ,
Uno sub duce mílitant.
Heu! quantis rapiunt astra labóribus!
Pulsant perpetuis quéstibus æthera;
Per jejúnia longa
Vires córporis ádterũt.
Votis unanimes, vi quoque flétuum
Instant, & socias ingeminant preces,
Et concórdibus armis
Vim cœlo simul ínferunt.
Hæc vis grata Deo; sic amat óptimus
Vinci per lacrymas, per gemitus Pater:
Sic duris reserátur
Cœlum conditiónibus.
Fervent quando die cuncta tumúltibus,
Altùm turba silet; cætera dum tacent,
Hi per cántica rumpunt
Noctis longa siléntia.
Exercet vigiles continuus labor;
Incumbunt operi non resides manus;
Tellus culta colónis
Victum suppeditat suis.
Quin regína suî, mens quoque súbditur,
Rectorísque studet nútibus óbsequi;
Nil servat sibi juris,
Capto liberior jugo.
Patri máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque sacro máxima Flámini,
Quo deserta petívit
Quondam ductus Homo-Deus. Amen.

*Si sit Anachoreta, Hymnus,* Quid tu. *ut suprà ad I. Vesperas, pag.* xlix.

℣. Abscondit me Dóminus in tabernáculo suo: ℞. In die malórum protexit me. *Ps.* 26.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Anima mea desiderávit te in nocte; sed & spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te. *Isai.* 26.

*Si sit Abbas.*

COLLECTA. *Brev, Clun.*

DEus, cujus múnere beátus *N.* Abbas, ut perfectus esset, ómnia relíquit; † da cunctis Evangélicæ perfectiónis sémitam ingressis, ut nec retrò respíciant, nec in viâ hæreant: * sed ad te sine offensióne currentes, vitam æternam, ad quam vocáti sunt, apprehendant: Per Dóminum.

*Si non sit Abbas.*

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui in sanctis hábitas, & pia corda non déseris; † líbera nos per intercessiónem beáti *N.* à terrénis desidériis & cupiditáte carnáli, * ut tibi soli Dómino líberis méntibus serviámus: Per Dóminum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *I. Cor.* 9.

OMnis qui in agóne contendit, ab ómnibus se ábstinet; & illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant, nos autem incorruptam. † Ego ígitur sic curro, non quasi in incertum, sic pugno, non quasi áerem vérberans; * sed castigo corpus meum, & in servitútem rédigo.

℣. Propter verba labiórum tuórum, Dómine, ℟. Ego custodívi vias duras. *Ps.* 16.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Hebr.* 12.

OMnis disciplina, in præsenti quidem vidétur non esse gáudii, sed mœróris; † póstea autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam, * reddet justítiæ.

℣. Convertisti planctum meum in gáudium mihi; ℟. Conscidisti saccum meũ, & circumdedisti me lætítiâ. *Ps.* 29.

AD NONAM.

LECTIO. *Coloss.* 3.

VErbum Christi hábitet in vobis abundanter, in omni sapiéntiâ, † docentes, & commonentes vosmetipsos, in psalmis, hymnis, & cánticis spirituálibus, * in grátiâ cantantes in córdibus vestris Deo.

℣. Cantábiles mihi erant justificatiónes tuæ, ℟. In loco peregrinatiónis meæ. *Ps.* 118.

---

AD II. VESPERAS.

*ANTIPHONÆ.*

I. SUmus húmiles in universâ terrâ, Dómine: sed in ánimo contríto, & spíritu humilitátis suscipiámur; quóniam non est confúsio confidéntibus in te. *Dan.* 3.

II. Non derelínquimur, semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferentes; ut & vita Jesu manifestétur in carne nostrâ mortáli. *II. Cor.* 4.

III. Quasi morientes, & ecce vívimus; quasi tristes, semper autem gaudentes; tamquàm nihil habentes, & ómnia possidentes. *II. Cor.* 6.

IV. Teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem, (fidélis enim est qui repromísit) & considerémus ínvicem in provocatiónem caritátis & bonórum óperum. *Hebr.* 10.

LECTIO.

Lectio. *Coloss.* 3.

QUæ sursùm sunt sápite, non quæ super terram. † Mórtui enim estis, & vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo. * Cùm Christus apparúerit, vita vestra; tunc & vos apparébitis cum ipso in glóriâ.

℟. Clamávi ad te, Dómine; * Dixi: Tu es spes mea. ℟. Clamávi. ℣. Pórtio mea in terrâ vivéntium. * Dixi. ℣. Glória. ℟. Clamávi. *Ps.* 141.

*Hymnus*, Felíces némorum. *ut suprà ad I. Vesperas, pag.* xlviij.

*Si sit Anachoreta, Hymnus*, Qui tu, relictis úrbibus. *ut ad I. Vesperas, pag.* xlix.

℣. Funes cecidérunt mihi in præcláris; ℟. Etenim hæréditas mea præclára est mihi. *Ps.* 15.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Nemo est qui relíquerit domum, aut agros, propter me, qui non accípiat cénties tantùm in témpore hoc, & in século futúro vitam ætérnam. *Marc.* 10.

DIEBUS PRIVATIS.

*IN II. NOCTURNO.*

Lectio. *II. Cor.* 5.

SCimus, quóniam si terrestris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, ætérnã in cœlis. Nam & in hoc ingemíscimus, habitatiónẽ nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupientes; si tamen vestíti, non nudi inveniámur.

℣. Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum; ℟. Quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei? *Ps.* 41.

COMMUNE

*JUSTORUM.*

AD I. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. TUrris fortíssima nomen Dómini; ad ipsum currit justus, & exaltábitur. *Prov.* 18.

II. Justórum sémita quasi lux splendens procédit & crescit usque ad perfectam diem. *Prov.* 4.

III. Qui sperant in Dómino, mutábunt fortitúdinem; current, & non laborábunt; ambulábunt, & non defícient. *Isai.* 40.

IV. Deridétur justi simplícitas; lampas contempta apud cogitatiónes dívitum, paráta ad tempus statútum. *Job,* 12.

Lectio. *I. Petr.* 3.

QUi vult vitam dilígere, & dies vidére bonos, coérceat linguam suam à malo, & lábia ejus ne loquantur dolum: † declínet à malo, & fáciat bonum; *

inquirat pacem, & sequátur eam.

℟. br. Justus Dóminus, * Et justítias diléxit. ℟. Justus. ℣. Æquitátem vidit vultus ejus. * Et justítias. ℣. Glória. ℟. Justus. Ps. 10.

*Si sit Sacerdos,*

HYMNUS. *Brev. Bituric.*

JAm satis fluxit cruor hostiárum,
Prístinæ cessent holocausta Legis;
Christe, quos formas, melióra libant
Sacra minístri.

Elicit flammas Elias ab alto,
Mysta nunc major jubet, & potenti
Obsequens verbo, Deus astat aris
Hóstia factus.

Pingue libámen, novus & Sacerdos,
Orbe jam toto, Deus immolátur;
Se manu nostrâ litat incruento
Fúnere Christus.

Tale nil priscis pátribus tribútum
Angelis nusquàm data par potestas:
Se manu nostrâ Deus ipse cunctis
Præbet in escam.

Christe, fac semper tua sacra puro
Corde tractémus, manibusque puris;
Cáritas aptos tua nos tremendis
Applicet aris.

Lúminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerátur orbis,
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inungis.
Amen.

℣. Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum: ℟. Ambulans in viâ immaculátâ, hic mihi ministrábat. Ps. 100.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Notum fáciet Dóminus qui ad se pertíneant, & sanctos applicábit sibi; & quos elégerit appropinquábunt ei. *Num.* 16.

*Collecta ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.*

*Si non sit Sacerdos,*

HYMNUS. *G. Ep. S.*

SUmmi pusillus grex Patris,
Timóre mentem sólvite,
Sui paternus vos amor
Vult esse regni cómpotes.

En regnat inter cœlites,
Qui vixit olìm século
Ignótus, exósus sibi,
Qui pauper, & sciens pati.

Angusta pœniténtiæ
Ingressus, & viam crucis,
Per dura Christum prælia,
Per damna non timet sequi.

Carnem terit jejúniis;
Linguam domat siléntio;
In páuperum, parcus sibi,
Abscondit & spargit sinu.

Sapóre verbi páscitur;
Totóque legem péctore

Scrutátus, orat pérvigil;
Mens celsa versátur polo.
Hâc surgit ad coelum viâ;
Et nos eâdem da, Pater,
Da, Nate, da cum Spíritu,
Ad te veníre sémitâ.
Amen.

℣. Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus; ℟. Et non respexit in vanitátes & insánias falsas. *Ps.* 39.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilábitur viro sapienti, qui ædificávit domum suam supra petram. *Matth.* 7.

*Collecta ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.*

---

AD OFFICIUM NOCT.

*Si sit Sacerdos, in Ps.* Veníte. *Ant.* Sacerdótem in æternum Jesum Christum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 5.

*Si non sit Sacerdos, in Ps.* Veníte. *Ant.* Diligentem justos Dóminum, * Veníte, adorémus. *Ps.* 145.

HYMNUS. *S. V.*

NOn parta solo sánguine
Ornat beátos púrpura:
Sunt incruenta, quæ suos
Habent triumphos, prælia.

Non iste flammas, non cruces,
Non sensit uncos péctines:
Crudélis & durus sibi
Se morte lentâ cónficit.

Si lictor illi défuit,
Si vincla, fustes, úngulæ;
Paráta pro Christo mori,
Hoc supplet omne cáritas.

Corpus subégit cástitas,
Et líberam mentem fides,
Amor supernis ígnibus
Totam libávit hóstiam.

Venis apertis ómnibus
Qui velit ultrò erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fusus in fletum cruor.

Da, Christe, sic nos vívere,
Discámus ut semper mori,
Da, post brevis vitæ dies,
Vitæ perennis gáudia.

Æterna justórum quies
Tibi, beáta Trínitas,
Sit summa laus, summum decus,
In sempiterna sécula.
Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Ecce verè Israelíta, in quo dolus non est. *Joan.* 1.

II. Erat vir simplex & rectus ac timens Deum, & recédens à malo. *Job*, 1.

III. Custodívit ánimam suam, & memor fuit Dómini in toto corde suo. *Tob.* 1.

IV. Immóbilis in Dei timóre permansit, agens grátias Deo ómnibus diébus vitæ suæ. *Tob.* 2.

V. Benedíctio Dei in mercédem justi festínat, & in horâ velóci procéssus illius fructíficat. *Eccli.* 11.

bitáret. Pietas igitur, id est, verus veri Dei cultus ad ómnia prodest, & quæ moléstias hujus vitæ avertat aut léniat, & quæ ad illam vitam salutemque perdúcat; ubi nec áliquid jam mali patiámur, & bono summo sempiternóque perfruamur.

℟. Quantò magnus es, humília te in ómnibus; & coram Deo invénies grátiam, * Quóniam magna poténtia Dei solius, & ab humílibus honorátur. ℣. Deus supérbis resistit; humílibus autem dat grátiam; humiliámini ígitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in témpore visitatiónis. * Quóniã. ℣. Glória. * Quóniam. *Eccli.* 3. *I. Petr.* 5.

## *IN III. NOCTURNO.*

I. Canticum. *Eccli.* 2.

*Deus timentibus se benignè propitius. Væ incredulis & infidelibus.*

QUi timétis Dóminum, crédite illi; * & non evacuábitur merces vestra.

Qui timétis Dóminum, speráte in illum; * & in oblectatiónem véniet vobis misericórdia.

Qui timétis Dóminum, dilígite illum, * & illuminabuntur corda vestra.

Respícite, filii, natiónes hóminum; * & scitóte quia nullus sperávit in Dómino, & confusus est.

Quis enim permansit in mandátis ejus, & derelictus est? * aut quis invocavit eum, & despexit illum?

Quóniam pius & miséricors est Deus, & remittet in die tribulatiónis peccáta; * & protector est ómnibus exquiréntibus se in veritáte.

II. Canticum. *Ibid.*

VÆ dúplici corde, & lábiis sceléstis, & mánibus malefaciéntibus, * & peccatóri terram ingrediénti duábus viis.

Væ dissolútis corde, qui non credunt Deo; * & ideò non protegentur ab eo.

Væ his, qui perdidérunt sustinéntiam, & qui dereliquérunt vias rectas, * & divertérunt in vias pravas.

Et quid fácient, * cùm inspícere cœperit Dóminus?

III. Canticum. *Ibid.*

QUi timent Dóminum, non erunt incrédibiles verbo illíus: * & qui díligunt illum, conservábunt viam illíus.

Qui timent Dóminum, inquírent quæ beneplácita sunt ei; * & qui díligunt eum, replebuntur lege ipsíus.

Qui timent Dóminum, præparábunt corda sua, * & in conspectu illíus sanctificábunt ánimas suas.

Qui timent Dóminum, custódiunt mandáta illíus; *

& patiéntiam habébunt usque ad inspectiónem illíus,

Dicentes: Si pœniténtiam non egérimus, * incidémus in manus Dómini; & non in manus hóminum.

Secundùm enim magnitúdinem ipsíus, * sic & misericórdia illíus cum ipso est.

*Ant.* Mundémus nos ab omni inquinamento carnis & spíritûs, perficientes sanctificatiónem in timóre Dei. *II. Cor.* 7.

℣. Beátus vir qui timet Dóminum, ℟. In mandátis ejus volet nimis. *Ps.* 111.

LECTIO IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

*Cap.* 12.

OBsecro vos, fratres, per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationábile obséquium vestrum. Et nolíte conformári huic século, sed reformámini in novitáte sensûs vestri, ut probétis quæ sit voluntas Dei bona, & benéplacens & perfecta. Dico enim per grátiam quæ data est mihi, ómnibus qui sunt inter vos: Non plus sápere quàm oportet sápere, sed sápere ad sobrietátem; & unicuíque sicut Deus divísit mensúram fidei. Sicut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter altérius membra.

℟. Qui obtúrat aures suas, ne áudiat sánguinem, & claudit óculos suos ne vídeat malum, * Iste in excelsis habitábit: Regem in decóre suo vidébunt óculi ejus. ℣. Qui lóquitur veritátem in corde suo, qui non egit dolum in linguâ suâ, nec fecit próximo suo malum. * Iste. *Isai.* 33. *Ps.* 14.

LECTIO X.

DIléctio sine simulatióne: odientes malum, adhærentes bono: caritáte fraternitátis ínvicem diligentes: honóre ínvicem præveniéntes: sollicitúdine non pigri: spíritu ferventes; Dómino servientes; spe gaudentes; in tribulatióne patientes; oratióni instantes; necessitátibus sanctórum communicantes; hospitalitátem sectantes. Benedícite persequéntibus vos: benedícite, & nolíte maledícere. Gaudéte cum gaudéntibus, flete cum fléntibus: idipsum ínvicem sentientes: non alta sapientes; sed humílibus consentientes: nolíte esse prudentes apud vosmetipsos: nulli malum pro malo reddentes: providentes bona, non tantùm coram Deo, sed étiam coram ómnibus homínibus.

℟. Accessérunt ad Jesum discípuli ejus : & apériens os suum, docébat eos, dicens : * Beáti páuperes spíritu ; quóniam ipsórum est regnum cœlórum. ℣. Ad quem respíciam, nisi ad paupérculum, & contrítum spíritu, & treméntem sermónes meos ? * Beáti. *Matth.* 5. *Isai.* 66.

LECTIO XI.

Ex Epístolâ secundâ beáti Petri Apóstoli. *Cap.* 1.

GRátia vobis & pax adimpleátur in cognitióne Dei, & Christi Jesu Dómini nostri : quómodò ómnia nobis divínæ virtútis suæ, quæ ad vitam & pietátem donáta sunt, per cognitiónem ejus, qui vocávit nos, própriâ glóriâ & virtúte, per quem máxima & pretiósa nobis promíssa donávit : ut per hæc efficiámini divínæ consórtes natúræ : fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscéntiæ corruptiónem.

℟. Hæc est cáritas Dei, ut mandáta ejus custodiámus ; * Et mandáta ejus grávia non sunt. ℣. Nihil dúlcius quàm respícere in mandátis Dómini. * Et mandáta. *I. Joan.* 5. *Eccli.* 23.

LECTIO XII.

VOs autem curam omnem subinferéntes, ministráte in fide vestrâ virtútem, in virtúte autem sciéntiam, in sciéntiâ autem abstinéntiam, in abstinéntiâ autem patiéntiam, in patiéntiâ autem pietátem, in pietáte autem amórem fraternitátis, in amóre autem fraternitátis caritátem. Hæc enim, si vobiscum adsint, & súperent, non vácuos, nec sine fructu vos constítuent in Dómini nostri Jesu Christi cognitióne. Cui enim non præstò sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliviónem accípiens purgatiónis véterum suórum delictórum. Quaproter, fratres, magis satágite, ut per bona ópera certam vestram vocatiónem & electiónem faciátis : hæc enim facientes, non peccábitis aliquandò. Sic enim abundanter ministrábitur vobis intróitus in ætérnum regnum Dómini nostri & Salvatóris Jesu Christi.

℟. Ego in justítiâ apparébo conspéctui tuo, Dómine : * Satiábor, cùm apparúerit glória tua. ℣. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cógnitus sum. * Satiábor. ℣. Glória. * Satiábor. *Ps.* 16. *I. Cor.* 13.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Lucam. *Cap.* 12.

DIxit Jesus discípulis suis : Nolíte timére, pusíllus grex ; quia complácuit Patri vestro dare vobis

regnum. Véndite quæ possidétis, & date eleemósynam. Fácite vobis sácculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis: quò fur non appróPiat, neque tínea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

---

AD LAUDES.

*Antiphonæ.*

I. Qui servat verbum Christi verè in hoc cáritas Christi perfecta est. *I. Joan.* 2.

II. Nos scimus quóniam transláti sumus de morte ad vitam, quóniam dilígimus fratres. *I. Joan.* 3.

III. Qui facit voluntátem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrábit in regnum cœlórum. *Matth.* 7.

IV. Regnum cœlórum vim pátitur, & violenti rápiunt illud. *Matth.* 11.

V. Conténdite intráre per angustam portam; quia multi, dico vobis, quærent intráre, & non póterunt. *Luc.* 13.

Lectio. *Philip.* 2.

Omnia fácite sine murmuratiónibus, & hæsitatiónibus: † ut sitis sine querélâ, & símplices filii Dei, sine reprehensióne, in médio natiónis pravæ & perversæ: * inter quos lucétis sicut luminária in mundo: verbũ vitæ continentes.

℟. *br.* Lucerna pédibus meis * Verbum tuum, Dómine. ℟. Lucerna. ℣. Et lumen sémitis meis. * Verbum. ℣. Glória. ℟. Lucerna. *Ps.* 118.

Hymnus. *S. V.*

Qui te, Deus, sub íntimo
Amans recépit péctore,
Non ille terras ámpliùs
Suspírat, oblítus suî.

Quid ergo gaudes néctere
Tristes moras amántibus?
Terris retardas éxsules,
Cives polo quos déstinas.

Hinc fervet in dies amor;
In vota toti díffluunt:
Ad astra festinántibus
Fit pœna vita lóngior.

Vix iste tardi córporis
Pondus molestum sústinet;
Præ mortis óccupat diem,
Ardens Deo se júngere.

Æterna justórum quies,
Tibi, beáta Trínitas,
Sit summa laus, summum decus,
In sempiterna sécula. Amẽ.

*Si sit Sacerdos*, ℣. Emitte lucem tuam, & veritátem tuam, Dómine, ℟. Ipsa me deduxérunt & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua. *Ps.* 42.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Fidúciam habémus per Christum ad Deum, qui & idóneos nos fecit minístros novi testamenti, non litterâ, sed spíritu. *II. Cor.* 3.

COLLECTA. *Br. Parif.*

DOmine Deus omnipotens, qui fámulum suum *N.* ut Sacerdório tibi fungerétur, á pópulo segregasti; † ejus nos intercessióne secerne à peccatóribus, * & cum electis tuis regále tibi sacerdótium constítue: Per Dóminum.

*Si non sit Sacerdos,* ℣. Lux orta est justo, ℟. Et rectis corde lætítia. *Ps.* 96.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Qui facit veritátem, venit ad lucem, ut manifestentur ópera ejus; quia in Deo sunt facta. *Joan.* 3.

COLLECTA.

*Miss. Gall. Vet.*

DEus, qui es miséricors in opéribus, justus in judíciis, largus in donis, † multíplica super nos misericórdiam tuam; * & quia tu nobis es bonórum causa meritórum, Sancto *N.* intercedente, custódi quod tríbuis, ut invénias quod corónes: Per Dóminum.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Galat.* 5.

VOs in libertátem vocáti estis, fratres: † tantùm ne libertátem in occasiónem detis carnis, sed per caritátem Spíritûs servíte ínvicem: * omnis enim lex in uno sermóne implétur: Díliges próximum tuum sicut teipsum.

℣. Díriget Dóminus mansuétos in judício: ℟. Docébit mites vias suas. *Ps.* 24.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Jac.* 1.

QUi perspéxerit in legem perfectam libertátis & permánserit in eâ, † non audítor obliviósus factus, sed factor óperis; * hic beátus in facto suo erit.

℣. Servávi mandáta tua & testimónia tua; ℟. Quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. *Ps.* 118.

AD NONAM.

LECTIO. *Coloss.* 1.

NOn cessámus pro vobis orantes & postulantes, ut impleámini agnitióne voluntátis Dei in omni sapiéntià & intellectu spirituáli: † ut ambulétis dignè Deo per ómnia placentes: * in omni ópere bono fructificantes, & crescentes in sciéntiâ Dei.

℣. Beáti qui custódiunt judícium, ℟. Et fáciunt justítiam in omni témpore. *Ps.* 105.

---

AD II. VESPERAS.

*ANTIPHONÆ.*

I. MUndus transit, & cócupiscéntia ejus; qui autem facit voluntátem Dei, manet in ætemum. *I. Joan.* 2.

II. Expectátio justórum lætítia; spes autem impiórum períbit. *Prov.* 10.

III. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectántibus te. *Isai.* 64.

IV. Inventus est sine máculâ, & perfectus est; erit illi glória æterna. *Eccli.* 31.

LECTIO. *Galat.* 6.

QUæ semináverit homo, hæc & metet. † Quóniam qui séminat in carne suâ, de carne & metet corruptiónem; *qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam æternam.

℟. *br.* Qui séminant in lácrymis, * In exsultatióne metent. ℟. Qui. ℣. Euntes ibant & flebant, mittentes sémina sua. * In. ℣. Glória. ℟. Qui. *Ps.* 125.

*Si sit Sacerdos*, Jam satìs fluxit. *ut ad I. Vesp. pag.* lviij.

℣. Sacerdótes tui induantur justítiam, ℟. Et sancti tui exsultent. *Ps.* 131.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Operátus est bonum & rectum, & verum coram Dómino Deo suo, in universâ cultúrâ ministérii domûs Dómini; fecitque & prosperátus est. *II. Paral.* 31.

*Si non sit Sacerdos, Hymnus*, Summi pusillus. *ut ad I. Vesp. pag.* lviij.

℣. Non privábit bonis Dóminus eos qui ámbulant in innocéntiâ: ℟. Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te. *Ps.* 83.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Qui díligunt te, Dómine, sicut sol in ortu suo splendet, ita rútilent. *Judic.* 5.

DIEBUS PRIVATIS.

*IN II. NOCTURNO.*

LECTIO. *Philip.* 4.

FRatres, quæcúmque sunt vera, quæcumque pudíca, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabília, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte.

℣. Omnia judícia Dómini in conspectu meo: ℟. Et justítias ejus non répuli à me. *Ps.* 17.

## COMMUNE *VIRGINUM.*

AD I. VESPERAS.

*ANTIPHONÆ.*

I. QUid Dómini bonum est, & quid pulchrũ ejus, nisi frumentum electórum, & vinum gérminans vírgines? *Zach.* 9.

II. Dabo eis nomen mélius à filiis & filiábus; nomen sempiternum dabo eis, quod non períbit. *Isai.* 56.

III. Quæ nescívit thorũ in delícto, habébit fructum in respectióne animárum sanctárum. *Sap.* 3.

IV. Dábitur illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptíssima. *Sap.* 3.

LECTIO. *I. Cor. 7.*

UNusquisque próprium donum habet ex Deo, álius sic, álius verò sic: † dico autem non nuptis & víduis, * bonum est si sic permáneant.

℟. *br.* Afferentur Regi Vírgines * In exsultatióne. ℟. Afferentur. ℣. Adducentur in templum Regis. * In. ℣. Glória. ℟. Afferentur. *Ps. 44.*

*Si sit Martyr,*

HYMNUS. *S. V.*

FEstis læta sonent æthera cántibus;
Nunc aptáte tubas, súmite tympana,
Cœtus Angélici, dícite Vírginem,
Christi dícite Mártyrem.

Vestris illa fuit débita cœtibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula,
Ut vos exprímeret, dedídicit genus,
Virgo córporis ímmemor.

Sed quid cogis, amor? Fórtiter ámbiit
Sponso virgíneum fúndere sánguinem;
Oblíti méminit tunc benè córporis,
Præclaræ sítiens necis.

Sic quâ parte minor, vos superéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,
Et per damna sui córporis íntegram
Testári Dómino fidem.

Patri máxima laus, máxima Fílio
Amborumque sacro máxima Flámini,
A quo magnánimæ prælia sústinent,
Spreto fúnere, Vírgines. Amen.

℣. Deus præcinxit me virtúte, ℟. Et pósuit immaculátam viam meam. *Ps. 17.*

*Ad* Magníficat. *Ant.* Infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia; ut non gloriétur omnis caro in conspectu ejus. *I. Cor. 1.*

*Collecta, ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.*

*Si non sit Martyr,*

HYMNUS. *S. V.*

VOs ô Virgínei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponsum virgíneo progénitum sinu
Puris tóllite láudibus.

Hæc est sacra dies, óbvia quâ suo
Cum plenâ rútilans lámpade júngitur
Sponso, stansque throno próxima cóncinit
Virgo cántica Vírgini.

Solo digna Deo cónjuge, réspuit
Mortáles thálamos; ut semel óbligat
Sese fida suo, quem benè déperit,
Ultrò se Deus óbligat.

Purum ne máculent pectus imágines,
In se tota sui córporis ímmemor
Mens sese récipit; nil óculi vident,
Surdis nil sonat áuribus.
Ægro vix sua sunt pábula córpori,
Ardet mille modis ante diem mori:
Quidquid mors rápiet, jam sibi præripit;
Unus sit Deus ómnia.
Fac, ô Christe, tuæ Vírginis æmulos
Hâc nos ire tibi, quâ gráditur viâ;
Qui gens sancta sumus, móribus íntegris
Fac soli tibi vívere.
Da te, summe Pater, tóllere láudibus:
Da te, Christe, sequi, láurea Vírginum,
Fac incensa tuis, Spíritus, árdeant
Flammis frígida péctora. Amen.

℣. Hæréditas immaculatórum in æternum erit: ℟. Non confundentur in témpore malo. *Ps.* 36.

*Ad* Magníficat, *Ant.* Complácuit Dómino in te, & gaudébit super te Deus tuus. *Is.* 62.

*Collecta, ut infrà ad Laudes, nisi sit propria.*

---

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Venite. *Ant.* Agnum, quem sequuntur Vírgines, * Veníte, adorémus. *Apoc.* 14.

*Si sit Martyr,*

HYMNUS. *S. V.*

Virginum robur, Deus, atque custos;
Sexus imbellis, médios per enses,
Dum faves, quas non súperat viríli
Péctore mortes.
Pro tuis aris animósa Virgo
Molle dat pœnis laceráre corpus;
Non suos sentit, memor ô! tuórum,
Christe, dolórum.
Non graves plagæ, válidi nec ictus
Integram possunt violáre mentem;
Quin sacri crescit magìs obstinátus
Ardor amóris.
Sponsa dilecto placitúra sponso
Déspicit ruptum laniáta corpus:
Est suus truncis honor, & venustas
Est sua membris.
Omnis à Recto fluit ille splendor:
Christe, sic olìm, cruce tensus altâ,
Obsequens Patri, láceros placébas
Hórridus artus.
Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriusque Nexus;

Fac tibi semper placeámus uni
Móribus æquis. Amē.

*Si non sit Martyr,*

HYMNUS. *S. V.*

CŒlestis aula pánditur;
En sponsus; omnes óbviæ,
Exíte sponso Vírgini,
Exíte, sponsæ Vírgines.

Hæc nuptiális est dies,
Quæ, lónga post suspíria,
Dat ómnibus, dat síngulis,
Jam pléniùs frui Deo.

Quæ casta vobis gáudia,
Quos afflet ignes, dícite,
Ab ore cujus púrior
Torrens voluptas éffluit?

Hunc propter unum víluit
Superba Regum púrpura:
Dotáta quæ sponso Deo,
Quid Virgo terris ámbiat?

O virgináles núptiæ
Per quas caro fit spíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!

Æterne sponse vírginum,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula. Amē.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Oleum effúsum nomen tuum; ídeò adolescentulæ dilexérunt te. *Cant.* 1.

II. Post te currémus, in odórem unguentórum tuórum. *Ibid.*

III. Exsultábimus & lætábimur in te; recti díligunt te. *Ibid.*

IV. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea; bonus est ánimæ quærenti illum. *Thren.* 3.

V. In perpétuum coronáta triumphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. *Sap.* 4.

VI. O quàm pulchra est casta generátio cum claritáte! immortális est enim memória illíus. *Sap.* 4.

℣. Cor meum & caro mea ℟. Exsultavérunt in Deum vivum. *Ps.* 83.

*Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.*

*IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Nescítis quóniam córpora vestra membra sunt Christi? *I. Cor.* 6.

II. Secundùm expectatiónem & spem meam magnificábitur Christus in córpore meo. *Philip.* 1.

III. Relígio munda apud Deum & Patrem hæc est, immaculátum se custodíre ab hoc século. *Jac.* 1.

IV. Fructus Spíritûs est, cáritas, mansuetúdo, fides, modéstia, continéntia, cástitas. *Gal.* 5.

V. Si spíritu vívimus, spíritu & ambulémus. *Ibid.*

VI. Deus reddet iis qui secundùm patiéntiam boni óperis incorruptiónē quærunt, vitam æternā. *Rom.* 2.

℣. Quæ est expectátio mea? nonne Dóminus? ℟. Et substántia mea apud te est. *Ps.* 38.

LECTIO V.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de hábitu Vírginum. *Edit. Baluz.*

NUnc nobis ad Vírgines sermo est; quarum quò sublímior glória, major & cura est. Flos est ille Ecclesiástici gérminis, decus atque ornamentum grátiæ spirituális, læta índoles, laudis & honóris opus íntegrum atque incorruptũ, Dei imágo respondens ad sanctimóniam Dómini, illústrior pórtio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis lárgiter floret Ecclésiæ matris glorióſa fœcúnditas: quantóque plus copiósa virgínitas número suo addit, tantò plus gáudium matris augescit.

℟. Audi, fília, & vide; & inclína aurem tuam, & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui; * Et concupiscet Rex decórem tuum. ℣. Juvenília desidéria fuge; sectáre verò justítiam, fidem, spem, caritátem, & pacem cum iis qui ínvocant Dóminum de corde puro. *Ps.* 44. *II. Tim.* 2.

LECTIO VI.

Ex Apológiâ sancti Athanásii Epíscopi ad Constántium Imperatórem. *Edit. Bened. n.* 33.

DEi Fílius, Dóminus & Salvátor noster Jesus Christus, propter nos homo factus, qui mortem abrogávit, nostrumque genus à servitúte corruptiónis liberávit, cum áliis ómnibus donis suis illud quoque nobis impertívit, ut Angelórum imáginem in terrâ haberémus, nempè virginitátem. Eas sanè quæ hâc virtúte præditæ sunt, sponsas Christi vocáre consuévit cathólica Ecclésia: has éthnici cùm vident, ut templum Verbi admirantur: certum quippe est nusquàm hanc venerandam ac cœlestem professiónem éxcoli, nisi dumtaxàt apud nos Christiános. Hoc enim máximum est argumentũ, certam ac veram apud nos esse religiónem.

℟. Múlier innupta & virgo, * Cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore & spíritu. ℣. Felix est stérilis & incoinquináta, quæ nescívit thorum in delícto. * Cógitat. *I. Cor.* 7. *Sap.* 3.

LECTIO VII.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi, de sanctâ Virginitáte. *Edit. Bened. cap.* 53.

HOc ágite, Vírgines Dei, hoc ágite; sequímini Agnum quocumquè íerit. Sed priùs ad eum quem sequámini veníte, & díscite; quóniam mitis est & húmilis corde. Humíliter ad húmilem veníte, si amátis; & ne discedátis ab illo, ne cadátis. Qui enim timet ab

illo discédere, rogat & dicit: Non véniat mihi pes supérbiæ. Pérgite viam sublimitátis, pede humilitátis. Ipse exaltat humíliter sequentes, quem descéndere non piguit ad jacentes. Dona ejus illi servanda committite; fortitúdinem vestram ad illum custodíte. Quidquid mali ipso custodiente non commíttitis, tamquàm remissum ab illo deputáte: ne módicum vobis existimantes dimissum, módicùm diligátis, & tundentes péctora publicános ruinósâ jactántiâ contemnátis. De víribus vestris expertis cavéte, ne, quia ferre áliquid potuístis, inflémini: de inexpertis autē oráte, ne suprà quàm potestis ferre tentémini.

℟. Perdidísti omnes qui fornicantur abs te, Dómine: * Mihi adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam. ℣. Qui adhæret Dómino, unus spíritus est. * Mihi. *Ps.* 72. *I. Cor.* 6.

LECTIO VII.

Ex Epístolâ ad Vírginem Demetríadem. *Inter Opera S. Leonis, Edit. Paris. cap.* 17.

HUmílitas ómnium virtútum inexpugnábilis fortitúdo, & quædam suórum est vita membrórum. Discérnimus enim illam ab iis officiis, quæ potest étiam cum mundi sapiéntibus habére commúnia: & in eo proprietátem ipsíus defínimus: Quòd per ómnia Deo súbditur. Nec potest quidquam de méritis suis pérdere, quorum causas atque profectus non in se, sed in suo autóre constítuit. Dignum quippe est, ut imágo Dei Deo spléndeat, & inde pulchra, inde sit compta. Alióquin adúltera est, & à divino aliéna conjúgio, si altérius cujusquam decórem in spéculo sui cordis ostendat, aut ullis áliis monílibus acquiescit ornári, nisi illis quæ de thesáuris Sponsi per sancti Spíritûs pignus accépit.

℟. Totus desiderábilis, talis est diléctus meus;* Et ipse est amícus meus, filiæ Jerúsalem. ℣. Vivo, jam non ego, vivit verò in me Christus. * Et ipse. ℣. Glória. * Et ipse. *Cant.* 5. *Galat.* 2.

*IN III. NOCTURNO.*

I. CANTICUM. *Cant.* 2.

*Laus virginitatis; Ecclesiæ typus.*

EGo flos campi, * & lílium convállium.
Sicut lílium inter spinas,* sic amíca mea inter fílias.
Sicut malus inter ligna silvárum, * sic diléctus meus inter fílios.
Sub umbrâ illíus quem desideráveram, sedi; * & fructus

fructus ejus dulcis gútturi meo.

Introduxit me in cellam vináriam : * ordinávit in me caritátem.

II. Canticum. *Ibidem.*

EN diléctus meus lóquitur mihi : * Surge, própera, amíca mea, columba mea, formósa mea, & veni.

Jam enim hiems tránsiit; * imber ábiit, & recessit :

Flores apparuérunt in terrâ nostrâ; * tempus putatiónis advénit :

Vox túrturis audíta est in terrâ nostrâ : * ficus prótulit grossos suos :

Víneæ florentes dedérunt odórem suum : * surge, amíca mea, speciósa mea, & veni.

III. Canticum. *Cant.* 8.

POne me ut signáculum super cor tuum, * ut signáculum super bráchium tuum :

Quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio : * lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum.

Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátẽ,* nec flúmina óbruent illam :

Si déderit homo omnem substántiam domûs suæ pro dilectióne, * quasi nihil despíciet eam.

*Ant.* Cantábant Vírgines cánticum novum ante sedem Dei & Agni. *Apoc.* 14.

℣. Immísit Dóminus in os meum cánticum novum.
℟. Carmen Deo nostro. *Ps.* 39.

Lectio IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 7.

DE Virgínibus præceptum Dómini non hábeo : consílium autem do, tamquàm misericórdiam consecútus à Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instantẽ necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri ? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre ? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccasti. Et si núpserit virgo, non peccávit : tribulatiónẽ tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco.

℟. Súscipe me, Dómine, secundùm elóquium tuum, & vivam; & * Non confundas me ab expectatióne meâ. ℣. Defécit caro mea & cor meum : Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum. * Non. *Ps.* 118. & 72.

Lectio X.

HOc ítaque dico, fratres : Tempus breve est : réliquum est, ut & qui habent uxóres, tam-

quàm non habentes sint: & qui flent, tamquàm non flentes; & qui gaudent, tamquàm non gaudentes; & qui emunt, tamquàm non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tamquàm non utantur: prætérit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse.

℞. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, * Quia fortis est ut mors diléctio. ℣. Neque altitúdo, neque profundum, neque creatúra ália póterit nos separáre à caritáte Dei. * Quia. *Cant.* 8. *Rom.* 8.

LECTIO XI.

QUi sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, & divísus est. Et múlier innupta, & virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore & spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro. Porrò hoc ad utilitátem vestram dico: non ut láqueum vobis injíciam, sed ad id quod honestum est, & quod facultátem præbeat sine impedimento Dóminum obsecrandi.

℞. Dábitur illi sors in templo Dei acceptíssima; * Bonórum enim labórum gloriósus est fructus. ℣. Beáti mundo corde; quóniam ipsi Deum vidébunt. * Bonórum. *Sap.* 3. *Matth.* 5.

LECTIO XII.

SI quis autem turpem se vidéri exístimat super vírgine suâ, quòd sit superadulta, & ita oportet fieri: quod vult, fáciat; non peccat, si nubat. Nam qui státuit in corde suo firmus, non habens necessitátem, potestátem autem habens suæ voluntátis, & hoc judicávit in corde suo serváre vírginem suam, benè facit. Igitur & qui matrimónio jungit vírginē suam, benè facit; & qui non jungit, mélius facit. Múlier alligáta est legi quanto témpore vir ejus vivit: quòd si dormíerit vir ejus, liberáta est: cui vult, nubat; tantùm in Dómino. Beátior autem erit si sic permánserit, secundùm meum consílium: puto autem quòd & ego Spíritum Dei hábeam.

℞. Gaudens gaudébo in Dómino, & exsultábit ánima mea in Deo meo; * Quia índuit me vestiméntis salútis, & induménto justítiæ circúmdedit me. ℣. Magnificáte Dóminum mecum; & exaltémus nomen ejus in idípsum. * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Isai.* 61. *Psalm.* 33.

EVANGELIUM.
Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.
*Cap.* 25.

DIxit Jesus discípulis suis: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipientes lámpades suas, exiérunt óbviàm sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, & quinque prudentes: sed quinque fátuæ acceptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum, prudentes verò accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciente sponso, dormitavérunt omnes, & dormiérunt. Médiâ autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit; exíte óbviàm ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, & ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro; quia lámpades nostræ extinguuntur. Respondérunt prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite pótiùs ad vendentes, & émite vobis. Dùm autem irent émere, venit sponsus; & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, & clausa est jánua. Novíssimè verò véniunt réliquæ vírgines, dicentes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem neque horam.

---

AD LAUDES.
*ANTIPHONÆ.*

I. ANima mea liquefacta est, ut diléctus meus locútus est. *Cant.* 5.

II. Invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimittam. *Cant.* 3.

III. Ego dilécto meo, & diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. *Cant.* 6.

IV. Pater meus, & dux virginitátis meæ tu es, Dómine. *Jerem.* 3.

V. Grátia cum ómnibus qui díligunt Dóminum nostrum Jesum Christum in incorruptióne. *Ephes.* 6.

LECTIO. *Sap.* 8.

SCivi quóniam áliter non possem esse cóntinens, nisi Deus det; † & hoc ipsum erat sapiéntiæ, * scire cujus esset hoc donum.

℟. *br.* Psallam & intélligam * In viâ immaculátâ. ℟. Psallam. ℣. Perambulábam in innocéntiâ cordis mei. * In viâ. ℣. Glória. ℟. Psallam. *Ps.* 100.

*Si sit Martyr,*
HYMNUS. *S. V.*

QUid sacram, Virgo, generósa Martyr,
Ambiunt frontem dúplices corónæ?
Nempè non unum gémino reportas
Hoste triumphum.

Móllior fregit neque te voluptas,
Impotens flexit neque te tyrannus;
Tu graves pœnas, pariterque blandos
Vincis amóres.

Líliis sponsus récubat, rosisque;
Tu tuo semper benè fida sponso,
Et rosas Martyr, simul & dedisti
Lília Virgo.

Summa laus Patri; genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriusque Nexus,
Vírginum per quem sacra Corda puris
Ignibus ardent.
Amen.

℣. Deduxisti me, Dómine, quia factus es spes mea; ℟. Turris fortitúdinis à fácie inimíci. *Ps.* 60.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Factus est Dóminus firmamentum meum: liberávit me, quia complácui ei; secundùm mundítiam mánuum meárum reddet mihi. *II. Reg.* 22.

COLLECTA. *Brev. Paris.*

DEus, qui inter cætera potémtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulisti; † concéde propítius, ut beatæ *N.* Vírginis & Mártyris tuæ cujus passiónem cólimus, * victrícem quoque patiéntiam imitémur: Per Dóminum.

*Si non sit Martyr,*

HYMNUS. *G. Ep. S.*

NOn vana dilectum gregem
Pavêre mundi gáudia,
Nec pura fallax péctora
Imágo lusit séculi.

Sed hæc tuárum própria
Sunt, Christe, sponsárum bona,
Te semper & tecum tuis
In te potíri gáudiis.

Castis vicissim tu tibi
In córdibus thorum struis;
Interque flammas íntimo
Amans quiescis in sinu.

Hic unus est sponsis amor,
Unusque tecum spíritus;
Beasque solus síngulas,
In teque transformas, Deus.

Te deprecámur súpplices,
Nostris ut addas sénsibus,
Nescíre prorsùs ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Sit laus Patri, laus Filio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Divína qui perénnibus
Firmas sigillis fœdera.
Amen.

℣. Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, Dómine; ℟. Ut non confundar. *Ps.* 118.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Tu scis, Dómine, quia nunquàm concupívi virum, & mundam servávi ánimam meam ab omni concupiscéntiâ. *Tob.* 3.

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

CAstimóniæ pacem méntibus nostris, atque corpóribus, intercedente sanctâ *N.* Vírgine tuâ, Dó-

mine, propitiátus indulge; † ut veniente sponso Filio tuo unigénito, * accensis lampádibus, ejus digni præstolémur occursum: Per eumdem.

AD TERTIAM.

LECTIO. *II. Cor.* 11.

ÆMulor vos Dei æmulatióne: † despondi enim vos uni viro, * vírginem castã exhibére Christo.

℣. Sitívit in te ánima mea, ℟. Quàm multiplíciter tibi caro mea! *Ps.* 62.

AD SEXTAM.

LECTIO. *I. Cor.* 7.

MUlier innupta & virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore & spíritu: † quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, * quómodò pláceat viro.

℣. Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea: ℟. Fáciem tuam, Dómine, requíram. *Ps.* 26.

AD NONAM.

LECTIO. *I. Cor.* 6.

AN nescítis quóniam membra vestra templum sunt Spíritûs Sancti, qui in vobis est, quem habétis à Deo, & non estis vestrî? † Empti enim estis prétio magno. * Glorificáte & portáte Deum in córpore vestro.

℣. Cantábo tibi, Dómine: ℟. Psallam & intélligam in viâ immaculátâ. *Ps.* 100.

AD II. VESPERAS.

ANTIPHONÆ.

I. VIrgines accipientes lámpades suas, exiérunt óbviàm sponso & sponsæ. *Matth.* 25.

II. Prudentes accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus, & ornavérunt lámpades suas. *Matth.* 25.

III. Médiâ nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit; exíte óbviàm ei. *Matth.* 25.

IV. Venit sponsus; & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias. *Matth.* 25.

LECTIO. *Apoc.* 19.

REgnávit Dóminus Deus noster omnípotens: † gaudeámus, & exsultémus; & demus glóriam ei; * quia venérunt núptiæ Agni.

℟. *br.* Júvenes & vírgines * Laudent nomen Dómini. ℟. Júvenes. ℣. Quia exaltátum est nomen ejus solíus. * Laudent. ℣. Glória. ℟. Júvenes. *Ps.* 148.

*Si sit Martyr, Hymnus,* Festis læta sonent. *ut ad I. Vesperas, pag.* lxviij.

℣. Retribuet mihi Dóminus secundùm justítiam meam, ℟. Et secundùm puritátem mánuum meárum in conspectu oculórum ejus. *Ps.* 17.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Casta generátio in perpétuum

coronáta triúphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. *Sap.* 4.

*Si non ſit Martyr, Hymnus*, Vos, ô Virginei. *ut ad I. Veſp. pag.* lxviij.

℣. Me propter innocéntiam ſuſcepiſti, ℟. Et confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum. *Pſ.* 40.

*Ad* Magníficat. *Ant.* In reſurrectióne, neque nubent, neque nubentur; ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. *Matth.* 22.

---

DIEBUS PRIVATIS.

*IN II. NOCTURNO.*

LECTIO. *I. Cor.* 7.

DE Virgínibus præceptum Dómini non hábeo; consílium autem do, tamquàm miſericórdiam conſecútus à Dómino, ut ſim fidélis.

℣. Beáti immaculáti in viâ, ℟. Qui ámbulant in lege Dómini. *Pſ.* 118.

---

COMMUNE

*SANCTARUM*

*MULIERUM.*

---

AD I. VESPERAS.

*Antiphonæ ut infrà ad Laudes, quartâ omiſsâ. pag.* lxxxiv.

LECTIO. *I. Cor.* 11.

VOlo vos ſcire quòd omnis viri caput Chriſtus eſt: † caput autem mulieris, vir: * caput verò Chriſti, Deus.

℟. *br.* Perambulábam in innocéntiâ cordis mei. * In médio domus meæ. ℟. Perambulábam. ℣. Non proponébam ante óculos meos rem injuſtam. * In. ℣. Glória. ℟. Perambulábam. *Pſ.* 100.

HYMNUS. *S. V.*

ADeſte, ſanctæ Cónjuges;
En illa fortis fémina,
Ornáta quæ virtútibus
Inter triumphat cœlites.

Non vana pompa ſæculi
Senſûs fefellit, nec malis
Gliſcens voluptas ártibus
Virile pectus mólliit.

Prodeſſe quærit ómnibus,
Curis honeſtis ánxia;
Patróna, cuſtos vírginum,
Secunda mater órphanis.

Pannis latentem vílibus
Chriſtum fovébat hóſpité:
Quas dura ſubtraxit ſibi,
Opes refundit pródiga.

Paſcenda cœléſti cibo,
Sacris ſtudébat litteris;
Templo frequens, ſed ſédula
Redíbat ad curam domûs.

Pacem domi, pacem foris
Alto colit ſiléntio;
Lites amat compónere,
Ut una mens ſit ómnibus.

Divína proles féminæ,
JESU, tibi ſit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In ſempiterna ſæcula.
Amen.

*Si ſit Martyr,* ℣. Miſericórdia tua, Dómine, ſub-

ſequétur me, ℟. Omnibus diébus vitæ meæ. *Pſ.* 22.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Deus cœlórum, exaudi me deprecantem, & de tuâ miſericórdiâ præſumentem; ut gentes agnoſcant quia tu es Deus, & non eſt álius præter te. *Judith,* 9.

*Collecta ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.*

*Si non ſit Martyr,* ℣. Miſericórdia tua, Dómine, ante óculos meos eſt, ℟. Et complácui in veritáte tuâ. *Pſ.* 25.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Exſultávit cor meum in Dómino, & dilatátum eſt cor meum: quia lætáta ſum in ſalutári tuo. *I. Reg.* 2.

*Collecta ut infrà ad Laudes, niſi ſit propria.*

---

AD OFFICIUM NOCT.

*In Pſ.* Veníte. *Ant.* Deum, in quo ſperant ſanctæ Mulíeres, * Veníte, adorémus. *I. Petr.* 3.

*Hymnus,* Adeſte, ſanctæ Cónjuges. *ut ſuprà ad I. Veſperas.*

## *IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Inítium ſapiéntiæ timor Dómini, cum electis féminis gráditur. *Eccli.* 1.

II. Grátia ſuper grátiam, múlier ſancta & pudoráta. *Eccli.* 26.

III. Múlier ſensáta & bona, grátia verecúndiæ illíus ſuper aurum. *Eccli.* 7.

IV. Fundamenta æterna ſupra petram sólidam; & mandáta Dei in corde mulíeris ſanctæ. *Eccli.* 26.

V. Fortitúdo & decor indumentum ejus, & ridébit in die noviſſimo. *Prov.* 31.

VI. Sic ſanctæ mulíeres ſperantes in Deo, ornábant ſe. *I. Petr.* 3.

℣. Mandáta tua dilexi, Dómine, ℟. Super aurum & topázion. *Pſ.* 118.

*Lectiones cum Reſponſoriis ſuis de Scripturâ occurrente.*

## *IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Super ſervos meos, & ſuper ancillas meas in diébus illis effundam de ſpíritu meo. *Act.* 2.

II. Sicut Eccléſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulíeres viris ſuis in ómnibus. *Epheſ.* 5.

III. Deprecabátur Dóminum, dicens: Dómine mi, qui Rex noſter es ſolus, ádjuva me, cujus præter te nullus eſt auxiliátor álius. *Eſther,* 14.

IV. Oſtende, quóniam non derelinquis præſumentes de te. *Judith,* 6.

V. Hæc erat plena opéribus bonis & eleemóſynis quas faciébat. *Act.* 9.

VI. In opéribus bonis teſtimónium habens, omne opus bonum ſubſecúta eſt. *I. Tim.* 5.

℣. Ego ſicut olíva fructí-

fera in domo Dómini, ℞. Sperávi in misericórdiâ Dei. *Ps.* 51.

LECTIO V.

Sermo sancti Augustini Epíscopi. *Serm.* 196. *in Nat. Dom.* 13. *Edit. Bened. Cap.* 2.

TRes vitæ sunt in Ecclésiâ membrórum Christi: conjugális, viduális, virginális. Quia ipsæ vitæ, ipsæ pudicítiæ futúræ erant in sanctis membris Christi; omnes istæ vitæ tres adtestátæ sunt Christum. Prima conjugális: quando María virgo concépit, Elísabeth uxor Zachariæ & ipsa concéperat; hujus Júdicis præcónem ferébat in útero. Venit ad eam sancta María, tamquàm ad cognátam suã salutandam. Exsultávit infans in útero Elísabeth. Ille exsultávit, illa prophetávit. Habes adtestantem pudicítiam conjugálem.

℞. Fallax grátia, & *Vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. ℣. Ne respícias in mulíeris spéciem. * Vana est. *Prov.* 31. *Eccli.* 25.

LECTIO VI.

UBi viduális vita? In Annâ. Audistis, quòd esset sancta prophetissa vídua octoginta & quátuor annórum, quæ septem annis víxerat cum viro suo; frequentans templum Dómini, sérviens in oratiónibus nocte & die. Et ipsa vídua agnóvit Christum. Vidit parvum, agnóvit magnum. Et ipsa adtestáta est. Habes & in istâ vitam viduálem. In Maríâ virginálem. Eligat sibi quisque de istis tribus quam volúerit. Qui præter istas esse volúerit, in membris Christi esse non dispónit.

℞. Erat in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valdè, * Nec erat qui loquerétur de illâ verbum malum. ℣. Non discedébat de templo, jejúniis & obsecratiónibus sérviens die ac nocte. * Nec erat. *Judith*, 8. *Luc.* 2.

LECTIO VII.

NOn dicant conjugátæ, Nos ad Christum non pertinémus. Habuérunt marítos sanctæ féminæ. Non se extollant vírgines. Quantò magnæ sunt, humílient se in ómnibus. Omnia exempla salútis propósita sunt ante óculos nostros. Nemo exórbitet. Nemo præter uxórem: mélius sine uxóre. Si pudicítiam conjugálem quæris, habes Susannam: si viduálem, habes Annam: si virginálem, habes Maríam.

℞. Benedicta es tu à Dómino: * Scit enim omnis pópulus mulíerem te esse virtútis. ℣. Nomen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum. * Scit. *Ruth*, 3. *Judith*, 15.

LECTIO VIII.

Ex libro ejusdem de Agóne Christiáno. *Ed. Bened. Cap.* 11.

ERigat spem suam genus humánum, & recognoscat natúram suam: vídeat quantum locum hábeat in opéribus Dei. Nolíte vosipsos contémnere, viri; Fílius Dei virum suscépit. Nolíte vosmetipsas contémnere, féminæ; Fílius Dei natus ex féminâ est. Nolíte tamen amáre carnália; quia in Fílio Dei nec másculus nec fémina sumus. Nolíte amáre temporália, quia si benè amarentur, amáret ea homo quem suscépit Fílius Dei. Nolíte timére contumélias, & cruces, & mortem; quia si nocérent hómini, non ea paterétur homo quem suscépit Fílius Dei.

℟. Fecisti viríliter & confortátum est cor tuum, eò quòd castitátem amáveris: * Et ídeò †Eris benedícta in æternum. ℣. Oratiónes tuæ & eleemósynæ tuæ ascendérunt in memóriam in conspectu Dei. * Et ídeò. ℣. Glória. †Eris. *Judith*, 15. *Act.* 10.

## *IN III. NOCTURNO.*

I. CANTICUM. *Prov.* 31.

*Quàm rara, sed pretiosa mulier sapiens! ejus dotes, encomium, & gloria; corporis pulchritudo fallax gratia.*

MUlíerem fortem quis invéniet? * procul & de últimis fínibus prétium ejus.

Confídit in eâ cor viri sui, * & spóliis non indigébit.

Reddet ei bonum, & non malum, * ómnibus diébus vitæ suæ.

Quæsívit lanam & linum, * & operáta est consílio mánuum suárum.

Facta est quasi navis institóris, * de longè portans panem suum.

Et de nocte surrexit; * deditque prædam doméstícis suis, & cibária ancillis suis.

Considerávit agrum, & emit eum: * de fructu mánuum suárum plantávit víneam.

II. CANTICUM. *Ibid.*

ACcinxit fortitúdine lumbos suos, * & roborávit bráchium suum.

Gustávit & vidit, quia bona est negotiátio ejus; * non exstinguétur in nocte lucerna ejus.

Manum suam misit ad fórtia, * & dígiti ejus apprehendérunt fusum.

Manum suam apéruit ínopi, * & palmas suas extendit ad páuperem.

Non timébit dómui suæ à frigóribus nivis; * omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus.

Stragulátam vestem fecit sibi: * byssus & púrpura indumentum ejus.

Nóbilis in portis vir ejus, * quando séderit cum senatóribus terræ.

Síndonem fecit & véndidit; * & cíngulum trádidit Chananæo.

III. Canticum. *Ibid.*

Fortitúdo & decor indumentum ejus; * & ridébit in die novíssimo.

Os suum apéruit sapiéntiæ, * & lex cleméntiæ in linguâ ejus.

Consíderávit sémitas domûs suæ, * & panem otiósa non comédit.

Surrexérunt filii ejus, & beatíssimã prædicavérunt;* vir ejus, & laudávit eam.

Multæ filiæ congregavérunt divítias: * tu supergressa es universas.

Fallax grátia, & vana est pulchritúdo: * múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur.

Date ei de fructu mánuum suárum; * & laudent eam in portis ópera ejus.

*Ant.* Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperantes in se, & in me ancillâ suâ adimplévit misericórdiam suam. *Judith*, 13.

℣. Glorificábo nomen tuum in ætemum, ℟. Quia misericórdia tua magna est super me. *Ps.* 85.

Lectio IX.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

*Cap.* 5.

Mulíeres viris suis súbditæ sint, sicut Dómino: quóniam vir caput est mulíeris: sicut Christus caput est Ecclésiæ; ipse salvátor córporis ejus. Sed sicut Ecclésia subjecta est Christo; ita & mulíeres viris suis in ómnibus.

℟. Adjuva me, nullum áliud auxílium habentem, nisi te, Dómine, qui habes ómnium sciéntiam; * Et nosti quia óderim glóriam iniquórum. ℣. Tu scis quòd nunquàm lætáta sit ancilla tua, nisi in te, Dómine Deus Abraham. * Et nosti. *Esther*, 14.

Lectio X.

Viri, dilígite uxóres vestras, sicut & Christus diléxit Ecclésiam, & seipsum trádidit pro eâ, ut illam sanctificáret, mundans lavácro aquæ in verbo vitæ, ut exhibéret ipse sibi gloriósam Ecclésiam, non habentem máculam, aut rugam, aut áliquid hujúsmodi, sed ut sit sancta & immaculáta. Ita & viri debent dilígere uxóres suas ut córpora sua.

℟. Nunquàm cum ludéntibus míscui me; * Neque cum his qui in civitáte ámbulant, partícipem me præbui. ℣. Mundam servávi ánimam meam ab omni

concupiscéntiâ. * Neque.
*Tob.* 3.

LECTIO XI.

QUi suam uxórem díligit, seipsum díligit. Nemo enim unquam carnem suam ódio hábuit: sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclésiam: quia membra sumus córporis ejus, de carne ejus & de óssibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærébit uxóri suæ; & erunt duo in carne unâ. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclésiâ. Verúmtamen & vos sínguli, unusquisque uxórem suam sicut seipsum díligat: uxor autem tímeat virum suum.

℞. Non est in sermónibus tuis ulla reprehénsio: * Nunc ergo ora pro nobis, quóniam múlier sancta es, & timens Deum. ℣. Fides tua te salvam fecit. * Nunc.
*Judith*, 8. *Luc.* 7.

LECTIO XII.

Ex Epístolâ primâ beáti Petri Apóstoli. *Cap.* 3.

MUlíeres súbditæ sint viris suis; ut & si qui non credunt verbo, per mulíerum conversatiónem sine verbo lucrifiant, considerantes in timóre castam conversatiónem vestram. Quarum non sit extrínsecùs capillatúra, aut circumdátio auri, aut induménti vestimentórum cultus; sed qui abscónditus est cordis homo, in incorruptibilitáte quiéti & modesti spíritûs, qui est in conspectu Dei lócuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulíeres, sperantes in Deo, ornábant se, subjectæ própriis viris. Sicut Sara obediébat Abrahæ, dóminum eum vocans: cujus estis fíliæ benefacientes, & non pertimentes ullam perturbatiónem.

℞. Si qua múlier fidélis habet virum infidélem, & hic consentit habitáre cum illâ, non dimittat virum: * Sanctificátus est enim vir infidélis per mulíerem fidélem. ℣. Qui invénit mulíerem bonam, invénit bonum; & háuriet jucunditátem à Dómino. * Sanctificátus est. ℣. Glória. * Sanctificátus est. *I. Cor.* 7. *Prov.* 18.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Cap.* 19.

ACcessérunt ad Jesum Pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet hómini dimíttere uxórem suam, quâcumque ex causâ? Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hóminem ab inítio, másculum & féminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærébit uxóri suæ. Et erunt duo in carne unâ. Itaque jam non sunt

duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non séparet. Dicunt illi: Quid ergo Móyses mandávit dare libellum repúdii, & dimíttere? Ait illis: Quóniam Móyses ad durítiam cordis vestri permísit vobis dimíttere uxóres vestras: ab inítio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimíserit uxórem suam, nisi ob fornicatiónem, & áliam dúxerit, mœchátur. Dicunt ei discípuli ejus: Si ita est causa hóminis cum uxóre, non expedit núbere. Qui dixit illis: Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est: sunt enim eunúchi, qui de matris útero sic nati sunt; & sunt eunúchi, qui facti sunt ab homínibus; & sunt eunúchi, qui se ipsos castravérunt propter regnum cœlórum: qui potest cápere, cápiat.

---

AD LAUDES.

*Antiphonæ.*

I. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornamentum domûs ejus. *Eccli.* 26.

II. Considerávit sémitas domûs suæ, & panem otiósa non comédit. *Prov.* 31.

III. Os suum apéruit sapiéntiæ, & lex clementíæ in linguâ ejus. *Prov.* 31.

IV. Ego sum, ego sum, quæ Dómino canam, psallam Dómino Deo Israel. *Judic.* 5.

V. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. *Judith,* 15.

Lectio. *I. Tim.* 2.

Mulier in siléntio discat cum omni subjectióne. † Docére autem mulíeri non permitto, neque dominári in virum; * sed esse in siléntio.

℟. *br.* Dixi: Custódiam vias meas, * Ut non delinquam in linguâ meâ. ℟. Dixi. ℣. Pósui ori meo custódiam. * Ut non. ℣. Glória. ℟. Dixi. *Ps.* 38.

Hymnus. *S. V.*

O Jam beáta, quæ suo
Tandem solúta córpore,
Vinclis perennióribus
Uni Deo conjúngitur!

Per quos gradus cœlum petit,
Hâc ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos solútæ cónjuges.

Insignis & nos Féminæ
Sequi decet vestígia,
Magnum vel ipsis quæ fuit
Virtútis exemplum viris.

Queîs arsit illa, fac, Deus,
Flagrémus & nos ígnibus;
Eôque, quo te vis coli,
Amóre fac mens te colat.

Sit laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus, Spíritus:
Qui robur addis féminis,
Tu nostra firma péctora.
Amen.

*Si sit Martyr,*

℣. Adhæsit ánima mea post te: ℟. Me suscépit déxtera tua. *Ps.* 62.

*Ad* Benedíctus. *Ant.* Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, & exaudíta est orátio mea. *Eccli.* 51.

Collecta. *Brev. Senon.*

DEus, cujus grátiâ virtus in infirmitáte perfícitur; † largíre nobis, quæsumus, beátæ *N.* Mártyris tuæ triumphum recoléntibus, * ut quæ à te accépit ut vínceret, à te quoque vincendi grátiam nobis obtíneat: Per Dóminum.

*Si non sit Martyr,*

℣. Meditátio cordis mei in conspectu tuo semper, ℟. Dómine, adjútor meus & redemptor meus. *Ps.* 18.

*Ad* Benedíctus. *Ant.* Orátio humiliantis se, nubes penetrábit; & non discédet donec Altíssimus adspíciat, & Dóminus non elongábit. *Eccli.* 35.

Collecta. *Brev. Paris.*

TUórum corda fidélium, Deus miserátor, illustra; † & beátæ *N.* précibus ac méritis, fac nos terréna despícere, * & amáre cœléstia: Per Dóminum.

AD TERTIAM.

Lectio. *I. Tim.* 2.

VOlo oráre mulíeres in hábitu ornáto, † cum verecúndiâ & sobrietáte ornantes se, & non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veste pretiósâ; * sed quod decet mulíeres, promittentes pietátem per ópera bona.

℣. Averte óculos meos ne vídeant vanitátem: ℟. In viâ tuâ vivífica me. *Ps.* 118.

AD SEXTAM.

Lectio. *I. Tim.* 3.

OPortet mulíeres esse pudícas, † non detrahentes,* sóbrias, fidéles in ómnibus.

℣. Ab omni viâ malâ prohíbui pedes meos; ℟. Ut custódiam verba tua. *Ps.* 118.

AD NONAM.

Lectio. *Tit.* 2.

DOceant adolescéntulas, ut viros suos ament, filios suos díligant; † prudentes, castas, sóbrias, domûs curam habentes, benígnas, súbditas viris suis,* ut non blasphemétur verbum Dei.

℣. Anima mea Dómino vivet, ℟. Et semen meum sérviet ipsi. *Ps.* 21.

---

AD II. VESPERAS.

*Antiphonæ ut suprà ad Laudes, quartâ omissâ.*

Lectio. *I. Tim.* 2.

MUlier salvábitur per filiórum generatiónem, † si permánserit in fide, & dilectióne, & san-

ctificatióne * cum ſobrietáte.

℟. br. Exſultábo, & lætábor * In misericórdiâ tuâ. ℟. Exſultábo. ℣. Quóniam reſpexiſti humilitátẽ meã. * In. ℣. Glória. ℟. Exſultábo. Pſ. 31.

*Hymnus*, O jam beáta. *ut ſuprà ad Laudes.*

*Si ſit Martyr*,

℣. Apud me orátio Deo vitæ meæ, ℟. Dicam Deo: Suſceptor meus es. Pſ. 41.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Indue te decóre & honóre ejus, quæ à Deo tibi eſt, ſempiternæ glóriæ; Deus enim oſtendet ſplendórem ſuum in te. *Baruch*, 5.

*Si non ſit Martyr*,

℣. Anima mea exſultábit in Dómino; ℟. Et delectábitur ſuper ſalutári ſuo. Pſ. 34.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Glorificétur ſuper te, Jerúſalem, & ſit nomen tuum in número ſanctórum & juſtórum. *Judith*, 10.

---

DIEBUS PRIVATIS.

*IN II. NOCTURNO.*

LECTIO. *Epheſ.* 5.

MUlíeres viris ſuis súbditæ ſint, ſicut Dómino: quóniam vir caput eſt mulíeris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccléſiæ: ipſe ſalvátor córporis ejus. Sed ſicut Eccléſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulíeres viris ſuis in ómnibus.

℣. Quómodò diléxi legem tuam, Dómine! ℟. Totâ die meditátio mea eſt. Pſ. 118.



# IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

*Solemnitas I. Classis.*

## AD I. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. MAgnus est Deus noster super omnes deos. Quis ergo póterit prævalére ut ædificet dignam Deo domum? *II. Paral.* 2.

II. Ergone credíbile est, ut hábitet Deus cum homínibus super terram? *II. Paral.* 6.

III. Si cœlum & cœli cœlórum cápere eum néqueunt, quantus ego sum, ut possim ædificare ei domum? *II. Paral.* 2.

IV. Quàm terríbilis est locus iste! non est hìc áliud, nisi domus Dei, & porta cœli. *Genes.* 28.

Lectio. *Deut.* 12.

AD locum quem elégerit Dóminus Deus vester de cunctis tríbubus vestris, † ut ponat nomen suum ibi, & hábitet in eo, * veniétis, & offerétis in loco illo, holocausta & víctimas vestras.

℟. *br.* Introíbimus * In tabernáculum ejus. ℟. Introíbimus. ℣. Adorábimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. * In. ℣. Glória. ℟. Introíbimus. *Ps.* 131.

Hymnus. *Brev. Parif.*

URbs Jerúsalem beáta,
Dicta pacis vísio,
Quæ constrúitur in cœlis
Vivis ex lapídibus,
Et ovantûm coronáta
Angelórum ágmine.

Nova véniens è cœlo
Nuptiáli thálamo,
Præparáta ut sponsáta
Copulétur Dómino;
Platéæ & muri ejus
Ex auro puríssimo.

Portæ nitent margarítis,
Adytis paténtibus;
Et virtúte meritórum,
Illuc introdúcitur
Omnis qui ob Christi nomē
Hìc in mundo prémitur.

Tunsiónibus, pressúris,
Expolíti lápides,
Suis coaptantur locis.
Per manus Artíficis,
Disponuntur permansúri
Sacris ædifíciis.

Sit perennis laus Parenti;
Sit perennis Fílio;
Laus tibi, qui nectis ambos,
Sit perennis, Spíritus,
Chrisma cujus nos inungens
Viva templa cónsecrat.

Amen.

℣. Fundátur exsultatióne universæ terræ mons Sion.
℟. Deus in dómibus ejus cognoscétur. *Ps.* 47.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Dómus mea ædificábitur in Jerúsalem, & consolábitur adhuc Dóminus Sion, & éliget adhuc Jerúsalem. *Zach.* 1.

*Collecta infrà ad Laudes.*

---

AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Dóminum in templo sancto suo, * Veníte, adorémus. *Ps.* 10.

HYMNUS. *Br. Paris.*

ANguláris fundamentum
Lapis Christus missus est,
Qui paríetum compáge
In utróque nectitur,
Quem Sion sancta suscépit,
In quo credens pérmanet.

Omnis illa Deo sacra
Et dilecta cívitas,
Plena módulis, in laude
Et canóre júbilo
Trinum Deum unicumque
Cum fervóre prædicat.

Hoc in templo, summe Deus,
Exorátus ádveni,
Et clementi bonitáte
Precum vota súscipe;
Largam benedictiónem
Hìc infunde júgiter.

Hìc promereantur omnes
Petíta acquírere
Et adepta possidére
Cum Sanctis perénniter,
Paradísum introíre,
Transláti in réquiem.

Sit decus, laus & potestas,
Sit supréma glória
Qui nos creávit, Parenti;
Qui redémit Fílio;
Templa cujus sunt fidéles,
Sit sacro laus Flámini.

Amen.

*IN I. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Ædificávit Noë altáre Dómino; & óbtulit holocausta super altáre; odoratusque est Dóminus odórem suavitátis. *Gen.* 8.

II. Erexit Jacob lápidem in títulum, fondens óleum désuper, dicens: Erit mihi Dóminus in Deum, & lapis iste vocábitur Domus Dei. *Ibid.* 28.

III. Móyses tabernáculum erexit, unxitque & sanctificávit cum ómnibus vasis suis, altáre simíliter, & ómnia vasa ejus. *Num.* 7.

IV. David invénit grátiam ante Deum, & pétiit ut inveníret tabernáculum Deo Jacob. *Act.* 7.

V. Dixit David ad Salomónem: Fili mi, sit Dóminus tecum, & ædífica domum Dómino tuo, sicut locútus est de te. *I. Paral.* 22.

VI. Sálomon ædificávit illi domum; sed non Excelsus in manufactis hábitat, sicut Prophéta dicit: Cœlum mihi sedes est. *Act.* 7.

℣. Dómine, dilexi decórem domûs tuæ, ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. *Ps.* 25.

LECTIO I.

Ex Libro secundo Paralipómenon. *Cap.* 7.

CUm complesset Sálomon fundens preces, ignis descendit de cœlo; & devorávit holocausta & víctimas: & majestas Dómini implévit domum. Nec póterant sacerdótes ingredi templum Dómini, eo quòd implesset majestas Dómini templum Dómini. Sed & omnes filii Israel vidébant descendentem ignem, & glóriam Dómini super domum: & corruentes proni in terram super pavimentum stratum lápide adoravérunt, & laudavérunt Dóminum: Quóniam bonus, quóniam in séculum misericórdia ejus. Rex autem & omnis pópulus immolábant víctimas coram Dómino.

℟. Sicut Móyses orábat ad Dóminum, & descendit ignis de cœlo; * Sic & Sálomon orávit, & descendit ignis de cœlo, & consumpsit holocaustum. ℣. Benedixérunt Móyses & Aaron pópulo, & ecce egressus ignis à Dómino devorávit holocaustũ. *Sic. *II. Mach.* 2. *Levit.* 9.

LECTIO II.

SAcerdótes autem stabant in officiis suis; & Levítæ in órganis cárminum Dómini, quæ fecit David Rex ad laudandum Dóminum: Quóniam in ætern*ũ* misericórdia ejus, hymnos David canentes per manus suas: porrò sacerdótes canébant tubis ante eos, cunctusque Israel stabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium átrii ante templum Dómini, obtúlerat enim ibi holocausta & ádipes pacificórum: quia altáre æneum, quod fécerat, non póterat sustinére holocausta, & sacrificia, & ádipes. Fecit ergo Sálomon solemnitátem in témpore illo septem diébus, & omnis Israel cum eo, ecclésia magna valdè, ab introítu Emath usque ad Torrentem Ægypti: fecitque die octávo collectam.

℟. Móyses tabernáculum & ómnia vasa ministérii aspersit, & ómnia penè in sánguine secundùm legem mundantur: * Necesse est ergo exemplária quidem cœléstium his mundári: ipsa autem cœléstia melióribus hóstiis, quàm istis. ℣. Tulit Móyses unctiónis óleum quo linívit tabernáculum cum omni supelléctili suâ: óbtulit & vítulum pro peccáto. * Necesse. *Hebr.* 9. *Levit.* 8.

LECTIO III.

APpáruit autem ei Dóminus nocte, & ait: Audívi oratiónem tuam, & elégi locum istum mihi in domum sacrifícii. Si cláusero cœlum, & plúvia non flúxerit, & mandávero

& præcépero locustæ, ut dévoret terram, & mísero pestiléntiam in pópulum meum: conversus autem pópulus meus, super quos invocátum est nomen meũ, deprecátus me fúerit, & exquisíerit fáciem meam, & égerit pœniténtiam à viis suis péssimis: & ego exáudiam de cœlo, & propítius ero peccátis eórum, & sanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad oratiónem ejus qui in loco isto oráverit. Elégi enim & sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diébus.

℟. Si duo ex vobis consénserint super terram, de omni re quamcumque petíerint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est. * Ubi enim sunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi sum in médio eórũ. ℣. Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad oratiónem ejus qui in loco isto oráverit. * Ubi. *Matth.* 18. *II. Paral.* 7.

Lectio IV.

Tu quoque si ambuláveris coram me, sicut ambulávit David pater tuus, & féceris juxta ómnia quæ præcépi tibi, & justítias meas judíciaque serváveris, suscitábo thronum regni tui, sicut pollícitus sum David patri tuo, dicens: Non auferétur de stirpe tuâ vir, qui sit princeps in Israel. Si autem aversi fuéritis, & derelíquéritis justítias meas, & præcepta mea, quæ propósui vobis, & abeuntes servieritis diis aliénis, & adoravéritis eos, evellam vos de terrâ meâ, quam dedi vobis: & domum hanc, quam sanctificávi nómini meo, projíciam à fácie meâ, & tradam eam in parábolam & in exemplum cunctis pópulis.

℟. Hæc dicit Dóminus exercítuum, Deus Israel: Bonas fácite vias vestras, & stúdia vestra: * Et † Habitábo vobiscũ in loco isto. ℣. Appropinquáte Deo, & appropinquábit vobis: emundáte manus, peccatóres, & purificáte corda. * Et Habitábo. ℣. Glória. † Habitábo. *Jerem.* 7. *Jac.* 4.

## *IN II. NOCTURNO.*

*Ant.* I. Construxérunt, jubente Deo, domum Dei filii transmigratiónis, & fecérunt dedicatiónem in gáudio. *I. Esdr.* 6.

II. Elégit Judas sacerdótes sine máculâ, & mundavérunt sancta, & ædificavérunt altáre novũ. *I. Mach.* 4.

III. Si cœlum & cœli cœlórum non te cápiunt; quantò magis domus ista? *II. Paral.* 6.

IV. Tu, Dómine, elegisti domum istam ad invocandum nomen tuum in eâ ; ut esset domus oratiónis & obsecratiónis pópulo tuo. *I. Mach.* 7.

V. Quicumque oráverit in loco isto, exaudi de habitáculo tuo, id est de cœlis ; & propitiáre. *II. Paral.* 6.

VI. Tu es Deus meus, aperiantur, quæso, óculi tui, & aures tuæ intentæ sint ad oratiónem quæ fit in loco isto. *II. Paral.* 6.

℣. In nóctibus extóllite manus vestras in sancta,
℟. Et benedícite Dóminum. *Ps.* 133.

LECTIO V.

Sermo Sancti Augustíni Epíscopi. *Serm.* 336. *In Dedic. Eccles. I. Edit. Bened. cap.* 1.

Celébritas hujus congregatiónis, Dedicátio est domûs oratiónis. Domus ergo nostrárum oratiónum ista est ; domus Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc século ædificámur, ut in fine séculi dedicémur. Ædifícium, immò ædificátio habet labórem, Dedicátio exsultatiónem. Quod hic fiébat, quándo ista surgébant ; hoc fit modò, cùm congregantur credentes in Christum. Credendo enim quasi de silvis & móntibus ligna & lápides præciduntur : cùm verò catechizantur, baptizantur, formantur, tamquàm inter manus fabrórum & opíficum dolantur, collineantur, complanantur.

℟. Superædificáti estis super fundamentum Apostolórum & Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu, * In quo & vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu. ℣. In ipso omnis ædificátio constructa crescit in templum sanctum in Dómino. * In quo. *Ephes.* 5.

LECTIO VI.

Verúmtamen domũ Dómini non fáciunt, nisi quando caritáte compaginantur. Ligna ista & lápides, si non sibi certo órdine cohærérent, si non se pacíficè innécterent, si non se ínvicèm, cohærendo sibi, quodámmodo amárent ; nemo huc intráret. Dénique quando vides in áliquâ fábricâ lápides & ligna benè sibi cohærére, secúrus intras, ruínam non times. Volens ergo Dóminus Christus intráre, & in nobis habitáre, tamquàm ædificando dicébat : Mandátum novum do vobis, ut vos ínvicèm diligátis. Mandátum, inquit, novum do vobis. Véteres enim erátis ; domum mihi nondùm faciebátis ; in vestrâ ruínâ jacebátis. Ergo ut eruámini de vestræ ruínæ vetustáte, vos ínvicèm amáte.

℟. Det vobis Deus Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: * In caritáte radicáti & fundáti, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. ℣. In ipso ambuláte superædificáti in ipsó & confirmáti fide. * In caritáte. *Ephes.* 3. *Coloss.* 2.

LECTIO VII.

Ex Libro décimo ejusdem de Civitáte Dei. *Cap.* 3. *Edit. Bened.*

DEi templum simul omnes & singuli templa sumus; quia & ómnium concórdiam, & singulos inhabitáre dignátur: non in ómnibus quàm in singulis major; quóniam nec mole disténditur, nec partitióne minúitur. Cùm ad illum sursùm est, ejus est altáre cor nostrum: ejus Unigénito eum sacerdóte placámus: ei cruentas víctimas cædimus, quando usque ad sánguinem pro ejus veritáte certámus: ei suavíssimum adolémus incensum, cùm in ejus conspectu pio sanctóque amóre flagrámus: ei dona ejus in nobis, nosque ipsos vovémus, & réddimus: ei beneficiórum ejus solemnitátibus festis & diébus statútis dicámus sacramusque memóriam, ne volúmine témporum ingráta subrépat oblívio: ei sacrificámus hóstiam humilitátis & laudis in arâ cordis igne férvidæ caritátis.

℟. Qui adhærent Dómino ut colant eum, & díligant nomen ejus, lætificábo eos in domo oratiónis meæ; * Quia domus mea domus oratiónis vocábitur cunctis pópulis. ℣. Holocausta eórum & víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo. * Quia. *Isai.* 56.

LECTIO VIII.

AD hunc videndum, sicut vidéri potest, eíque cohæréndum, ab omni peccatórum & cupiditátum malárum labe mundámur, & ejus nómine consecrámur. Ipse enim fons nostræ beatitúdinis, ipse omnis appetitiónis est finis. Hunc eligentes, vel pótiùs religentes, amiserámus enim negligentes: hunc ergo religentes, unde & religio dicta perhibétur, ad eum dilectióne téndimus, ut perveniendo quiescámus: ideò beáti, quia illo fine perfecti. Ut enim homo sese dilígere nosset, constitútus est ei finis, quò referret ómnia quæ ágeret, ut beátus esset. Non enim qui se díligit, áliud esse vult quàm beátus. Hic autem finis est adhærére Deo. Hic est Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta píetas, hæc tantùm Deo débita sérvitus.

℟. Veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu

& veritáte ; * Nam & Pater tales quærit qui adórent eum. ℣. Spíritus est Deus ; & eos qui adórant eum, in spíritu & veritáte oportet adoráre. * Nam. ℣. Glória. * Nam. *Joan.* 4.

## *IN III. NOCTURNO.*

### I. Canticum. *III. Reg.* 8.

*In dedicatione templi Salomonis oratio.*

DOmine Deus Israel, non est símilis tuî, Deus in cœlo désuper, * & super terram deorsùm :

Qui custódis pactum & misericórdiam servis tuis,* qui ámbulant coram te in toto corde suo.

Ergone putandum est * quòd verè Deus hábitet super terram ?

Si enim cœlum, & cœli cœlórum te cápere non possunt, * quantò magìs domus hæc, quam ædificávi ?

Sed réspice ad oratiónem servi tui, & ad preces ejus, Dómine Deus meus : * audi hymnum & oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie :

Ut sint óculi tui aperti super domum hanc nocte ac die : * super domum de quâ dixisti : Erit nomen meum ibi :

Ut exáudias oratiónem,* quam orat in loco isto ad te servus tuus ;

Ut exaudias deprecatiónem servi tui & pópuli tui Israel, * quodcumque oráverit in loco isto.

Et exáudies in loco habitáculi tui in cœlo,* & cum exaudiéris, propítius eris.

### II. Canticum. *Jerem.* 7.

*Non in Templo solo, sed in viis Domini confidendum.*

AUdíte verbum Dómini, omnis Juda, * qui ingredímini per portas has, ut adorétis Dóminum.

Hæc dicit Dóminus exercítuum Deus Israel : bonas fácite vias vestras, & stúdia vestra : * & habitábo vobiscum in loco isto.

Nolíte confídere in verbis mendácii, * dicentes : Templum Dómini, templum Dómini, templum Dómini est.

Quóniam si benè direxéritis vias vestras, * & stúdia vestra :

Si fecéritis judícium inter virum & próximum ejus,* ádvenæ, & pupillo, & víduæ non fecéritis calúmniam,

Nec sánguinem innocentē effudéritis in loco hoc,* & post deos aliénos non ambulavéritis in malum vobismetipsis :

Habitábo vobiscum in loco isto ; * in terrâ quam dedi pátribus vestris à século & usque in séculum.

III. Canticum. *Isai. 2.* *Ad montem Domini omnes fluent gentes. Lex de Sion exibit.*

ET erit in novissimis diébus præparátus mons domûs Dómini * in vértice móntium,

Et elevábitur super colles, * & fluent ad eum omnes gentes.

Et ibunt pópuli multi, & dicent: Veníte & ascendámus ad montem Dómini, * & ad domum Dei Jacob.

Et docébit nos vias suas,* & ambulábimus in sémitis ejus:

Quia de Sion exíbit lex,* & verbum Dómini de Jerúsalem.

*Ant.* Síleat omnis caro à fácie Dómini; quia consurrexit de habitáculo sancto suo. *Zach. 2.*

℣. Exaudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ; ℟. Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. *Ps. 27.*

Lectio IX.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios. *Cap. 3.*

EGo plantávi; Apollo rigávit: sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est áliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus. Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem própriam mercédem accípiet secundum suum labórem. Dei enim sumus adjutóres: Dei agricultúra estis, Dei ædificátio estis. Secundùm grátiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum pósui: álius autem superædíficat. Unusquisque autem vídeat quómodo superædíficet. Fundamentum enim áliud nemo potest pónere, præter id quod pósitum est quod est Christus Jesus.

℟. Ad Dóminum accedentes lápidem vivum;* Et ipsi tamquam lápides vivi superædificámini, domus spirituális, sacerdótium sanctum, offerre spirituáles hóstias acceptábiles Deo per Jesum Christum. ℣. Hic est lapis qui factus est in caput ánguli; * Et ipsi. *I. Petr. 2. Act. 4.*

Lectio X.

SI quis autem superædíficat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lápides pretiósos, ligna, fœnum, stipulam: uniuscujusque opus maniféstum erit: dies enim Dómini declarábit, quia in igne revelábitur; & uniuscujusque opus quale sit, ignis probábit. Si cujus opus mánserit quod superædificávit, mercédem accípiet. Si cujus opus árserit, detrimentum patiétur: ipse autem salvus erit; sic tamen, quasi per ignem. Nescítis quia Tem-

plum Dei estis, & Spíritus Dei hábitat in vobis? Si quis autem templum Dei violáverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

℟. Membra vestra templum sunt Spíritûs sancti qui in vobis est, quem habétis à Deo, & non estis vestrî. Empti enim estis prétio magno: * Glorificáte & portáte Deum in córpore vestro. ℣. Nolíte contamináre ánimas vestras: sancti estóte, quia ego sanctus sum. * Glorificáte. *I. Cor.* 6. *Levit.* 11.

LECTIO XI.

NEmo se sedúcat: si quis vidétur inter vos sápiens esse in hoc século, stultus fiat, ut sit sápiens. Sapiéntia enim hujus mundi, stultítia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astútiâ eórum. Et íterùm: Dóminus novit cogitatiónes sapiéntium, quóniam vanæ sunt. Nemo ítaque gloriétur in homínibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præséntia, sive futúra: ómnia enim vestra sunt; vos autem Christi, Christus autem Dei.

℟. Ponam tabernáculum meum in médio vestrî, & non abjíciet vos ánima mea: * Ambulábo inter vos, & ero Deus vester, vosque éritis pópulus meus. ℣. Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus. * Ambulábo. *Levit.* 26. *II. Cor.* 6.

LECTIO XII.

Ex Epístolâ secundâ ejusdẽ ad eosdem. *Cap.* 6.

NOlíte jugum dúcere cum infidélibus. Quæ enim participátio justítiæ cum iniquitáte? aut quæ sócietas luci ad ténebras? Quæ autẽ convéntio Christi ad Bélial? aut quæ pars fidéli cum infidéli? Qui autem consensus templo Dei cum idólis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus: Quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos, & ero illórum Deus; & ipsi erunt mihi pópulus. Própter quod exíte de médio eórum, & separámini, dicit Dóminus, & immundum ne tetigéritis: & ego recípiam vos; & ero vobis in patrem, & vos éritis mihi in filios, & filias, dicit Dóminus omnípotens.

℟. Tu, Dómine universórum, qui nullíus índiges, voluísti templum habitatiónis tuæ fieri in nobis; * Et nunc, Sancte sanctórum Dómine, † Conserva in æternum impollútam domum istam. ℣. Si quis templum Dei violáverit, disperdet illum Deus; templum enim Dei sanctum est,

quod estis vos. * Et nunc. ℣. Glória. †Conserva. *II. Mach.* 14. *I. Cor.* 3.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Matthæum.

*Cap.* 21.

CUm intrasset Jesus Hierosólymam, commóta est universa cívitas dicens: Quis est hic? Pópuli autem dicébant: Hic est Jesus Prophéta à Názareth Galilææ. Et intrávit Jesus in templum Dei, & ejiciébat omnes vendentes & ementes in templo; & mensas nummulariórum, & cáthedras vendéntium columbas evertit. Et dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus oratiónis vocábitur: vos autem fecistis illam speluncam latrónum. Et accessérunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanávit eos.

---

AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. REspice de sanctuário tuo, Dómine; & de excelso cœlórum habitáculo, & bénedic pópulo tuo. *Deut.* 26.

II. Cadat virtus eórum, Dómine, in iracúndiâ tuâ, qui promittunt se violáre sancta tua, & tabernáculum nóminis tui. *Judith* 9.

III. Ecce pono in Sion lápidem summum, angulárem, electum, pretiósum; & qui credíderit in eum, non confundétur. *I. Petr.* 2.

IV. Dóminus fundávit Sion, & in ipso sperábunt páuperes pópuli tui. *Isai.* 14.

V. Christi domus sumus nos, si fidúciam & glóriam spei usque ad finem, firmam retineámus. *Hebr.* 3.

LECTIO. *Ezech.* 37.

DAbo sanctificatiónem meam in médio filiórum Israel in perpétuum.† Et erit tabernáculum meum in eis, & ero eis Deus, * & ipsi erunt mihi pópulus.

℟. *br.* Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus: *Non commovébitur. ℟. Sanctificávit. ℣. Deus in médio ejus. * Non. ℣. Glória. ℟. Sanctificávit. *Ps.* 45.

HYMNUS. *Guieti.*

PAtris æterni Sóboles coæva,
Dum tuæ sacros pia plebs honóres
Ædis instaurat, Deus alme, nostris
Annue votis.
Hìc sacri fontis látices ab ortu
Inditi purgant máculam reátus:
Hìc & infusum nova membra Christo
Chrisma coaptat.
Hìc suâ pascit pópulos fidéles

Carne

Carne, qui mundi scelus
omne tollit
Agnus, & fusi prétium
cruóris
Ipse propínat.
Hìc salus ægris ánimis
parátur:
Hìc reos judex fácilis re-
láxat,
Atque lethálem rediviva
pellit
Grátia culpam.
Cujus in cœlo thronus
est perennis,
Incolit parvam Deus altus
ædem:
Hìc adorátor sibi quisque
sedem
Præparat astris.
Nullus hanc turbo quatit,
irruentis
Nulla vis nimbi, rapidíve
fluctus:
Cedit hanc contra furor in-
ferórum
Irritus omnis.
Laus Deo, qui nos sibi
consecrávit:
Una sit Patri, parílique
Proli:
Par sit ambórum tibi nexus,
omni,
Spíritus, ævo. Amen.

℣. Magnus Dóminus & laudábilis nimis, ℟. In civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. *Ps.* 47.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Scient gentes quia ego Dóminus sanctificátor Israel, cùm fúerit sanctificátio mea in médio eórum in perpétuum. *Ezech.* 37.

*In ipso die Dedicationis.*

Collecta. *Sacr. Greg.*

DEus, qui invisibíliter ómnia cóntines, & tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter ostendis: † Templum hoc poténtiâ tuæ inhabitatiónis illustra; * & concéde ut omnes, qui huc deprecatúri convéniunt, ex quâcumque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuæ beneficia consequantur: Per Dóminum.

*In Anniversario Dedicationis.*

Collecta. *Br. Rom.*

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti Templi tui consecratiónis réparas diem, & sacris semper mystériis repræsentas incólumes: † exaudi preces pópuli tui, & præsta, * ut quisquis hoc Templum beneficia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrasse lætétur; Per Dóminum.

## AD PRIMAM.

### Canon.

Ex Concílio Gangrensi.
*C. an.* 324. *Can.* 21.

DOmos Dei honorámus, & qui fiunt in iis conventus ut sanctos & útiles recípimus, non pietátem in dómibus includentes, sed omnem locum in Dei nómine ædificátum honorantes, & quæ fit in

ipsâ Ecclésiâ, congressiónem ad públici utilitátem recípimus; & ut semel dicámus, quæ à divínis Scriptúris, & Apostólicis Traditiónibus trádita sunt, in Ecclésiâ fieri optámus.

## AD TERTIAM.

LECTIO. *Sophon.* 1.

VIsitábo super omnem qui arroganter ingréditur super limen in die illâ; † qui complent domum Dómini Dei sui * iniquitáte & dolo.

℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, Dómine, ℟. In timóre tuo. *Ps.* 5.

## AD SEXTAM.

LECTIO. *I. Petr.* 2.

AD Christum accedentes lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, à Deo autem electum & honorificátum; † & ipsi tamquàm lápides vivi superædificámini, domus spirituális, sacerdótium sanctum, * offerre spirituáles hóstias, acceptábiles Deo per Jesum Christum.

℣. In multitúdine misericórdiæ tuæ, Dómine, ℟. Introíbo in domum tuam. *Ps.* 5.

## AD NONAM.

LECTIO. *I. Cor.* 3.

NEscítis quia templum Dei estis, & spíritus Dei hábitat in vobis? † Si quis autem templum Dei violáverit disperdet illum Deus. * Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

℣. Domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, ℟. In longitúdinem diérum. *Ps.* 92.

---

## AD II. VESPERAS.

*PSALMI ET ANT.*

I. *Ps.* 109. Dixit Dóminus. *pag.* 28.

*Ant.* Quàm pulchra tabernácula tua, Jacob, & tentória tua, Israel! *Num.* 24.

II. *Ps.* 121. Lætátus sum. *pag.* 75.

*Ant.* Vocábunt Jerúsalem Sólium Dómini, & congregabuntur omnes gentes in nómine Dómini in Jerúsalem. *Jerem.* 3.

III. *Ps.* 131. Meménto, Dómine, David. *pag.* 160.

*Ant.* Addúcam eos in montem sanctum meum, & lætificábo eos in domo oratiónis meæ. *Isai.* 56.

IV. *Ps.* 147. Lauda Jerúsalem, Dóminum. *pag.* 110.

*Ant.* Dóminus in templo sancto suo: síleat à facie ejus omnis terra. *Habacuc.* 2.

LECTIO. *Ephes.* 5.

CHristus diléxit Ecclésiam, & seipsum trádidit pro eâ, ut illam sanctificáret, mundans lavácro aquæ in verbo vitæ, † ut exhibéret ipse sibi glorió-

ſiam Ecclésiam, non habentem máculam, aut rugam, aut áliquid hujúſmodi: * ſed ut ſit ſancta & immaculáta.

℟. *br.* Fundamenta ejus * In móntibus ſanctis. ℟. Fundamenta. ℣. Ipſe fundávit eam Altiſſimus. * In. ℣. Glória. ℟. Fundamenta. *Pſ.* 86.

HYMNUS. *B.*

Ecce ſedes hìc Tonantis,
Ecce cœli jánua:
Hìc ſacerdos, ara, templum,
Hìc Deus fit hóſtia:
Incruentâ morte, jugis
Hìc amor litat Deum.

Qualis ara, quanta ſedes
Ipſius capax Dei!
Quem nec univerſa terra,
Omne nec cœlum capit,
Orbe parvo ſe coarctans
Hìc latére ſuſtinet.

Quàm libenter hìc pudícis
Inſerit ſe córdibus!
Hìc amantis tota Chriſti
Exerit ſe cáritas:
Hìc pater caros ſedére
Geſtit inter filios.

Hìnc faceſſe quem profána
Inficit contágio,
Nec ſacrum transíre limen
Inquinátus áudeas:
Ultor aſtat cum flagellis
Púniens ſontes Deus.

Sit perennis laus Parenti,
Sit perennis Filio:
Laus tibi, qui nectis ambos
Sit perennis, Spíritus
Chriſma cujus nos inungens,
Viva Templa cónſecrat.
Amen.

℣. Glorióſa dicta ſunt de te, cívitas Dei. ℟. Sicut lætántium ómnium habitátio eſt in te. *Pſ.* 86.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Greſſus rectos fácite pédibus veſtris; acceſſiſtis enim ad civitátem Dei viventis Jerúſalem cœleſtem: ítaque regnum immóbile ſuſcipientes, ſerviámus Deo cum metu & reveréntiâ. *Hebr.* 12.

---

DIEBUS

*INTRA OCTAVAM.*

AD OFFICIUM NOCT.

*Ant. Ad* Veníte. *& Hymnus ut in Die. p.* lxxxviij.

*IN I. NOCTURNO.*

*Antiphonæ & ℣. ut in Pſalterio. Duæ primæ Lectiones de Scripturâ occurrente cum Reſponſoriis ſuis; tertia Lectio cum ſuo Reſponſorio, ut habetur infrà pro unâquâque die.*

*IN II. NOCTURNO.*

LECTIO. *Hebr.* 9.

Moyſes tabernáculum & ómnia vaſa miniſtérii ſánguine aſperſit, & ómnia pene in ſánguine ſecundùm legem mundantur: & ſine ſánguinis effuſióne non fit remiſſio. Neceſſe eſt ergo exemplária quidem

cœléstium his mundári; ipsa autem cœléstia melióribus hóstiis quàm istis.

℣. In sancto appárui tibi, Dómine, ℟. Ut vidérem virtútem tuam & glóriam tuam. *Ps.* 62.

*Collecta singulis diebus propria.*

*Ad reliquas Horas, omnia ut in Die, præter Psalmos vesperales qui dicuntur de Feriâ. Antiphonæ ad* Benedictus, *&* Magníficat. *sicut & Collecta singulis diebus propria.*

---

DIE II.

*INTRA OCTAVAM.*

LECTIO III.

Ex Sermóne sancti Basílii Epíscopi in Psalmum vigésimum octávum. *Edit. Bened. n.* 7.

IN templo adstant sancti Angeli: adest Dóminus, qui ánimum ingrediéntium intuétur. Preces uniuscujusque manifestæ Deo sunt, quis ex affectu, quis scitè exquírat cœléstia, quis perfunctóriè & extrémis labris verba pronúnciet, cor verò ipsíus procul à Deo sit. Creatúra omnis tùm silens, tùm cœlestis, tùm terréna dat glóriam conditóri. Miserábiles verò hómines, postquàm, ædibus suis relictis, ad templum concurrérunt, quasi quidpiam consecutúri emolumenti, tamen Dei verbis aures non præbent: suam ipsórum natúram non séntiunt: præoccupári peccáto, non affliguntur: non mœrent dum reminiscuntur peccatórum: non timent judícium; sed adridentes, & inter se jungentes déxteras, precatiónis domum in locum immódicæ loquacitátis vertunt.

℟. Veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu & veritáte; * Nam & † Pater tales quærit qui adórent eum. ℣. Spíritus est Deus; & eos qui adórant eum, in spíritu & veritáte oportet adoráre: * Nam. ℣. Glória. † Pater. *Joan.* 4.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Trádite manus Dómino, & veníte ad Sanctuárium ejus, quod sanctificávit in ætérnum. *II. Paral.* 3.

COLLECTA. *Sacr. Ambr.*

DEus, qui loca nómini tuo dicáta sanctíficas; † effunde super hanc oratiónis domum grátiam tuam; * ut ab ómnibus hìc invocántibus te, auxílium tuæ misericórdiæ sentiátur; Per Dóminum.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Stábimus coram domo hâc in conspectu tuo, in quâ invocátum est nomen tuum: & clamábimus ad te in tribulatiónibus nostris, & exáudies, Dómine. *II. Paral.* 20.

## DIE III.
## INTRA OCTAVAM.
### LECTIO III.

Ex Libro secundo sancti Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei. *Edit. Ben. Cap.* 28.

POpuli confluunt ad Ecclésias castâ celebritáte, honestâ utriusque sexûs distinctióne: ubi áudiant quàm benè hìc ad tempus vívere débeant, ut post hanc vitam beátè semperque vívere mereántur: ubi sanctâ Scriptúrâ, justitiæque doctrínâ de superióre loco in conspectu ómnium personante, & qui fáciunt, áudiant ad præmium: & qui non fáciunt, áudiant ad judícium. Quò etsi véniunt quidam tálium præceptórum irrisóres, omnis eórum petulántia aut repentínâ immutatióne depónitur, aut timóre vel pudóre comprímitur. Nihil enim eis turpe ac flagitiósum spectandum imitandumque propónitur, ubi veri Dei aut præcepta insinuantur, aut miràcula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulántur.

℟. Qui habet in cœlis habitatiónem visitátor & adjútor est loci illíus, * Et † Venientes ad malè faciendum pércutit ac perdit. ℣. Verè Dóminus est in loco isto. * Et venientes. ℣. Glória. † Venientes. *II. Machab.* 3. *Genes.* 28.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Ponam fáciem meam contra illum qui contamináverit Sanctuárium meum, ac pollúerit nomen sanctum meum. *Levit.* 20.

COLLECTA. *Sacr. Ambr.*

ADesto invocatiónibus nostris, omnípotens Deus, & hujus domûs; cujus es fundátor, esto protector: † nulla hìc nequítia contráriæ potestátis obsístat; * sed virtúte sancti Spíritûs operante, fiat hìc tibi semper purum servítium & devóta libertas: Per Dóminum.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Domus tua, Dómine, in sanctificatióne tuâ permáneat: & omnes gentes agnoscant quia tu es Deus, & non est álius præter te. *Judith*, 9.

## DIE IV.
## INTRA OCTAVAM.
### LECTIO III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de Unitáte Ecclésiæ. *Edit. Baluz.*

LOquitur Dóminus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, & portæ inferórum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cœlórum, & quæ ligáveris super terram, erūt

ligáta & in cœlis. Et iterùm eidem post resurrectiónem suam dixit: Pasce oves meas. Super illum unum ædíficat Ecclésiam suam, & illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apóstolis ómnibus post resurrectiónem suam parem potestátem tríbuat, tamen ut unitátem manifestáret, unitátis ejusdem oríginem ab uno incipientem suâ autoritáte dispósuit. Hoc erant útique & cæteri Apóstoli, quod fuit Petrus, pari consórtio præditi & honóris & potestátis, sed exórdium ab unitáte proficíscitur, & primátus Petro datur, ut una Christi Ecclésia, & cáthedra una monstrétur.

℞. Dixit Jesus Simóni: Dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, * Et portæ ínferi non prævalébunt adversùs eam. ℣. Deus fundávit eam in ætérnum; * Et portæ. ℣. Glória. * Et portæ. *Matth.* 16. *Ps.* 47.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Properábunt gentes multæ, & dicent: Veníte, ascendámus ad montem Dómini, & ad domum Dei Jacob, & docébit nos de viis suis. *Mich.* 4.

Collecta. *Sacr. Ambr.*

DEus, qui Ecclésiam tuam sponsam vocáre dignátus es, ut quæ habet grátiam per fidei devotiónem, habéret étiam ex nómine pietátem; † da, ut omnis plebs nómini tuo sérviens, * hujus vocábuli consórtio digna esse mereátur; Per Dóminum.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Domus Dei est Ecclésia Dei vivi, columna & firmamentum veritátis. *I. Tim.* 3.

---

## DIE V.

## *INTRA OCTAVAM.*

### Lectio III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris de Unitáte Ecclésiæ. *Edit. Baluz.*

ET pastóres sunt omnes, & grex unus osténditur, qui ab Apóstolis ómnibus unánimi consensióne pascátur, ut Ecclésia Christi una monstrétur. Quam unitátem firmiter tenére & vindicáre debémus, máximè Epíscopi, qui in Ecclésiâ præsidémus, ut Episcopátum quoque ipsum, unum atque indivísum probémus. Nemo fraternitátem mendácio fallat; nemo fidei veritátem pérfidâ prævaricatióne corrumpat. Episcopátus unus est, cujus à síngulis in sólidum pars tenétur. Ecclésia quoque una est, quæ in multitúdinem látiùs increménto fœcunditátis exténditur. Quómodo solis

multi rádii, sed lumen unum: & rami árboris multi, sed robur unum tenáci radíce fundátum; sic & Ecclésia Dómini luce perfúsa per orbem totum rádios suos pórrigit. Unum tamen lumen est, quod ubíque diffúnditur, nec únitas córporis separátur.

℟. Cívitas Dei luce spléndidâ fulgébis: & omnes fines terræ adorábunt te. Natiónes ex longinquo ad te vénient: * Et múnera deferentes, adorábunt in te Dóminum. ℣. Vénient ab Oriente & Occidente & Aquilóne & Austro. * Et múnera. ℣. Glória. * Et. *Rom.* 13. *Luc.* 13.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Jerúsalem, aperientur portæ tuæ júgiter: die ac nocte non claudentur, ut afferátur ad te fortitúdo géntium. *Isai.* 60.

Collecta. *Sacr. Greg.*

DOmum tuam, quæsumus, Dómine, cleménter ingrédere, † & in tuórum tibi córdibus fidélium perpétuam constítue mansiónem, * ut cujus ædificatióne subsístit, hujus fiat habitatióne præclára; Per Dóminum.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Nominábitur tibi Jerúsalem, nomen tuum à Deo in sempiternum: Pax justítiæ, & honor pietátis. *Baruch*, 5.

---

## DIE VI.
## *INTRA OCTAVAM.*

### Lectio III.

Ex Libro sancti Cypriáni Epíscopi & Martyris de Unitáte Ecclésiæ. *Edit. Baluz.*

ADulterári non potest sponsa Christi, incorrupta est & pudíca. Hæc nos Deo servat, hæc fílios regno, quos generávit, assignat. Quisquis ab Ecclésiâ segregátus adúlteræ júngitur, à promissis Ecclésiæ separátur. Nec pervéniet ad Christi præmia qui relinquit Ecclésiam Christi. Aliénus est, profánus est, hostis est. Habére jam non potest Deum patrem, qui Ecclésiam non habet matrem. Si pótuit evádere quisquam, qui extra Ecclésiam fóris fúerit, evádit. Qui álibi præter Ecclésiam cólligit, Christi Ecclésiam spargit. Dicit Dóminus: Ego & Pater unum sumus. Et íterùm de Patre, & Fílio, & Spíritu sancto scriptum est: Et hi tres unum sunt. Et quisquam credit hanc unitátem de divínâ firmitáte veniéntem, sacramentis cœléstibus cohæréntem, scindi in Ecclésiâ posse, & voluntátum collidéntium divórtio separári? Hanc unitátem qui non tenet, Dei legem non

tenet, non tenet Patris & Filii fidem, vitam non tenet & salútem.

℟. Sollíciti sitis serváre unitátem Spiritûs in vínculo pacis; unum corpus, & unus spíritus in unâ spe vocatiónis vestræ: * Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. ℣. Fundamentum áliud nemo potest pónere præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus. * Unus. ℣. Glória. * Unus. *Ephes.* 4. *I. Cor.* 3.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Beáti qui díligunt te, Cívitas Dei, & qui gaudent super pace tuâ. *Tob.* 13.

COLLECTA. *Psalt. Thomas.*

DOna, Dómine, virtútem pópulo tuo, † & éffice nos templum Spíritûs sancti; * ut tibi de corde puro, holocaustum acceptábile semper offerámus; Per Dóminum.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Adorábunt vestígia pedum tuórum, qui detrahébant tibi, & vocábunt te civitátem Dómini, Sion Sancti Israel. *Isai.* 60.

---

DIE VII.
*INTRA OCTAVAM.*
LECTIO III.

Ex Libro sancti Augustíni Epíscopi adversùs Epístolam Manichæi. *Edit. Bened. Cap.* 4.

MUlta sunt quæ in Ecclésiæ grémio me justíssimè téneant. Tenet consénsio populórum atque géntium: tenet autóritas miráculis inchoáta, spe nutríta, caritáte aucta, vetustáte firmáta: tenet ab ipsâ sede Petri Apóstoli, cui pascendas oves suas post resurrectiónem Dóminus commendávit usque ad præsentem Episcopátum succéssio Sacerdótum: tenet postrémò ipsum Cathólicæ nomen, quod non sine causâ inter tam multas hæreses sic ista Ecclésia sola obtínuit, ut cùm omnes hærétici se Cathólicos dici velint, quærenti tamen peregríno alicúi, ubi ad Cathólicam conveniátur, nullus hæreticórum vel basílicam suam vel domum áudeat osténdere. Ista ergo tot & tanta nóminis Christiáni caríssima víncula rectè hóminem tenent credentem in Cathólicâ Ecclésia, etiamsi propter nostræ intelligéntiæ tarditátem vel vitæ méritum véritas nondum se apertíssimè ostendat.

℟. Réspice Sion civitátem solemnitátis nostræ: óculi tui vidébunt Jerúsalem habitatiónem opulentam, tabernáculum quod nequáquam transferri póterit: * Quia solúmmodò ibi magníficus est Dóminus. ℣. Non auferentur clavi ejus in sempiternum, & omnes funículi ejus non rumpentur. * Quia. ℣. Glória. * Quia. *Isai.* 33.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Ecce ego vobiscum sum ómnibus diébus usque ad consummatiónem séculi. *Matth.* 28.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui te in rectis ac sincéris manére pectóribus adseris; † da nobis, quæsumus, tuâ grátiâ tales exsístere, * in quibus semper habitáre dignéris; Per Dóminum.

---

# OCTAVA DEDICATIONIS.

*Solemnitas III. Classis.*

---

## AD I. VESPERAS.

*Antiphonæ.*

I. ECce ego creo cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memóriâ prióra. *Isai.* 65.

II. Gaudébitis & exsultábitis usque in sempitérnum in his quæ ego creo; quia ecce ego creo Jerúsalem exsultatiónem & pópulum ejus gáudium. *Ibid.*

III. Exsultábo in Jerúsalem, & gaudébo in pópulo meo; & non audiétur in eo ultrà vox fletûs & vox clamóris. *Ibid.*

IV. Gáudium & lætítia inveniétur in Sion, gratiárum áctio, & vox laudis. *Isai.* 51.

Lectio. *Apoc.* 21.

VIdi cœlum novum, & terram novam: primum enim cœlum, & prima terra ábiit, & mare jam non est: † Et ego Joannes vidi sanctam civitátem, Jerúsalem novam, descendentem de cœlo à Deo, * parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

℟. *br.* Gloriósa dicta sunt de te, * Civitas Dei. ℟. Gloriósa. ℣. Sicut lætántium, ómnium habitátio est in te, * Cívitas. ℣. Glória. ℟. Gloriósa. *Ps.* 86.

*Hymnus*, Urbs Jerúsalem. *ut ad primas Vesperas Festi, pag.* lxxxvij.

℣. Dóminus in templo sancto suo: ℟. Dóminus in cœlo sedes ejus. *Ps.* 10.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Novos cœlos, & novam terram, secundùm promissa Dómini exspectámus in quibus justítia hábitat. *II. Petr.* 3.

*Collecta ut infrà ad Laudes.*

---

## AD OFFICIUM NOCT.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Christum Jesum, qui diléxit Ecclésiam, & se ipsum trádidit pro eâ; * Veníte, adorémus. *Ephes.* 5.

*Hymnus*, Anguláris fundaméntum: *ut in Die, pag.* lxxxviij.

## IN I. NOCTURNO.

*Ant.* I. Venérunt structóres tui, Sion; destruentes te, & dissipantes, à te exibunt. *Is.* 49.

II. Ecce in mánibus meis descripsi te: muri tui co-

ram óculis meis semper. *Ib.*

III. Ego Sternam per órdinem lápides tuos, & fundábo te in Sápphiris. *Is.* 54.

IV. Ponam jáspidem propugnácula tua, & portas tuas in lápides sculptos, & omnes términos tuos in lápides desiderábiles. *Is.* 54.

V. In justítiâ tuâ fundáberis; calúmnia & pavor non appropinquábit tibi. *Is.* 49.

VI. Montes commovebuntur & colles contremiscent; misericórdia autem mea non recédet à te. *Is.* 54.

℣. Benignè fac, Dómine, in bonâ voluntáte tuâ, Sion. ℟. Ut ædificentur muri Jerúsalem. *Ps.* 50.

*Lectiones cum Responsoriis suis de Scripturâ occurrente.*

## IN II. NOCTURNO.

*Ant.* I. Consurge, Sion, induére vestimentis glóriæ tuæ Jerúsalem, cívitas Sancti. *Is.* 52.

II. Abstulit Dóminus judícium tuum; avertit inimícos tuos; Rex Israel in médio tuî; non timébis malum ultrà. *Soph.* 3.

III. Vide collectos filios tuos ab oriente sole usque ad occidentem, in verbo Sancti gaudentes Dei memóriâ. *Baruch.* 5.

IV. Addúcet illos Dóminus ad te portátos in honóre sicut filios regni. *Baruch.* 5.

V. Addúcam eos in montem sanctum meum, & lætificábo eos in domo oratiónis meæ. *Is.* 55.

VI. Vocábunt eos pópulus sanctus, redempti à Dómino; tu autem vocáberis: quæsita cívitas, & non derelicta. *Is.* 62.

℣. Quis sápiens & custódiet hæc? ℟. Et intélliget misericórdias Dómini. *Ps.* 106.

### LECTIO V.

Ex enarratióne sancti Augustíni Epíscopi in Psalmum octogésimum sextum. *Edit. Bened. n.* 1.

CIvitas quædam in isto Psalmo cantáta & commendáta est, cujus cives sumus, in quantum Christiáni sumus; & unde peregrinámur, quámdiù mortáles sumus; & ad quam téndimus, per cujus viam, quæ omníno quasi dumétis & séntibus interclúsa non inveniebátur, Rex ipsíus civitátis se fecit viam, ut ad civitátem perveniremus. Ambulantes ergo in Christo, & adhuc peregrinantes donec perveniámus, & suspirantes desidério cujusdam ineffábilis quiétis, quæ hábitat in illâ civitáte, de quâ quiéte dictum est hoc nobis esse promissum, quod óculus non vidit; nec auris audívit, nec in cor hóminis ascendit: ambulantes ergo, sic cantémus, ut desiderémus. Nam qui deside-

tat, etsi lingua táceat, cantat corde: qui autem non desíderat, quólibet clamóre aures hóminum fériat, mutus est Deo.

℟. Pópulus tuus omnes justi in perpétuum hæreditábunt terram, * Germen plantatiónis meæ, opus manûs meæ ad glorificandum. ℣. Vocábunt eos pópulus sanctus, redempti à Dómino; * Germen. *Is.* 60 & 62.

LECTIO VI. *n.* 9.

TAmquàm jocundatórum ómnium habitátio in te. In peregrinatióne istâ contérimur: habitátio nostra, jocúnditas sola erit. Períbit labor & gémitus, tránseunt oratiónes, succédunt laudatiónes. Ibi ergo habitátio jocundatórũ, non erit gémitus desiderántium, sed lætítia perfruéntium. Aderit enim cui modò suspirámus: símiles ei érimus, quóniam vidébimus eum, sicuti est. Ibi totum negótium nostrum, non erit nisi laudáre Deum, & frui Deo. Et quid áliud quærémus, ubi solus sufficit, per quem facta sunt ómnia? Habitábimur & habitábimus: subjicientur illi ómnia, ut sit Deus ómnia in ómnibus.

℟. Inebriabuntur ab ubertáte domûs tuæ, Dómine; & torrente voluptátis tuæ potábis eos; * Quóniam apud te est fons vitæ, & in lúmine tuo vidébimus lumen. ℣. Replébimur in bonis domûs tuæ. * Quóniam. *Ps.* 35 & 64.

LECTIO VII.

BEáti ergo qui hábitant in domo tuâ. Unde beáti? In sécula seculórum laudábunt te. Hoc uno beáti otióso negótio. Hoc ergo unum desiderémus, fratres, cùm venérimus ad hoc; nos parémus gaudére ad Deum, laudáre Deum. Opera bona quæ modò nos perdúcunt, non ibi erunt. Non ibi erunt ópera misericórdiæ, ubi nulla erit miséria. Egentem non invénies, nudum non invénies; nemo tibi occurret sítiens, nullus peregrínus erit, nullus ægrótus quem vísites, nullus mórtuus quem sepélias, nullus litigatórum inter quos pacem compónas. Magna ibi quies. Nam ibi ómnia ópera quæ necéssitas flágitat, subtrahentur; mórtuâ necessitáte, períbunt ópera necessitátis.

℟. Non esúrient, neque sítient, & non percútiet eos æstus & sol: quia miserator eórum reget eos, * Et ad fontes aquárum potábit eos. ℣. Sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus; & qui sedet in throno, habitábit super illos; * Et ad fontes. *Isai.* 49. *Apoc.* 7.

LECTIO VIII.

Ex Sermóne ducentésimo quinquagésimo quarto ejuſdem. *In diebus Paſchal.* 25. *Edit. Bened. n.* 8.

LAudémus ergo Dóminum, cariſſimi, laudémus Deum, dicámus allelúia. Feſtinémus ad domum ætérnam. Ventúri ſumus ad domum Dei, quæ eſt in cœlis. Ibi non quinquaginta diébus Deum laudábimus; ſed quemádmodùm ſcriptū eſt, in ſécula ſeculórum. Vidébimus, amábimus, laudábimus. Nec quod vidébimus deficiet, nec quod amábimus peribit, nec quod laudábimus tacébit: ſempiternum totum erit, ſine fine erit. Laudémus, laudémus; ſed non ſolis vócibus, laudémus & móribus: laudet lingua, laudet vita: ſed hábeat caritátem infinitam.

℟. Beáti qui hábitant in in domo tuâ, Dómine, * In ſécula ſeculórum laudábunt te: ℣. Applicabuntur gentes multæ ad Dóminum in die illâ, & erunt mihi in pópulum. * In ſécula. ℣. Glória. * In ſécula. *Pſ.* 83. *Zach.* 2.

## IN III. NOCTURNO.

I. CANTICUM. *Tob.* 13.

*De reſtitutione, & magnâ felicitate futurâ Jeruſalem prophetia.*

BEnedícite Dóminum, omnes elécti ejus; * ágite dies lætítiæ, & confitémini illi.

Jerúſalem cívitas Dei, * caſtigávit te Dóminus in opéribus mánuum tuárum.

Confitére Dómino in bonis tuis, & benedic Deū ſeculórum, * ut reædíficet in te tabernáculum ſuum,

Et révocet ad te omnes captívos, * & gáudeas in ómnia ſécula ſeculórum.

Luce ſplendidâ fulgébis: * & omnes fines terræ adorábunt te.

II. CANTICUM. *Ibid.*

NAtiónes ex longinquo ad te vénient: & múnera deferentes, adorábunt in te Dóminum, * & terram tuam in ſanctificatiónem habébunt,

Nomen enim magnum * invocábunt in te.

Maledícti erunt qui contémpſerint te; & condemnáti erunt omnes qui blaſphemáverint te; * benedictíque erunt qui ædificáverint te.

Tu autem lætáberis in filiis tuis; * quóniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dóminum.

Beáti omnes qui díligunt te, * & qui gaudent ſuper pace tuâ.

III. CANTICUM. *Ibid.*

ANima mea, bénedic Dóminum, quóniam liberávit Jerúſalem civitátem ſuam à cunctis tribulatiónibus ejus, * Dóminus Deus noſter.

Beátus ero, si fúerint relíquiæ séminis mei * ad vidéndam claritátem Jerúsalem.

Portæ Jerúsalem ex sápphiro & smaragdo ædificabuntur : * & ex lápide pretióso omnis circúitus murórum ejus.

Ex lápide cándido & mundo omnes platéæ ejus sternentur : * & per vicos ejus allelúia cantábitur.

Benedictus Dóminus qui exaltávit eam, * & sit regnum ejus in sǽcula sæculórum super eam. Amen.

*Ant.* Vénient & laudábunt in monte Sion; & pópulus meus bonis meis adimplébitur. *Jerem.* 31.

℣. Lauda, Jerúsalem, Dóminum; ℟. Lauda Deū tuum, Sion. *Ps.* 147.

LECTIO IX.

Ex Libro Apocalypsis beáti Joannis Apóstoli.

*Cap.* 21.

EGo Joannes vidi sanctā civitátem Jerúsalem novam descendentem de cœlo à Deo, parátam, sicut sponsam ornátam viro suo. Et audívi vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erūt, & ipse Deus cum eis erit eórum Deus. Et abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum ; & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno : Ecce nova fácio ómnia.

℟. Præcipitábit Dóminus mortem in sempitérnum, & áuferet Dóminus Deus lácrymam ab omni fácie, * Et oppróbrium pópuli sui áuferet de universâ terrâ : quia Dóminus locútus est. ℣. Oblivióni tráditæ sunt angustiæ prióres ; non audiétur ultrà vox fletûs & vox clamôris. * Et oppróbrium. *Is.* 25 & 65.

LECTIO X.

VEnit unus de septem Angelis habéntibus phíalas plenas septem plagis novíssimis, & locútus est mecum, dicens : Veni & osténdam tibi sponsam, uxórem Agni. Et sústulit me in spíritu in montem magnum & altum, & osténdit mihi civitátem sanctam Jerúsalem descendentem de cœlo à Deo, habentem claritátem Dei ; & lumen ejus símile lápidi pretióso tamquàm lápidi jáspidis, sicut crystallum. Et habébat murum magnum & altum ; habentem portas duódecim ; & in portis Angelos duódecim, & nómina inscripta, quæ sunt nómina duódecim tribuum filiórum Israel. Ab Oriente portæ tres, & ab Austro portæ

tres, & ab Occásu portæ tres.

℟. Non audiétur ultrà iniquitas in terrâ tuâ, vástitas & contrítio in términis tuis; * Et occupábit salus muros tuos, & portas tuas laudátio. ℣. Ponam universos filios tuos doctos à Dómino; & multitúdinem pacis filiis tuis, * Et occupábit. *Isai.* 60 & 54.

LECTIO XI.

ET templum non vidi in eâ: Dóminus enim Deus omnipotens templum illíus est, & Agnus. Et cívitas non eget sole, neque lunâ, ut lúceant in eâ: nam cláritas Dei illuminávit eam; & lucerna ejus est Agnus. Et ambulábunt gentes in lúmine ejus; & Reges terræ ásserent glóriam suam & honórem in illam. Et portæ ejus non claudentur per diem: nox enim non erit illic. Et ásserent glóriam & honórem géntium in illam. Non intrábit in eam áliquod coinquinátum, aut abominatiónem fáciens & mendácium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

℟. Non erit tibi ámplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminábit te: * Sed erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam, & Deus tuus in glóriam tuam. ℣. Non óccidet ultrà sol tuus, & luna tua non minuétur; * Sed erit. *Isai.* 60.

LECTIO XII. *Cap.* 22.

ET ostendit mihi flúvium aquæ vitæ, spléndidum tamquàm crystallum, procedentem de sede Dei & Agni. In médio platéæ ejus, & ex utráque parte flúminis lignum vitæ, ásserens fructus duódecim, per menses síngulos reddens fructum suum, & fólia ligni ad sanitátem géntium. Et omne maledictum non erit ámplius: sed sedes Dei, & Agni in illâ erunt, & servi ejus sérvient illi. Et vidébunt fáciem ejus; & nomen ejus in fróntibus eórum. Et nox ultrà non erit; & non egébunt lúmine lucernæ, neque lúmine solis, quóniam Dóminus Deus illuminábit illos, & regnábunt in sécula seculórum.

℟. A século non audiérunt, neque áuribus percepérunt; * Oculus non vidit absque te, quæ præparasti exspectántibus te. ℣. Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abscondisti timéntibus te. * Oculus. ℣. Glória. * Oculus. *Is.* 64. *Ps.* 30.

EVANGELIUM.

Sequéntia sancti Evangélii secundùm Joannem.

*Cap.* 10.

FActa sunt Encænia Hierosólymis, & hyems erat; & ambulábat Jesus in templo, in pórticu Salomónis. Circumdedérunt ergo eum Judæi, & dicébant

ei : Quousque ánimam nostram tollis ? Si tu es Christus, dic nobis palàm. Respondit eis Jesus : Loquor vobis, & non créditis. Opera quæ ego fácio in nómine Patris mei, hæc testimónium pérhibent de me : sed vos non créditis, quia non estis ex óvibus meis. Oves meæ vocem meam áudiunt : & ego cognosco eas, & sequuntur me : & ego vitam æternam do eis : & non períbunt in æternum, & non rápiet eas quisquam de manu meâ.

---

AD LAUDES.

*ANTIPHONÆ.*

I. LAuda, filia Sion ; júbila, Israel ; lætáre & exsulta in omni corde, filia Jerúsalem. *Soph.* 3.

II. Addúcet Deus Israel cum jucunditáte in lúmine majestátis suæ cum misericórdiâ & justítiâ quæ est ex ipso. *Baruch.* 5.

III. Dicent, cùm convértero captivitátem eórum : Benedícat tibi Dóminus pulchritúdo justítiæ, mons sanctus. *Jerem.* 31.

IV. Sedenti in throno & Agno benedíctio, & honor, & glória, & potestas in sécula seculórum. *Apoc.* 5.

V. Qui dealbavérunt stolas suas in sánguine Agni, sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus. *Apoc.* 7.

LECTIO. *Apoc.* 19.

VOx de throno exívit dicens : † Laudem dícite Deo nostro omnes servi ejus, & qui timétis eum, pusilli & magni. * Et audívi quasi vocem turbæ magnæ & sicut vocem tonitruórum magnórum dicéntium : Allelúia ; quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens.

℟. *br.* Beáti qui hábitant * In domo tuâ, Dómine, ℟. Beáti. ℣. In sécula seculórum laudábunt te. * In domo. ℣. Glória. ℟. Beáti. *Ps.* 83.

*Hymnus*, Patris æterni. *ut in Festo. pag.* xcvj.

℣. Vox exsultatiónis & salútis ℟. In tabernáculis justórum. *Ps.* 117.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Benedictus es, Dómine Deus patrum nostrórum, in templo sancto glóriæ tuæ, & benedictus in throno regni tui, & superlaudábilis & superexaltátus in sécula. *Dan.* 3.

COLLECTA. *Br. Clun.*

DEus, qui nobis æterna supernæ Jerúsalem gáudia, per temporálem hujus sancti templi tui solemnitátem adumbráre voluisti ; † fac nos, quæsumus, ita dilígere decórem domûs tuæ, * ut & ipsi templum grátiæ tuæ in terris, & locus habitatiónis glóriæ tuæ fieri mereámur in cœlis ; Per Dóminum.

AD PRIMAM.

CANON.

Ex Concílio Coloniensi primo. *An.* 1536. *Part.* 9. *Cap.* 13.

SIgnat Templi Dedicátio, tam fidélis ánimæ, quàm Ecclésiæ cum Christo desponsatiónem. Ipsa enim Ecclésia Cathólica, ex multis vivis lapídibus adunáta, verum Dei templum est. Quamóbrem, nisi ómnia quæ in hujuscémodi consecratióne extériùs aguntur, in nobis spirituáliter impleantur, parum hinc fructûs nobis accésserit.

AD TERTIAM.

LECTIO. *Isai.* 51.

VEnient in Sion laudantes; & lætítia sempiterna super cápita eórum; † gáudium & lætítiam tenébunt, * fúgiet dolor & gémitus.

℣. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: ℟. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus. *Ps.* 45.

AD SEXTAM.

LECTIO. *Sophon.* 3.

IN die illâ dicétur Jerúsalem: Noli timére, Sion, non dissolvátur manus tuæ. Dóminus ipse salvábit; † Gaudébit super te in lætítiâ, silébit in dilectióne suâ, * exsultábit super te in laude.

℣. Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem, ℟. Et abundántia diligéntibus te. *Ps.* 121.

AD NONAM.

LECTIO. *Apoc.* 3.

QUi vícerit, fáciam illum colúmnam in templo Dei mei, & foràs non egrediétur ámpliùs: † & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitátis Dei mei, novæ Jerúsalem, * quæ descendit de cœlo à Deo meo.

℣. Semen servórum Dómini possidébit eam, ℟. Et qui díligunt nomen ejus habitábunt in eâ. *Ps.* 68.

---

AD II. VESPERAS.

*PSALMI ET ANT.*

I. *Psalm.* 109. Dixit Dóminus. *pag.* 28.

*Ant.* Illa quæ sursum est Jerúsalem líbera est, quæ est mater nostra. *Galat.* 4.

II. *Ps.* 121. Lætátus sum. *pag.* 75.

*Ant.* Non habémus hic manentem civitátem, sed futúram inquírimus. *Hebr.* 13.

III. *Ps.* 136. Super flúmina Babylónis. *pag.* 97.

*Ant.* Dum sumus in córpore, peregrinámur à Dómino; per fidem enim ambulámus, & non per spéciem. *II. Cor.* 5.

IV. *Ps.* 147. Lauda, Jerúsalem, Dóminum. *pag.* 120.

*Ant.* Audémus, & bonam voluntátem habémus magis peregrinári à córpore, & præséntes esse ad Dóminum. *II. Cor.* 5.

LECTIO. *II. Cor.* 5.

SCimus quóniam si terrestris domûs nostra hujus habitatiónis dissolvátur, † quòd ædificatiónem ex Deo habémus, * domum non manufactam, ætemam in cœlis.

℟. *br.* Concupíscit & déficit ánima mea * In átria Dómini. ℟. Concupíscit. ℣. Quando véniam & apparébo ante fáciem Dei * In átria. ℣. Glória. ℟. Concupíscit. *Ps.* 83 & 41.

*Hymnus*, Urbs Jerúsalem. *ut ad I. Vesp. Festi pag.* lxxxvij.

℣. Heu mihi quia incolátus meus prolongátus est: ℟. Habitávi cum habitántibus Cedar. *Ps.* 119.

*Ad* Magníficat. *Ant.* In hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes; si tamen vestíti, non nudi inveniámur. *II. Cor.* 5.

---

# OFFICIUM VOTIVUM

## BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

AD OFFICIUM NOCT.

Ave, María, &c. *secretò.*

℣. Deus, in adjutórium meum intende, ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. ℣. Glória, &c. Allelúia.

*In Ps.* Veníte. *Ant.* Jesum de Maríâ natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1.

HYMNUS. *S. V.*

QUis ore digno te canat,
Virgo Dei puérpera?
Adeste, puri Spíritus,
Vestri sit illud múneris.

Quis intret augustíssima
Mentis tuæ sacrária?
Dotes quis enarrans tuas,
Pertérritus non hæreat?

Dic, Virgo, quæ vis tráxerit
Patri coævum Fílium,
E Patris æterno sinu,
Mortális in matris sinum?

Ad hos honórum te gradus,
Non virginális te pudor,
Non éxtulit tantùm fides,
Nec igne fervens cáritas:

Sed, quæ sibi nunquam placet,
Deo placens modéstia:
Quâ tu tibi sis vílior,
Hâc digna sis mater Dei.

Quàm celsa, quæ se déprimens,
Altum Tonantem déprimit!
In te, suî jam non memor,
Descendit è cœlo Deus.

Sit laus Patri, laus Filio;
Par sit tibi laus, Spíritus,
Per quem sacrâ se Filius
Infudit alvo Virginis. Amē.

*IN I. NOCTURNO.*

*Feria II. & V.*

*Ps.* 8. Dómine, Dóminus noster. *pag.* 100.

*Ps.* 18. Cœli enarrant glóriam Dei. *cum suâ divisione, pag.* 155.

*Ps.* 44. Eructávit cor meum. *pag.* 104.

*Ant.* Ave grátiâ plena; Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. *Luc.* 1.

℣. Adducentur Regi Vírgines, post eam: ℟. Próximæ ejus afferentur tibi. *Ps.* 44.

*Absolutio.* Deus meminerit testamenti sui quod locútus est, & exáudiat oratiónes nostras. *II. Mach.* 1.

LECTIO I.

Ex Isáiâ Prophétâ. *Cap.* 7.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum suprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Numquid parùm vobis est molestos esse homínibus; quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum: Ecce Virgo concípiet, & páriet Filium; & vocábitur nomen ejus Emmánuel.

℟. Benedícam ei, & ex illâ dabo Filium cui benedictúrus sum: * Constítuam pactum meum illi, in fœdus sempiternum. ℣. Hic erit magnus & Fílius Altíssimi vocábitur; & regnábit in domo Jacob in æternum. * Constítuam. *Gen.* 17. *Luc.* 1.

LECTIO II.

Ex Diálogo sancti Justini Mártyris cum Tryphóne Judæo. *n.* 84.

SI non è Vírgine iste de quo Isaías dicébat, nascitúrus erat, de quo Spíritus Sanctus exclamábat: Ecce Dóminus dabit signum, Ecce Virgo in útero concípiet & páriet Filium; si perinde atque álii omnes primogéniti, iste quoque ex concúbitu gignendus erat, quodnam signum non cúnctis primogénitis commúne fácere se dixit? Enim verò quod verè signum est & humáno géneri credíbile, futúrum erat, hoc est, ut ex virgináli útero primogénitus creaturárū ómnium caro factus verè puer fieret.

℟. Ecce concípies in útero, & páries Filium; * Et vocábis nomen ejus Jesum. ℣. Ipse salvum fáciet pópulum suum à peccátis eó-

rum ; * Et vocábis. *Luc.* 1. *Matth.* 1.

LECTIO III.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. *Cap.* 4.

QUanto témpore hæres párvulus est, nihil differt à servo, cùm sit Dóminus ómnium; sed sub tutóribus & actóribus est, usque ad præfinítum tempus à patre: ita & nos cùm essémus párvuli, sub eleméntis mundi erámus, serviéntes. At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. Abrahæ dictæ sunt promissiónes, & sémini ejus: * Non dicit, Et semínibus, quasi in multis; sed, quasi in uno, Et sémini tuo, qui est Christus. ℣. Dixit ad Abraham Deus: Státuam pactum meum, ut sim Deus tuus & séminis tui post te, dabóque tibi & sémini tuo possessiónem ætérnam. * Non. ℣. Glória Patri. * Non. *Galat.* 3. *Gen.* 17.

## IN II. NOCTURNO.

*Feria III. & VI.*

*Ps.* 45. Deus noster refúgium & virtus. *pag.* 98.

*Ps.* 84. Benedixísti, Dómine, terram tuam. *p.* 66.

*Ps.* 86. Fundamenta ejus. *pag.* 147.

*Ant.* Ecce concípies in útero & páries fílium; & vocábis nomen ejus Jesum. *Luc.* 1.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus; ℟. Deus in médio ejus. *Ps.* 45.

*Absolutio.* Pater Dómini nostri Jesu Christi benedícat nos in omni benedictióne spirituáli. *Ephes.* 1.

LECTIO I.

Ex Jeremíâ Prophétâ. *Cap.* 31.

USquequò delíciis dissolvéris, fília vaga? quia créavit Dóminus novum super terram: Fémina circúmdabit virum. Hæc dicit Dóminus exercítuum, Deus Israel: adhuc dicent verbum istud in terrâ Judâ, & in úrbibus ejus, cùm convértero captivitátem eórum: benedícat tibi Dóminus, pulchritúdo justítiæ, mons sanctus.

℟. Aperíte portas; quóniam nobíscum est Deus: * Qui fecit virtútem in Israel. ℣. Quod in eâ natum est, de Spíritu Sancto est. * Qui fecit. *Judith* 13. *Matth.* 1.

LECTIO II.

Ex Epístolâ Synódicâ sancti Cyrilli Alexandríni ad Nestórium. *Apud Concil. Ephes.*

QUia sacra Virgo Deum carni secundùm hypóstasim unítum corporáliter

génuit, ob id, illam quoque Deíparam esse dícimus: non quòd Dei Verbum natúrâ exiſtendi inítium ex carne traxerit; ſed quia, humánâ natúrâ ſecundùm hypóſtaſim ſibi unítâ, corpóream ex útero nativitátem expertum eſt.

℟. Deus ex ſémine David * Secundùm promiſſiónem eduxit Iſrael, ſalvatórem Jeſum. ℣. Jurávit Dóminus David veritátem, & non fruſtrábitur eam. * Secundùm. *Act.* 13. *Pſ.* 131.

LECTIO III.

Ex Epíſtolâ beáti Pauli Apóſtoli ad Romános. *Cap.* 5.

SI unius delícto mors regnávit per unum, multo magìs abundántiam grátiæ, & donatiónis & juſtítiæ, accipientes, in vitâ regnábunt per unum Jeſum Chriſtum. Igitur ſicut per unius delíctum in omnes hómines in condemnatiónem, ſic & per unius juſtítiam in omnes hómines juſtificatiónem vitæ. Sicut enim per inobediéntiam unius hóminis, peccatóres conſtitúti ſunt multi, ita & per unius obeditiónem, juſti conſtituentur multi.

℟. Benedixit te Dóminus, in virtúte ſuâ, * Quia per te ad níhilum redégit inimícos noſtros. ℣. Benedícta tu inter mulieres, & benedíctus fructus ventris tui. * Quia. ℣. Glória * Quia. *Judith.* 13. *Luc.* 1.

*IN III. NOCTURNO.*

*Feria IV. & Sabbato.*

*Pſ.* 95. Cantáte Dómino, ... cantáte. *pag.* 9.

*Pſ.* 96. Dóminus regnávit, exſultet terra. *pag.* 10.

*Pſ.* 97. Cantáte Dómino, ... quia. *pag.* 11.

*Ant.* Quod naſcétur ex te ſanctum, vocábitur Fílius Dei. *Luc.* 1.

℣. Deſcendet ſicut plúvia in vellus: ℟. Et replébitur majeſtáte ejus omnis terra. *Pſ.* 71.

*Abſolutio.* Pater Dómini noſtri Jeſu Chriſti det nobis Chriſtum habitáre per fidem in córdibus noſtris. *Epheſ.* 3.

LECTIO I.

Ex Iſáiâ Prophétâ. *Cap.* 45.

EGo Dóminus, & non eſt alter; formans lucem, & creans ténebras, fáciens pacem, & creans malum: ego Dóminus fáciens ómnia hæc. Roráte, cœli, déſuper; & nubes pluant Juſtum: aperiátur terra, & gérminet ſalvatórem; & juſtítia oriátur ſimul: ego Dóminus creávi eum.

℟. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis; * Et

ipse Deus cum eis erit eórum Deus; ℣. Benedicentur in ipso omnes tribus terræ. * Et. *Apoc.* 21. *Ps.* 7.

LECTIO II.

Ex Libro décimo tértio sancti Augustíni Epíscopi de Trinitáte. *Cap.* 18.

POterat Deus hóminem suscípere non de génere Adam: sed méliùs judicávit & de ipso quod victum fúerat génere assúmere hóminem per quem géneris humáni vínceret inimícum: & tamen ex Vírgine; cujus conceptum spíritus, non caro; fides, non libído prævénit. Nascebátur homo, nullum habens, nullum habitúrus omnínò peccátum; per quem renascerentur liberandi à peccáto qui nasci non possent sine peccáto. Oportébat ítaque ut concupiscéntia nulla ibi esset omnínò, quandò concipiebátur Vírginis partus: in quo nihil dignum morte fúerat inventúrus & eum tamen occisúrus autor mortis, autóris vitæ morte vincendus.

℟. Semel jurávi in sancto meo, si David méntiar, * Semen ejus in æternum manébit, & thronus ejus sicut sol in conspectu meo. ℣. Antè promíserat Deus per Prophétas de filio suo, qui factus est ei ex sémine David secundùm carnem: * Semen ejus. *Ps.* 88. *Rom.* 1.

LECTIO III.

Ex Epístolâ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. *Cap.* 1.

NOvíssimè diébus istis locútus est nobis Deus in Fílio suo quem constítuit hærédem universórum, per quem fecit & sécula; qui cùm sit splendor glóriæ, & figúra substántiæ ejus, portansque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórũ fáciens, sedet ad déxteram in excelsis: tantò mélior Angelis effectus, quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit. Cui enim dixit aliquando Angelórum: Fílius meus es tu: ego hódie génui te? Et rursùm: ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium.

℟. Péperit múlier Filium másculum, qui rectúrus erat omnes gentes in virgâ férreâ; * Et † Raptus est Fílius ejus ad Deum & ad thronum ejus. ℣. De ore ejus procédit gládius ex utrâque parte acútus, ut in ipso percútiat gentes, & ipse reget eos in virgâ férreà. * Et raptus est. ℣. Glória Patri. † Raptus est. *Apoc.* 12 & 19.

---

AD LAUDES.

*Ps.* 66. Deus misereátur nostrî. *pag.* 14.

*Ps.* 92. Dóminus regnávit, decórem. *pag.* 15.

*Ps.* 99. Jubiláte Deo, omnis terra; servíte. *p.* 15.

CANTICUM. *Zach.* 2.

LAuda & lætáre, filia Sion; * quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî, ait Dóminus.

Et applicabuntur gentes multæ ad Dóminum in die illâ; & erunt mihi in pópulum, & habitábo in médio tuî: * & scies quia Dóminus exercítuum misit me ad te.

Et possidébit Dóminus Judam partem suam in terrâ sanctificátâ; * & éliget adhuc Jerúsalem.

Síleat omnis caro à fácie Dómini;* quia consurrexit de habitáculo sancto suo.

*Ps.* 150. Laudáte Dóminum in sanctis ejus. *pag.* 68.

*Ant.* Benedicta tu inter mulíeres, & benedictus fructus ventris tui. *Luc.* 1.

LECTIO. *Cant.* 6.

QUæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

HYMNUS. *S. V.*

AUróra, quæ solem paris,
Et ipsa solis filia;
Quàm spléndidum, cùm násceris,
Affers diem mortálibus!

Te luce sol vestit suâ,
Tibíque luna stérnitur;
Aptáta sacro vértici,
Nectunt corónam sydera.

Te mille virtútum chori,
Te turma cingit Cœlitum;
Ambit suo te Númine,
Qui te facit matrem, Deus.

Uti potens exércitus,
Tu, Virgo, terror hóstium;
Te sic obumbrátam Deo
Pavent, tremuntque tartara.

Qui tabe nos inféceræ,
Serpentis élidis caput;
Attritus æterno jacet
Non jam tremendus vúlnere.

Fac, Virgo, quem scimus Deum
Venísse terris hóspitem,
Per te, manens nobis adhuc,
Nostri sit hospes péctoris.

Sit laus Patri, laus Filio;
Par sit tibi laus, Spíritus,
Per quem sacrâ se Filius
Infudit alvo Vírginis.
Amen.

℣. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ,
℟. Et veritátis suæ dómui Israel. *Ps.* 97.

CANTICUM. *Luc.* 1.

NE tímeas, María; * invenisti enim grátiã apud Deum.

Ecce concípies in útero, & páries filium, * & vocábis nomen ejus JESUM.

Hic erit magnus, * & Fílius Altíssimi vocábitur:

Et dabit illi Dóminus Deus * sedem David patris ejus:

Et regnábit in domo Jacob in æternum; * & regni ejus non erit finis.

*Ant.* Beáta quæ credidisti; quóniam perficientur

ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

DEus, qui de beátæ Maríæ vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscípere voluisti; præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eumdem.

AD PRIMAM.

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

MEmento, de Deo Deus,
Quòd matre natus Vírgine,
Nostrî misertus, pérditi
Mundi Redemptor véneris.

Et nos, Dei Virgo parens,
Vultu benigno réspice;
Placábilem tuâ prece
Fac esse nobis Filium.

Qui natus es de Vírgine,
JESU, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu,
In sempiterna sécula.
Amen.

*Ps.* 14. Dómine quis hábitábit. *pag.* 69.

*Ps.* 53. Deus in nómine tuo salvum me fac. *pag.* 71.

*Ps.* 116. Laudáte Dóminum omnes gentes. *p.* 154.

*Ant.* Fílius Dei factus est ei ex sémine David secundùm carnem. *Rom.* 1.

LECTIO. *Isai.* 11.

EGrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascendet; & requiescet super eum Spíritus Dómini.

℣. Homo natus est in eâ, ℟. Et ipse fundávit eam Altíssimus. *Ps.* 86.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

GRátiam tuam, Dómine, méntibus nostris infunde; ut qui, Angelo nuntiante, Christi Fílii tui incarnatiónẽ cognóvimus, per passiónem ejus & crucem, ad resurrectiónis glóriam perducámur: Per eumdem.

AD TERTIAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus.* Memento, de Deo Deus. *ut suprà ad Primam.*

*Ps.* 119. Ad Dóminum, cum tribulárer. *pag.* 92.

*Ps.* 120. Levávi óculos meos. *pag.* 159.

*Ps.* 121. Lætátus sum. *pag.* 75.

*Ant.* De Maríâ natus est Jesus, qui vocátur Christus. *Matth.* 1.

LECTIO. *Mich.* 5.

EGrediétur qui sit dominátor in Israel, & egressus ejus ab inítio, à diébus æternitátis.

℣. Dominábitur à mari usque ad mare, ℟. Et à flúmine usque ad términos orbis terrárum. *Ps.* 71.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Orémus.

Collecta. *Sacr. Gelas.*

DEus, qui salútis ætérnæ beátæ Maríæ virginitáte fœcundâ humáno géneri præmia præstitisti; tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus autórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum.

AD SEXTAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus.* Memento, de Deo Deus. *ut suprà ad Primam.*

*Ps.* 122. Ad te levávi. *pag.* 92.

*Ps.* 123. Nisi quia Dóminus. *pag.* 123.

*Ps.* 124. Qui confidunt. *pag.* 123.

*Ant.* Benedícta es tu, filia, à Dómino Deo excelso, præ ómnibus muliéribus super terram. *Judith.* 13.

Lectio. *Mich.* 5.

DAbit eos usque ad tempus in quo partúriens páriet; & reliquiæ fratrum ejus converténtur ad filios Israel.

℣. Véritas de terrâ orta est, ℟. Et justítia de cœlo prospéxit. *Ps.* 84.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Orémus.

Collecta. *Sacr. Greg.*

COncéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium; ut qui sanctæ Dei genitrícis memóriam ágimus, intercessiónis ejus auxílio à nostris iniquitátibus resurgámus: Per eumdem.

AD NONAM.

℣. Deus, in adjutórium.

*Hymnus.* Memento, de Deo Deus. *ut suprà ad Primam.*

*Ps.* 125. In convertendo. *pag.* 53.

*Ps.* 126. Nisi Dóminus. *pag.* 75.

*Ps.* 127. Beáti omnes. *pag.* 160.

*Ant.* Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ suxisti. *Luc.* 11.

Lectio. *I. Petr.* 5.

DEus supérbis resistit, humílibus autem dat grátiam. Humiliámini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitatiónis.

℣. Respexit humilitátem ancillæ suæ; ℟. Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. *Luc.* 1.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Orémus.

Orémus.

Collecta. *Sacr. Greg.*

FAmulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce; ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne adjuvémur: Per eumdem.

---

AD VESPERAS.

℣. Deus, in adjutórium.

*Ps.* 109. Dixit Dóminus. *pag.* 28.

*Ps.* 128. Sæpè expugnavérunt me. *pag.* 134.

*Ps.* 129. De profundis. *pag.* 96.

*Ps.* 130. Dómine non est exaltátum. *pag.* 96.

*Ant.* In me ancillâ suâ adimplévit Dóminus misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel. *Judith*, 13.

Lectio. *Cant.* 6.

VIdérunt eam fíliæ, & beatíssimam prædicavérunt; regínæ, & laudavérunt eam.

Hymnus. *B.*

DAvídis sóboles, glória Vírginum,
Christi Virgo parens, te pósuit Deus,
Partu virgíneo quæ malè súbdoli
Anguis contéreres caput.
Rebus princípium qui dedit ómnibus,
A te princípium sumpsit Homo-Deus;
Cunctis prospíciens qui tribuit cibos,
Pastus lacte fuit tuo.
Per te quod múlier perdíderat vetus,
Humáno géneri rédditur áuctiùs:
Tu clausas míseris, heu nimiùm diu!
Cœlórum réseras fores.
Qui lucis Pater est, glória sit Patri;
Cujus Virgo parens, glória Fílio;
Quo fœcunda tibi, nexus amábilis,
Sit par glória, Spíritus. Amen.

℣. Anima mea exsultábit in Dómino, ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34.

Canticum. *Luc.* 1.

BEnedícta tu inter mulíeres, * & benedíctus fructus ventris tui.

Et unde hoc mihi * ut véniat mater Dómini mei ad me?

Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, * exsultávit in gáudio infans in útero meo.

Et beáta quæ credidísti; * quóniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino.

*Ant.* Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui po-

tens est, & sanctum nomen ejus. *Luc.* 1.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Greg.*

IN méntibus nostris, Dómine, veræ fidei sacramenta confirma; ut qui conceptum de Vírgine Deū verum & hóminem confitémur, per ejus salutíferæ resurrectiónis poténtiam, ad æternam mereámur pervenire lætítiam: Per eumdem.

## AD COMPLETORIUM.

℣. Converte nos, &c.

℣. Deus, in adjutórium.

*Ps.* 131. Memento, Dómine, David. *pag.* 160.

*Ps.* 132. Ecce quàm bonum. *pag.* 75.

*Ps.* 133. Ecce nunc benedicite. *pag.* 33.

CANTICUM. *Luc.* 2.

SImeon dixit ad Maríam matrem Jesu: * Ecce pósitus est hic in ruínam, & in resurrectiónem multórum in Israel;

Et in signum * cui contradicétur:

Et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius; * ut revelentur ex multis córdibus cogitatiónes.

HYMNUS. *Brev. Parif.*

VIrgo Dei génitrix, quē totus non capit orbis,
In tua se clausit víscera, factus homo.
Hinc méritò dicent te sǽcula cuncta beátam;
Hinc pópuli matrem, te dominamque colunt.
Súscipe quos pia plebs tibi péndere certat, honóres:
Annue sollícitâ quam prece poscit opem.
Glória magna Patri; compar sit glória Nato;
Ambórum tibi par, Spíritus alme, decus. Amen.

LECTIO. *Genes.* 22.

POssidébit semen tuum portas inimicórum suórum; & benedicentur in sémine tuo omnes gentes terræ.

℣. Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, ℟. Quanta fecit ánimæ meæ. *Ps.* 65.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Alcuin.*

PRótege, Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis; & beátæ Maríæ semper vírginis patrocíniis confidentes, à cunctis hóstibus & periculis redde secúros: Per Dóminum.



# OFFICIUM DEFUNCTORUM.

*In fine Psalmorum & Canticorum dicitur:* Requiem æternam.

## AD VESPERAS.

*Psalm.* 114. Dilexi; quóniam exáudiet. *p.* 53.

*Ant.* O Dómine, líbera ánimam meam.

*Ps.* 119. Ad Dóminum, cùm tribulárer, clamávi. *pag.* 92.

*Ant.* Heu mihi! quia incolátus meus prolongátus est.

*Ps.* 120. Leváví óculos meos in montes. *pag.* 159.

*Ant.* Auxílium meum à Dómino, qui fecit cœlum & terram.

*Ps.* 129. De profundis clamávi ad te, Dómine. *pag.* 96.

*Ant.* Si iniquitátes obsérváveris, Dómine; Dómine, quis sustinébit?

*Ps.* 137. Confitébor tibi, Dómine... quóniam. *p.* 54.

*Ant.* Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

℣. Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum, ℟. Et non derelínquet omnes qui sperant in eo.

*Ad* Magníficat. *Ant.* Omne quod dat mihi Pater, ad me véniet; & eum qui venit ad me, non ejíciam forìs. *Joan.* 6.

*Secretò dicitur:* Pater noster. *Altâ voce,* ℣. Et ne nos indúcas in tentatióné; ℟. Sed líbera nos à malo.

*Ps.* 145. Lauda, ánima mea, Dóminum. *pag.* 89.

℣. A portâ ínferi, ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum. *Ps.* 88.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

*In depositione Defuncti.*

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur; † ut ánimam fámuli tui *N.* quã de hoc século migráre jussísti, * in pacis ac lucis regióne constítuas, & Sanctórum tuórum júbeas esse consortem.

*Pro Diacono, post litteram* N. *additur* Diáconi.

*In depositione Defunctæ.*

COLLECTA. *Miss. Rom.*

QUæsumus, Dómine, pro tuâ pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ *N.* †

& à contágiis mortalitátis exútam * in ætérnæ salvatiónis partem restítue.

*In depositione Sacerdotis.*

COLLECTA. *Sacr. Leon.*

DEus, qui inter Apostólicos Sacerdótes fámulum tuum *N.* Sacerdotáli fecísti dignitáte vigére; † præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio.

*Pro Episcopo, loco* Sacerdotáli, *dicitur* Pontificáli.

*In Anniversariis.*

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

DEus indulgentiárum, Dómine, † da ánimæ fámuli tui *N.* (Sacerdótis, *vel* Pontíficis) (*vel* fámulæ tuæ *N.*) cujus (*vel* animábus famulórum tuórum *N.* & *N.* quorum) (*vel* famulárum tuárum *N.* & *N.* quárum) anniversárium depositiónis diem commemorámus, * refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem.

*Pro Fratribus, Propinquis, & Benefactoribus.*

COLLECTA. *Sacr. Grimold.*

DEus, véniæ largítor, & humánæ salútis amátor, † quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregatiónis fratres, propinquos & benefactóres qui ex hoc século transiérunt, beátâ Maríâ semper Vírgine intercedente cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenírc concédas; Per.

*Pro omnibus Defunctis.*

COLLECTA. *Sacr. Gelas.*

FIdélium, Deus, ómnium cónditor & Redémptor, † animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tribue peccatórum; * ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur: Qui vivis & regnas in sécula seculórum. ℟. Amen.

*In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Collecta,* Fidélium. *ut suprà, cum integrâ Conclusione sequenti:* Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritûs Sancti Deus, per ómnia sécula seculórum. ℟. Amen.

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

*Sic terminantur Vesperæ & Laudes Defunctorum.*

*In die Depositionis, & in Officio solemniori Defuncti dicitur Collecta cum integrâ Conclusione; aliis diebus dicitur Collecta conveniens sub brevi Conclusione.*

*Privatìm pro Patre & Matre.*

COLLECTA. *Miss. Rom.*

DEus, qui nos patrem & matrem honoráre præcepísti; miserére cleménter animábus patris ac

matris meæ, eórumque peccáta dimitte; meque eos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére; Per.

---

AD VIGILIAS.

*In Pſ.* Veníte. *Ant.* Deũ, cui omnes vivunt; * Veníte, adorémus. *Luc.* 20.

*Hoc Invitatorium dicitur in die Depoſitionis Defuncti, & quotiès Vigiliæ cum ſuis tribus Nocturnis dicuntur. Aliis Temporibus dicitur unum tantùm Nocturnum ſine Invitatorio, hoc ordine: Fer. II. & V. dicitur primum; Fer. III. & VI. ſecundum; Fer. IV. & Sabbato, tertium, cum Lectionibus & ℟℟. cuilibet Feriæ propriis, ut infrà annotantur pag.* cxxxj. *& ſequentibus.*

*IN I. NOCTURNO.*

Fer. II. & V.

*Cum ſuis Lectionibus, infrà, pag.* cxxxj.

*Pſalmi dicuntur cum ſuis Diviſionibus.*

*Pſ.* 5. Verba mea áuribus pércipe, Dómine. *pag.* 86.

*Ant.* Dómine, deduc me in juſtítiâ tuâ, propter inimícos meos dírige in conſpectu tuo viam meam.

*Pſ.* 6. Dómine, ne in furóre tuo árguas me: ... miſerére meî. *pag.* 55.

*Ant.* Salvum me fac propter miſericórdiam tuam; quóniam non eſt in morte qui memor ſit tuî.

*Pſ.* 12. Uſquéquò, Dómine, oblivíſcéris me in finem? *pag.* 94.

*Ant.* Illúmina óculos meos, ne unquàm obdórmiam in morte.

℣. Ne tradas béſtiis ánimas confiténtes tibi. ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne oblivíſcáris in finem. *Pſ.* 73.

*Lectiones ſine Benedictione leguntur.*

Lectio I.

De Libro Job. *Cap.* 14.

Homo natus de muliere, brevi vivens témpore, replétur multis miſériis. Qui quaſi flos egréditur & contéritur, & fugit velut umbra, & nunquàm in eódem ſtatu pérmanet; & dignum ducis ſuper hujuſcemodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis poteſt fácere mundum de immúndo conceptum sémine? Nonne tu qui ſolus es? Breves dies hóminis ſunt, númerus ménſium ejus apud te eſt: conſtituiſti términos ejus, qui prætеríri non póterunt. Recéde páululùm ab eo, ut quieſcat; donec optáta véniat, ſicut mercenárii dies ejus.

℟. Ad Dóminum aſpíciam; exſpectábo Deum Salvatórem meum: conſurgam, cùm sédero in ténebris. * Iram Dómini por-

tábo; quóniam peccávi ei. ℣. Flagellat Dóminus omnem filium quem récipit. * Iram. *Mich.* 7. *Hebr.* 12.

Lectio II. *Job.* 17.

SPíritus meus attenuábitur; dies mei breviabúntur; & solum mihi superest sepulchrũ. Non peccávi; & in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me, Dómine; & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. Dies mei transiérũt; cogitatiónes meæ dissipátæ sunt, torquentes cor meum; noctem vertérunt in diem, & rursùm post ténebras spero lucem. Si sustinúero, infernus domus mea est, & in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es; mater mea, & soror mea, vérmibus; ubi est ergo nunc præstolátio mea? & patiéntiam meam quis consíderat?

℟. Inundavérunt aquæ super caput meum, dixi: Périi: invocávi nomen tuum, Dómine, de lacu novíssimo; vocem meam audísti: * Ne avertas aurem tuam à singultu meo & clamóribus. ℣. Qui voluntáriè genuísti nos verbo veritátis. * Ne avertas. *Thren.* 3. *Jac.* 1.

Lectio III. *Job.* 19.

PElli meæ, consumptis cárnibus, adhæsit os meum, & derelícta sunt tantúmmodò lábia circa dentes meos. Miserémini meî, miserémini meî, saltem vos amíci mei; quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, & cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat ut scribántur sermónes mei? Quis mihi det ut exaréntur in libro, stylo férreo, & plumbi lámina, vel celte sculpántur in sílice? Sciò enim quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terrâ surrectúrus sum, & rursùm circúmdabor pelle meâ, & in carne meâ, vidébo Deum meum, quem visúrus sum ego ipse, & óculi mei conspectúri sunt, & non álius: repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Scio quia universórũ memíneris, Dómine; * Si peccávi, & ad horam pepercísti mihi; cur ab iniquitáte meâ mundum me esse non páteris? ℣. Qui emundas nos ab omni iniquitáte. * Si. *Job,* 10. *I. Joan.* 1.

*IN II. NOCTURNO.*

Fer. III. & VI.

*Cum suis Lectiónibus infrà, pag.* cxxxij.

*Psalm.* 22. Dóminus regit me. *pag.* 115.

*Ant.* In médio umbræ mortis, non timébo mala; quóniam tu mecum es, Dómine.

*Ps.* 24. Ad te, Dómine, levávi. *pag.* 6.

*Ant.* Delicta juventútis meæ, & ignorántias meas ne memíneris, Dómine.

*Ps.* 26. Dóminus illuminátio mea & salus mea. *pag.* 7.

*Ant.* Credo vidére bona Dómini in terrâ vivéntium.

℣. Unam pétii à Dómino, hanc requíram; ℟. Ut inhábitem in domo Dómini. *Ps.* 26.

LECTIO IV.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi. *Serm.* 173. *de Verbis Apost. n.* 1. *Ed. Ben.*

QUando celebrámus dies fratrum defunctórum, in mente habére debémus, & quid sperandum, & quid timendum sit. Secundùm hoc enim sperandum est, quóniam pretiósa in conspectu Dómini mors Sanctórum ejus: secundùm hoc autem timendum est, quia mors peccatórum péssima. Ideóque propter spem, in memóriâ æternâ erit justus: propter timórem, ab audítu malo non timébit. In hâc ergo medietáte vitæ, illud quod audívimus ex Evangélio, tenére debémus: Qui credit, inquit, in me, licèt moriátur, vivit. Quid est: Licèt moriátur, vivit? Licèt moriátur córpore, vivit spíritu. Deindè adjungit: Et qui vivit, & credit in me, non moriétur in æternum. Certè licèt moriátur; quómodò, si non moriétur? sed licèt moriátur ad tempus, non moriétur in æternum.

℟. Scio quòd Redemptor meus vivit, & in novíssimo die de terrâ surrectúrus sum; * Et in carne meâ vidébo Deum meum. ℣. Oportet corruptíbile hoc indúere incorruptiónem, & mortále hoc indúere immortalitátem; * Et in carne. *Job*, 19. *I. Cor.* 15.

LECTIO V. *n.* 2. 3.

COnsolémur ergo nos ínvicem, & in his sermónibus nostris. Potest non dolére cor humánum, defuncto caríssimo: mélius tamen cùm dolet sanátur cor humánum, quàm non dolendo fit inhumánum. María Dómino cohærébat, mórtuum fratrem dolébat. Sed quid miráris quia María dolébat tunc, cùm ipse Dóminus flebat? Ideò & Apóstolus, de dormiéntibus, inquit: Nolo vos ignoráre, fratres, ut non contristémini, sicut & gentes quæ spem non habent. Non tantùm ait, ut non contristémini: sed, ut non sic contristémini, quemádmodùm gentes quæ spem non habent. Necesse est enim ut contristémini: sed ubi contristáris, consolétur te spes.

℟. Omnes nos manifestári oportet ante tribúnal Christi, * Ut réferat unusquísque própria córporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. ℣. Statútum

est homínibus semel mori; post hoc autem judícium. * Ut. *II. Cor.* 5. *Hebr.* 9.

LECTIO VI.

QUómodò non contristáris, ubi corpus quod vivit ex ánimâ, fit exánime, discedente ánimâ? Qui ambulábat, jacet; qui loquebátur, tacet. Discessit qui non videbátur, remansit quod cum dolóre videátur: ista est causa tristítiæ. Si hæc est causa tristítiæ, sit hujus tristítiæ consolátio. Quæ consolátio? Quia, Ipse Dóminus in jussu & in voce Archángeli, & in novíssimâ tubâ descendet de cœlo, & mórtui in Christo resurgent primi: deinde viventes qui réliqui sumus, simul cum illis rapiémur in núbibus óbviàm Christo in áera. Numquid & hoc ad tempus? Non: sed quid est? Et ita semper cum Dómino érimus. Péreat contristátio, ubi tanta est consolátio; detergátur luctus ex ánimo; fides expellat dolórem. In tantâ spe non decet esse triste templum Dei. Ibi hábitat bonus consolátor; ibi qui non fallit, promissor. Quid mórtuum diù plangámus? Quóniam mors amára est? per illam transívit & Dóminus. Consolétur vos abundántiùs qui non migrat de corde vestro; sed ita dignétur habitáre, ut nos dignétur étiam in fine mutáre.

℟. Omnes qui in monuméntis sunt, áudient vocem Filii Dei; * Et procédent qui bona fecérunt, in resurrectiónem vitæ; *qui* verò mala egérunt, in resurrectiónem judícii. ℣. In momento, in ictu óculi, in novíssimâ tubâ, mórtui resurgent: * Et procédent. *Joan.* 5. *I. Cor.* 15.

*IN III. NOCTURNO.*

FER. IV. ET SABBATO.

*Cum suis Lectionibus infrà, pag.* cxxxiij.

*Ps.* 38. Dixi: Custódiam vias meas. *pag.* 121.

*Ant.* Amove à me plagas tuas, Dómine: áuribus pércipe lácrymas meas.

*Ps.* 40. Beátus qui intélligit super egénum. *pag.* 71.

*Ant.* Numquid qui dormit non adjíciet ut resurgat? Dómine, miserére meî, & resúscita me.

*Ps.* 41. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum. *pag.* 93.

*Ant.* Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum: quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei!

℣. Quare tristis es, ánima mea, & quare conturbas me? ℟. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi. *Ps.* 42.

LECTIO VII.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicenses. *Cap.* 4.

SI crédimus quòd Jesus mórtuus est, & resurrexit;

texit : ita & Deus eos qui dormiérunt per Jesum, addúcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in verbo Dómini, quia nos qui vívimus, qui resídui sumus in adventum Dómini, non præveniémus eos qui dormiérunt. Quóniam ipse Dóminus in jussu, & in voce Archángeli, & in tubâ Dei descendet de cœlo : & mórtui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vívimus, qui relínquimur, simul rapiémur cum illis in núbibus óbviàm Christo in áera, & sic semper cum Dómino érimus. Itaque consolámini ínvicem in verbis istis.

℟. Non resurgent ímpii in judício, neque peccatóres in concílio justórum : * Quóniam novit Dóminus viam justórum ; & iter impiórum períbit. ℣. Mors peccatórum péssima : pretiósa in conspectu Dómini, mors Sanctórum ejus. * Quóniam. *Ps.* 1. 33. & 115.

LECTIO VIII. *Cap.* 5.

DE tempóribus autem, & momentis, fratres, non indigétis ut scribámus vobis : ipsi enim diligenter scitis, quia dies Dómini, sicut fur in nocte, ita véniet. Cùm enim dixerint : Pax & secúritas ; tunc repentínus eis supervéniet intéritus, sicut dolor in útero habentis, & non effúgient. Vos autem, fratres, non estis in ténebris, ut vos dies illa, tamquàm fur comprehendat: omnes enim vos filii lucis estis & filii diei : non sumus noctis, neque tenebrárum.

℟. Deus meus, ne síleas à me : * Ne simul trahas me cum peccatóribus ; & cum operántibus iniquitátem ne perdas me. ℣. Pars illórum erit in stagno ardenti igne & súlphure. * Ne simul. *Ps.* 27. *Apoc.* 21.

LECTIO IX.

NOn dormiámus, sicut & cæteri ; sed vigilémus, & sóbrii simus. Qui enim dórmiunt, nocte dórmiunt ; & qui ébrii sunt, nocte ébrii sunt : nos autem qui diéi sumus, sóbrii simus, indúti lorícam fidei & caritátis, & gáleam spem salútis, quóniam non pósuit nos Deus in iram, sed in acquisitiónem salútis per Dóminum nostrum Jesum Christum, qui mórtuus est pro nobis : ut sive vigilémus, sive dormiámus, simul cum illo vivámus. Propter quod consolámini ínvicem, & ædificáte altérutrum.

℟. Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me : non absórbeat me profundum, neque úrgeat super me púteus os suum : * Exaudi me, quóniam † Benigna est misericórdia tua : ¶ In-

tende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Dómine Deus, Rex seculórum, solus pius es. * Exaudi me, quóniam † Benigna est misericórdia tua. ¶ Intende ánimæ meæ & líbera eam. ℣. Miserére meî, Dómine, Fili David: Dómine, ádjuva me. † Benigna est misericórdia tua: ¶ Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Propósuit te, Deus, propitiatiónem per fidem propter remissiónem delictórum. ¶ Intende ánimæ meæ, & líbera eam. *Ps.* 68. *Apoc.* 15. *Matth.* 25. *Rom.* 3.

AD LAUDES.

*Psalm.* 50. Miserére meî, Deus, secundùm. *p.* 162.

*Ant.* Secundùm multitúdinem miseratiónum tuárum dele iniquitátem meã.

*Ps.* 64. Te decet Hymnus. *pag.* 87.

*Ant.* Exaudi, Deus, oratiónem meam; ad te omnis caro véniet.

*Ps.* 142. Dómine, exaudi oratiónem meam; áuribus. *pag.* 72.

*Ant.* Propter nomen tuũ, Dómine, vivífica me.

Canticum. *Baruch.* 3.

DOmine, omnípotens, Deus Israel, * ánima in angústiis, & spíritus ánxius clamat ad te:

Audi, Dómine, & miserére, quia Deus es miséricors; * & miserére nostrî, quia peccávimus ante te.

Quia tu sedes in sempitermum, * & nos períbimus in ævum?

Dómine omnípotens, Deus Israel, * audi nunc oratiónem mortuórum Israel,

Et filiórum ipsórum, qui peccavérunt ante te, & non audiérunt vocem Dómini Dei sui, * & agglutináta sunt nobis mala.

Noli meminisse iniquitátum patrum nostrórum, * sed memento manûs tuæ, & nóminis tui in témpore isto:

Quia tu es Dóminus Deus noster; * & laudábimus te, Dómine.

*Ant.* Miserére nostrî, Dómine; quia peccávimus ante te.

*Ps.* 150. Laudáte Dóminum in sanctis ejus. *pag.* 68.

*Ant.* Omnis spíritus laudet Dóminum.

℣. Educ de custódiâ ánimam meam, ℟. Ad confiténdum nómini tuo, Dómine. *Ps.* 140.

*Ad* Benedictus. *Ant.* Ego sum resurréctio & vita; qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit vivet; & omnis qui vivit & credit in me, non moriétur in ætermum. *Joan.* 11.

Pater noster, &c. *ut suprà ad I. Vesperas, pag.* cxxiij, *excepto quòd loco Psalmi* Lauda. *dicitur Ps.* 129. De profundis. *suprà pag.* 96.

*In Officiis Defunctorum in quibus unum tantùm dicitur Nocturnum, Psalmi, Ant. & ℣. sumuntur ex Officio præcedenti secundùm Feriam, & tres dicuntur Lectiones cum suis ℟℟. ordine qui infrà notatur.*

FERIA II. ET V.

LECTIO I.

De Libro Job. *Cap.* 7.

Milítia est vita hóminis super terram: & sicut dies mercenárii, dies ejus. Sicut servus desíderat umbram, & sicut mercenárius præstolátur finem óperis sui; sic & ego hábui menses vácuos, & noctes laboriósas enumerávi mihi. Si dormíero, dicam: Quando consurgam? & rursum exspectábo vésperam, & replébor dolóribus usque ad ténebras. Indúta est caro mea putrédine & sórdibus púlveris: cutis mea áruit, & contracta est. Dies mei velóciùs transiérunt quàm à texente tela succíditur, & consumpti sunt absque ullâ spe. Memento quia ventus est vita mea, & non revertétur óculus meus ut vídeat bona, nec adspíciet me visus hóminis.

℟. Defecérunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut crémium aruérunt. * Tu autem, Dómine, idem ipse es, & anni tui non deficient. ℣. Quæ est vita nostra? vapor est ad módicum parens. * Tu autem. *Ps.* 101. *Jac.* 4.

LECTIO II.

Ex Enchirídio sancti Augustíni Epíscopi de Fide, Spe, & Caritáte. *Edit. Bened. Cap.* 109.

Neque negandum est Defunctórum ánimas pietáte suórum vivéntium relevári, cùm pro illis sacrifícium Mediatóris offertur vel eleemósynæ in Ecclésiâ fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm viverent, ut hæc sibi pósteà possent prodesse, meruérunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requírat ista post mortem; nec tam malus, ut non ei prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, ut ista non requírat; & est rursus talis in malo, ut nec his váleat, cùm ex hac vitâ transíerit, adjuvári. Quocirca hic omne méritum comparátur, quo possit post hanc vitam relevári quíspiam, vel gravári. Nemo se autem speret, quod hic negléxerit, cùm obíerit, apud Deum proméreri.

℟. Hi qui cum pietáte dormitiónem accepérunt, óptimam habent repósitam grátiam. * Sancta ergo & salúbris est cogitátio pro Defunctis exoráre, ut à peccátis solvantur. ℣. Ut-

niuscujusque opus quale sit, ignis probábit. * Sancta ergo. *II. Machab.* 12. *I. Cor.* 3.

LECTIO III.

Ex Epístolâ primâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 3.

FUndamentum áliud nemo potest pónere, præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædíficat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lápides pretiósos, ligna, fœnum, stípulam; uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Dómini declarábit, quia in igne revelábitur; & uniuscujusque opus quale sit, ignis probábit. Si cujus opus mánserit quod superædificávit, mercédem accípiet. Si cujus opus árserit, detrimentum patiétur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

℟. Líbera me, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua: secundùm multitúdinē miseratiónum tuárum réspice in me. * Inténde ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Deus, propítius esto mihi peccátori. * Inténde. *Ps.* 68. *Luc.* 18.

---

FERIA III. ET VI.

LECTIO I.

De Libro Job. *Cap.* 7.

PArce mihi, nihil enim sunt dies mei. Quid est [illegible], quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, & súbitò probas illum. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glútiam salívam meam? Peccávi; quid fáciam tibi, ô custos hóminum? Quare posuisti me contrárium tibi & factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitátem meam? Ecce nunc in púlvere dórmiam; & si manè me quæsíeris, non subsístam.

℟. Dies mei sicut umbra declinavérunt; & ego sicut fenum árui. * Tu autem, Dómine, in æternum pérmanes. ℣. Præcísa est velut à texente vita mea: de mane usque ad vésperam fínies me. * Tu autem. *Ps.* 101. *Isai.* 38.

LECTIO II.

Ex Homíliâ vigésimâ primâ sancti Joannis Chrysóstomi in Acta Apostolórum. *n.* 4. *Edit. Ben.*

NOn frustra oblatiónes pro Defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemósynæ. Hæc ómnia spíritus dispósuit volens, ut nos mútuò juvémus. Non frustra clamat Diáconus: Pro iis qui in Christo defuncti sunt & pro iis qui illórum memóriam fáciunt. Non Diáconus hanc emittit vocem;

sed spíritus; non sanctus dico, sed donum ejus. Quid dicis? In mánibus est hóstia, & ómnia paráta prostant. Adsunt Angeli, Archángeli; adest Filius Dei; cum tanto horróre adstant omnes, adstant illi clamantes ómnibus siléntibus, & putas hæc frustra fieri? Absit. Sed ómnia cum fide fiunt. Hæc cùm sciámus, considerémus quantas póssumus consolatiónes Defunctis conferre vice lacrymárum, vice flétuum, vice monumentórum; eleemósynas, nempe, oratiónes, oblatiónes; ut & illi & nos promissa consequámur bona.

℟. Dómine omnípotens, Deus Israel, ánima in angústiis, & spíritus ánxius clamat ad te: * Audi, Dómine, & miserére, quia Deus es miséricors. ℣. Occísus es, & redemisti nos in sánguine tuo. * Audi. *Baruch.* 3. *Apoc.* 5.

LECTIO III.

Ex Epístolâ secundâ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *Cap.* 5.

SCimus quóniam si terrestris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupientes; audentes ígitur semper, sciéntes quóniam dum sumus in córpore, peregrinámur à Dómino; per fidem enim ambulámus, & non per spéciem, audémus autem, & bonam voluntátem habémus magis peregrinári à córpore, & præséntes esse ad Dóminum. Et ídeo conténdimus, sive abséntes, sive præséntes, placére illi. Omnes enim nos manifestári opórtet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquísque própria córporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

℟. Líbera me, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua: & ne avertas fáciem tuam à púero tuo: * Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Salvátor ómnium hóminum, máximè fidélium. * Intende. *Ps.* 68. *I. Tim.* 4.

---

FERIA IV. ET SABBATO.

LECTIO I.

De Libro Job. *Cap.* 10.

TÆdet ánimam meam vitæ meæ: dimittam advérsùm me elóquium meum, loquar in amaritúdine ánimæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnáre; índica mihi cur me ita júdices? Numquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me, & ópprimas me opus mánuum tuárum, & consílium impiórum ádjuves?

Numquid óculi cárnei tibi ſunt, aut ſicut videt homo, & tu vidébis? Numquid ſicut dies hóminis dies tui, & anni tui ſicut humána ſunt témpora, ut quæras iniquitátem meam, & peccátum meum ſcrutéris? Et ſcias quia nihil ímpium fécerim, cùm ſit nemo qui de manu tuâ poſſit erúere.

℟. Non intres in judícium cum ſervo tuo, Dómine; quia * Non juſtificábitur in conſpectu tuo omnis vivens. ℣. Si juſtus vix ſalvábitur, ímpius & peccátor ubi parébunt? * Non. *Pſ.* 142. *I. Petr.* 4.

LECTIO II.

Ex Sermóne Sancti Auguſtíni Epíſcopi de Verbis Apóſtoli. *Serm.* 172. *Cap.* 2. *Edit. Bened.*

ORatiónibus ſáctæ Eccléſiæ, & ſacrificio ſalutári, & eleemóſynis quæ pro eórum ſpirítibus erogantur, non eſt dubitandum mórtuos adjuvári; ut cum eis misericórdiùs agátur à Dómino, quàm eórum peccáta meruérunt. Hoc enim à Pátribus tráditum; universa obſervat Eccléſia, ut pro eis qui in córporis & sánguinis Chriſti communióne defuncti ſunt, cùm ad ipſum ſacrifícium loco ſuo commemorantur, orétur; ac pro illis quoque id offerri commemorétur. Cùm eórum commendatórum causâ, ópera misericórdiæ celebrantur; quis eis dúbitet ſuffragári, pro quibus oratiónes Deo non inániter allegantur? Non omníno ambigendum eſt iſta prodeſſe defunctis; ſed tálibus, qui ita víxerint ante mortem, ut poſſint eis hæc utília eſſe poſt mortem.

℟. Qui dórmiunt in terræ púlvere * Evigilábunt; álii in vitam æternam, & álii in oppróbrium, ut vídeant ſemper. ℣. Omnes quidem reſurgémus; ſed non omnes immutábimur. * Evigilábunt. *Dan.* 12. *I. Cor.* 15.

LECTIO III.

Ex Epíſtolâ primâ beáti Pauli Apóſtoli ad Theſſalonicenſes. *Cap.* 4.

NOlumus vos ignoráre, fratres, de dormiéntibus; ut non contriſtémini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Si enim crédimus quòd Jeſus mórtuus eſt, & reſurrexit; ita & Deus eos qui dormiérunt per Jeſum, addúcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in Verbo Dómini, quia nos qui vívimus, qui resídui ſumus in adventum Dómini, non præveniémus eos, qui dormiérunt. Quóniam ipſe Dóminus in juſſu, & in voce Archángeli, & in tubâ Dei deſcendet de cœlo: & mórtui qui in Chriſto ſunt, reſurgent

primi. Deinde nos qui vívimus, qui relínquimur, simul rapiémur cum illis in núbibus óbviàm Christo in áera; & sic semper cum Dómino érimus. Itaque consolámini ínvicem in verbis istis.

℟. Líbera me, Dómine, quóniam benigna est misericórdia tua: quóniam tríbulor, velóciter exáudi me. * Intende ánimæ meæ, & líbera eam. ℣. Utique, Dómine, ego crédidi quia tu es Fílius Dei vivi. * Intende. *Ps.* 68. *Joan.* 11.

---

PSALMI PŒNITENTIÆ.

*Ps.* 6. Dómine, ne in furóre. *pag.* 55.

*Ps.* 31. Beáti quorum remissæ sunt. *pag.* 95.

*Ps.* 37. Dómine, ne in furóre. *pag.* 142.

*Ps.* 50. Miserére meî, Deus. *pag.* 162.

*Ps.* 101. Dómine, exaudi oratiónem meam. *pag.* 136.

*Ps.* 129. De profundis. *pag.* 96.

*Ps.* 142. Dómine, exaudi. . . . áuribus. *pag.* 72.

*Ant.* Dómine, memor esto meî, & ne vindíctam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delícta mea, vel parentum meórum. *Tob.* 3.

*LITANIÆ.*

Kyrie, eleéson; Christe, eleéson; Kyrie, eleéson.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserére nobis.
Fili Redéptor mundi Deus, Miserére nobis.
Spíritus Sancte Deus, Mis.
Sancta Trínitas unus Deus, Miserére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo Vírginũ, ora.
Sancte Míchael, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes sancti Angeli & Archángeli, oráte pro nobis.
Omnes sancti beatórum Spirítuum Ordines, oráte.
Sancte Joañes Baptista, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacóbe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacóbe, (*Zeb.*)
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Matthæe,
Sancte Simon,
Sancte Thaddæe,
Sancte Mathía,
Sancte Bárnaba,
Sancte Marce,
Sancte Luca,
(Ora pro nobis.)
Omnes sancti Apóstoli & Evangelistæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.

Omnes ſancti Innocentes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Symeon, ora.
Sancte Ignáti, ora.
Sancte Polycarpe, ora.
Sancti Gerváſi & Protáſi, oráte pro nobis.
Sancte Pothíne cum sóciis tuis, ora.
Sancte Irenæe cum sóciis tuis, ora.
Sancti Fabiáne & Sebaſtiáne, oráte.
Sancti Cornéli & Cypriáne, oráte pro nobis.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Mauríti cum sóciis tuis, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Coſma & Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Joannes & Paule, oráte pro nobis.
Sancte Fulgenti, ora.
Sancte Plácide cum sóciis tuis, ora.
Omnes ſancti Mártyres & Cõfeſſóres Chriſti, oráte.
Sancte Sylveſter, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Athánaſi, ora.
Sancte Báſili, ora.
Sancte Ambróſi, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Joannes Chryſóſtome, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Auguſtíne, ora.
Sancte Germáne, ora.
Sancte Leo, ora.
[illegible] ora.
[illegible] ora.
Sancte Vitóne, ora.
Sancte Cárole, ora.
Omnes ſancti Pontífices & Doctóres, oráte.
Sancte Lázare cum ſoróribus tuis, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Pater Benedicte, ora.
Sancte Maure, ora.
Sancte Bruno, ora.
Sancte Domínice, ora.
Sancte Franciſce, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Ludovíce, ora.
Omnes ſancti Sacerdótes & Levítæ oráte.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ oráte.
Sancta María Magdaléne, ora pro nobis.
Sanctæ Perpétua & Felícitas, oráte.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Anaſtáſia, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Mónica, ora.
Sancta Scholáſtica, ora.
Omnes ſanctæ Vírgines, oráte pro nobis.
Omnes ſanctæ Mulíeres & Víduæ oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro nobis.
Propítius eſto, Parce nobis, Dómine.
Propítius eſto, Exaudi nos, Dómine.
Ab omni malo, Líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.

Ab irâ tuâ, líbera.
A subitáneâ & improvisâ morte,
Ab insídiis diáboli,
Ab immundis cogitatiónibus,
A spíritu fornicatiónis,
Ab irâ, & ódio, & omni malâ voluntáte,
A fúlgure & tempestáte,
A morte perpétuâ,
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ,
Per Adventum tuum,
Per Nativitátem tuam,
Per Baptismum & sanctum Jejúnium tuum,
Per Crucem & Passiónem tuam,
Per Mortem & Sepultúram tuam,
Per sanctam Resurrectiónem tuam,
Per admirábilem Ascensiónem tuam,
Per adventum Spíritûs Sancti Paracléti,
In die judícii,

Líbera nos, Dómine.

Peccátores, Te rogámus, audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut remissiónem peccatórum nostrórum nobis dones, te.
Ut compunctiónem cordis, fontemque lacrymárum nobis dones, te.
Ut fidem, spem, & caritátem nobis dones, te.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere & conserváre dignéris, te.
Ut Domnum Apostólicum & omnes gradus Ecclésiæ in sanctâ Religióne conserváre dignéris, te.
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te.
Ut Regem nostrum custodíre dignéris, te.
Ut Régibus & Princípibus Christiánis pacem & veram concórdiam donáre dignéris, te.
Ut cuncto PópuloChristiáno pacem & unitátem largíri dignéris, te.
Ut nosmetipsos in tuo sancto servítio confortáre & conserváre dignéris, te.
Ut mentes nostras ad cœléstia desidéria érigas, te.
Ut ómnibus Benefactóribus nostris sempiterna bona retríbuas, te.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum, & benefactórũ nostrórum ab æternâ damnatióne erípias, te.
Ut fructus terræ dare & conserváre dignéris, te.
Ut ómnibus Fidélibus defunctis, réquiem æternam donáre dignéris, te.
Ut nos exaudíre dignéris, te.
Fili Dei, te rogámus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exaudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miserére nobis.

Christe, audi nos; Christe, exaudi nos.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Pater noster, *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem: ℟. Sed líbera nos à malo.

*Ps. 69.* Deus, in adjutórium. *pag.* 128.

℣. Dómine, non secundùm peccáta nostra fácias nobis; ℟. Neque secundùm iniquitátes nostras retríbuas nobis. *Ps.* 102.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101.

℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

COLLECTÆ. *Sacr. Leon. Gelas. Greg. & Alcuin.*

DEus, cui próprium est miseréri semper & párcere; súscipe deprecatiónem nostram, ut nos & omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constringit, miserátio tuæ pietátis clementer absolvat.

EXaudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis; ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benignus & pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam clementer osténde; ut simul nos & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis quas pro his merémur, erípias.

DEus, qui culpâ offénderis, pœniténtiâ placáris; preces pópuli tui supplicántis propítius réspice, & flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, averte.

OMnípotens, sempitérne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici nostro *N.* & dírige eum secundùm tuam cleméntiam in viam salútis ætérnæ; ut, te donante, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perfíciat.

OMnípotens, sempitérne Deus, cujus Spíritu totum corpus Ecclésiæ sanctificátur & régitur: exaudi nos pro universis Ordínibus supplicantes; ut grátiæ tuæ múnere, ab ómnibus tibi grádibus fidéliter serviátur.

QUæsumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus Rex noster *N.* qui tuâ miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decenter ornátus, vitiórum monstra devitáre, hostes superáre; & ad te, qui via, véritas & vita es, gratiósus váleat perveníre.

DEus, à quo sancta desidéria, recta consília, & justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut & corda nostra

mandátis tuis dédita, & hóstium sublátâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquilla.

URe igne sancti Spíritûs renes nostros & cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, adspirando præveni, & adjuvando proséquere; ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te semper finiátur.

FIdélium Deus ómnium Cónditor & Redemptor, animábus famulórum famularumque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur.

OMnípotens, sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul & mortuórum, omniumque miseréris, quos tuos fide & ópere futúros esse prænoscis; te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens séculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ, ómnium delictórum suórum véniam consequántur; Per Dóminum.

---

## BENEDICTIO MENSÆ.

ANTE PRANDIUM, *Superior incipit;* Benedícite, *Respondent alii:* Dóminus. *Deinde dicit* ℣. Oculi ómnium, *Alii prosequuntur:* In te sperant, Dómine; & tu das escam illórum in témpore opportúno. Aperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *Ps.* 144. ℣. Glória. ℟. Sicut erat. Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson. Pater noster. *secretò.* Et ne nos, &c.

*Posteà Superior dicit:* Orémus. *Sacr. Gelas.*

BEnedic, Dómine, dona ✠ tua quæ de tuâ largitáte sumus sumptúri: Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

*Deinde Lector:* Jube, Domne, benedícere. *Benedictio.* Mensæ cœlestis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

ANTE CŒNAM, *Superior benedicturus mensam, dicit,* Benedícite; *Respondent alii:* Dóminus. *Deinde Superior incipit*

℣. Edent páuperes, & saturabuntur; *Alii prosequuntur:* Et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum; vivent corda eórum in séculum séculi. *Ps.* 21. ℣. Glória Patri. ℟. Sicut erat. Kyrie, eleéson. &c. Pater noster. *secretò.* ℣. Et ne

nos. ℟. Sed líbera nos. Orémus. Bénedic, Dómine, *ut suprà ad Prandium.* ℣. Jube, Domne, benedícere. *Benedictio.* Ad cœnam vitæ ætérnæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

---

GRATIARUM ACTIO.

POST PRANDIUM. *Ad signum Superioris omnes surgunt. Superior incipit:*

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum, ℟. Miséricors & miserátor Dóminus; escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110. ℣. Glória Patri. ℣. Sicut erat, &c.

*Posteà Superior absolutè dicit:*

Agimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis tuis; Qui vivis & regnas in sécula seculórum. ℟. Amen.

*Deinde Psalm.* 50. Miserére. *pag.* 162. ℣. Glória Patri, &c. Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson. *Sacerdos dicit:* Pater noster. *secretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

*Deinde sine* Orémus.

RETribúere, dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen tuum, vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

POST CŒNAM. *Superior dicit:* Memóriam fecit mirabílium suórum, ℟. Miséricors & miserátor Dóminus: escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110. ℣. Glória Patri. ℣ Sicut erat.

*Superior dicit:* Benedíctus Deus in donis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis; qui vivit & regnat in sécula seculórum. ℟. Amen.

*Deinde dicitur Ps.* 116. Laudáte Dóminum, omnes gentes. *pag.* 154. *Reliqua ut suprà.*

*In Jejuniis*, AD REFECTIONEM., *fit Benedictio mensæ & gratiarum actio, ut notatum est pro Cænâ, excepto quòd loco Psalmi* Laudáte. *dicatur Psalm.* 50. Miserére.

*Prædictus modus benedicendi mensam, & agendi gratias servatur omni tempore, præterquàm in triduo ante Pascha.*

---

ITINERARIUM.

*Viator, in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quæ sequuntur in singulari; si cum sociis, in plurali ut sequitur.*

*Canticum*, Benedíctus Dóminus Deus Israel. *pag.* 18.

*Ant.* In viam pacis & prosperitátis dírigat nos

omnípotens & miséricors Dóminus; & Angelus Ráphael comitétur nobiscum in viâ, ut cum pace, salúte & gáudio revertámur ad própria.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson. Pater noster. *secretò usque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvos fac servos tuos, ℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto; ℟. Et de Sion tuére nos.

℣. Dómine, exaudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

COLLECTÆ. *Sacr. Gelas. &c.*

DEus, qui fílios Israel per maris médium sicco vestígio ire fecisti, quique Magis, iter ad te, stellâ duce, pandisti: tribue nobis, quæsumus, iter prósperum, tempusque tranquillum; ut, Angelo tuo sancto cómite, ad eum quò pergimus, ac demùm ad æternæ salútis portum pervenire féliciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum eductum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodisti; quæsumus, ut nos fámulos tuos custodíre dignéris: esto nobis, Dómine, in procinctu suffrágium, in viâ solátium, in æstu umbráculum, in plúviâ & frígore tegumentum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus; ut, te duce, quò téndimus, próspere perveniámus, & demùm incólumes ad própria redeámus.

ADesto, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris; & viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne: ut inter omnes viæ & vitæ hujus varietátes, tuo semper protegámur auxílio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat; & beáti Joannis præcursóris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit, secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. ℟. Amen.

℣. Procedámus in pace, ℟. In nómine Dómini. Amen.

---

PRÆPARATIO AD MISSAM.

*Ad libitum Sacerdotis.*

*Ps.* 83. Quàm dilecta. *pag.* 114.

*Ps.* 84. Benedixisti. *pag.* 66.

*Ps.* 85. Inclína, Dómine. *pag.* 163.

*Ps.* 115. Crédidi. *pag.* 118.

*Ps.* 129. De profundis. *pag.* 96.

*Ant.* Dómine, memor esto meî; & ne vindíctam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delícta mea. *Tob.* 3.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

Pater noster, &c. Et ne nos inducas, &c.

℣. Ego dixi: Dómine, miserére meî; ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 48.

℣. Convértere, Dómine; úsquequò? ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos; ℟. Quemádmodùm sperávimus in te. *Ps.* 32.

℣. Sacerdótes tui induantur justítiam, ℟. & Sancti tui exsultent. *Ps.* 131.

℣. Ab occultis meis munda me, Dómine; ℟. Et ab aliénis parce servo tuo. *Ps.* 18.

℣. Dómine, exaudi, &c. ℟. Et clamor, &c.

Orémus.

COLLECTA. *Sacr. Leon. &c.*

AUres tuæ pietátis, mitíssime Deus, inclína précibus nostris, & grátiâ Sancti Spíritûs illúmina cor nostrum; ut tuis mystériis dignè ministráre, teque æternâ caritáte dilígere mereámur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis volúntas lóquitur, & quem nullum latet secrétum; purífica per infusiónem Sancti Spíritûs cogitatiónes cordis nostri, ut te perfectè dilígere, & dignè laudáre mereámur.

URe igne Sancti Spíritûs renes nostros, & cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

MEntes nostras, quæsumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit, illúminet; & indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

ADsit nobis, quæsumus, Dómine, virtus Spíritûs Sancti; quæ & corda nostra clementer expurget, & ab ómnibus tueátur advérsis.

DEus, qui corda fidélium Sancti Spíritûs illustratióne docuísti; da nobis in eódem Spíritu recta sápere, & de ejus semper consolatióne gaudére.

COnsciéntias nostras, quæsumus, Dómine, visitando purífica; ut véniens Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus, parátam sibi in nobis invéniat mansiónem: Qui tecum vivit & regnat &c. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM.

*Ps.* 22. Dóminus regit me. *pag.* 115.

*Ps.* 33. Benedícam Dóminum. *pag.* 158.

*Ps.* 102. Bénedic, ánima mea, Dómino, & ómnia. *pag.* 117.

*Ant.* O quàm suávis est, Dómine, Spíritus tuus! qui ut dulcédinem tuam in fílios demonstráres, pane suavíssimo de cœlo præstito esurientes reples bonis, dívites dimittens inánes.

Kyrie, eleéson: Christe, eleéson: Kyrie, eleéson.

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors & miserátor Dóminus: ℟. Escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110.

℣. Quid est homo, quòd memor es ejus? ℟. Aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? *Ps.* 8.

℣. Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea; ℟. Et lábiis exsultatiónis laudábit os meum. *Ps.* 62.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis; ℟. Sed nómini tuo da glóriam. *Ps.* 113.

℣. Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secundùm verbum tuum in pace; ℟. Quia vidérunt óculi mei salutáre tuum. *Luc.* 2.

℣. Dómine, exaudi, &c.
℟. Et clamor, &c.

Orémus.

COLLECTÆ. *Sacr. Gelas. &c.*

VIsita, quæsumus, Dómine, famíliam tuam; & corda sacris dicáta mystériis pervígili tuére pietáte: ut remédia salútis ætérnæ, quæ, te miserante, percípiunt, te protegente custódiant.

MEnsa tua nos, Deus, à delectatiónibus terrénis expédiat; & cœléstibus semper ínstruat aliméntis.

COgnóscimus, Dómine, tuæ circa nos cleméntiæ largitátem; & ídeo fiduciálius implorámus, ut quos páscere non desístis imméritos, & dignè tibi servíre perfícias, & donis uberióribus prosequáris.

TUa nos, Dómine, medicinális operátio & à nostris perversitátibus expédiat; & tuis semper fáciat hærére mandátis.

MAjestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ne períre patiáris quibus tanta remédia providísti; sed cum divíni frequentatióne mystérii créscat nostræ salútis efféctus.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, adspirando præveni, & adjuvando proséquere; ut cun-

ctâ nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te semper finiátur.

ADjuvet nos grátia tua, omnípotens Deus; ut qui officium Sacerdotále suscépimus, digne ac devótè tibi in omni puritáte, & consciéntiâ bonâ famulári valeámus: & si non póssumus in tantâ innocéntiâ vitæ conversári, ut debémus; concéde nobis tamen digne flere mala quæ géssimus; & in spíritu humilitátis, ac bono voluntátis propósito, tibi ferventiùs de cætero desservíre: Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

---

ORDO ABSOLUTIONIS

*in Sacramento Pœnitentiæ tenendus.*

*Dicto à Pœnitente,* Bénedic mihi, Pater; quia peccávi; *Sacerdos subjungit:* Dóminus sit in corde tuo, & in lábiis tuis; ut váleas confitéri ómnia peccáta tua: In nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.

*Deinde Pœnitens dicit,* Confíteor, &c. *usque ad* meâ culpâ.

*Et post Confessionem reliqua prosequitur. Tum Sacerdos, injunctâ ei priùs, & ab eo acceptatâ salutari pœnitentiâ, primò dicit:* Misereátur tuî omnípotens Deus, & dimissis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. Amen.

Indulgéntiam, absolutiónem, ✠ & remissiónem peccatórum tuórum tríbuat tibi omnípotens & miséricors Dóminus. Amen.

*Deinde dexterâ versùs Pœnitentem elevatâ, dicit:*

DOminus noster Jesus Christus, qui est summus Póntifex, te absolvat; & ego autoritáte ipsíus te absolvo ab omni vínculo excommunicatiónis, (suspensiónis,) & interdicti, in quantum possum & tu índiges. *Deinde.* Ego te absolvo à peccátis tuis, in nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.

*Si Pœnitens sit laicus, omittitur verbum* (suspensiónis.)

*Deinde manum removens, subdit:*

PAssio Dómini nostri Jesu Christi, mérita beátæ Maríæ Vírginis, & ómnium Sanctórum, quidquid boni féceris, & mali sustinúeris, sint tibi in remissiónem peccatórum, augmentum grátiæ, & præmium vitæ ætérnæ. Amen.

*Urgente verò gravi necessitate, aut in periculo mortis, satis erit dicere:* Ego te absolvo ab ómnibus censúris & peccátis, in nómine Patris, ✠ & Fílii, & Spíritûs Sancti. Amen.

LITANIÆ
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI.

*Dominicâ, Fer. III. V. & VI. & in omnibus Solemnitatibus Domini, pridie & die.*

Kyrie, eleéſon.
Chriſte, eleéſon.
Kyrie, eleéſon.
Jeſu, audi nos.
Jeſu, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, Miſerére nobis.
Fili Redemptor mundi, Deus,
Spíritus Sancte, Deus,
Sancta Trínitas, unus Deus,
Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi,
Jeſu, Virtus & Sapiéntia Dei,
Jeſu, ſpéculum ſine máculâ majeſtátis Dei,
Jeſu, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terrâ,
Jeſu, in quo ſunt omnes theſauri ſapiéntiæ & ſciéntiæ Dei abſcónditi,
Jeſu, qui es ſuper ómnia Deus benedictus in sécula,
Jeſu, quem adórant Angeli,
Jeſu, cui omnes Prophétæ teſtimónium pérhibent,

Miſerére nobis.

Jeſu, Princeps regum terræ,
Jeſu, exſpectátio géntium,
Jeſu, Verbum caro factum,
Jeſu, qui veniſti ad nos juſtus, manſuétus & pauper,
Jeſu, Mediátor Dei & hóminum,
Jeſu, melióris teſtamenti ſponſor,
Jeſu, Oblátio munda, quæ in omni loco ſacrificátur & offertur,
Jeſu, Sacerdos in ætérnum,
Jeſu, Póntifex futurórum bonórum,
Jeſu, Rex & Salvátor noſter,
Jeſu, quem Advocátum habémus apud Patrem,
Jeſu, cauſa ſalútis ætérnæ,

Miſerére nobis.

Jeſu, auctor & conſummátor fidei,
Jeſu, petra & fundamentum Ecclésiæ,
Jeſu, Princeps paſtórum,
Jeſu, qui es Paſtor & Epíſcopus animárum noſtrárum,
Jeſu, bone Paſtor, dans ánimam tuam pro óvibus tuis,
Jeſu, Via, Véritas & Vita,
Jeſu, lux vera illúminans omnem hóminem,
Jeſu, Légifer noſter,
Jeſu, exemplar noſtrum,
Jeſu, theſaurus noſter,

Jesu, sapiéntia & justítia nostra,
Jesu, sanctificátio & redémptio nostra,
Jesu, qui fecisti nos regnum & sacerdótes Deo & Patri tuo,
Jesu, quem nosse, vívere est,
Jesu, cui servíre, regnáre est,
Jesu, cui glória & impérium,

Miserére nobis.

Propítius esto; Parce nobis, Jesu.
Propítius esto; Exaudi nos, Jesu.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut des servis tuis cor dócile,
Ut scribas legem tuam in córdibus nostris,
Ut casta elóquia tua sint castæ delíciæ nostræ,
Ut faciámus voluntátem tuam corde magno & ánimo volenti,
Ut primùm quærámus regnum Dei, & justítiam ejus,
Ut jugum tuum suáve super nos libenter tollámus,
Ut arctam viam quæ ducit ad vitam ingrediámur & persequámur,
Ut thesaurizémus nobis thesauros in cœlo,
Ut effundas super nos spíritum grátiæ & precum,
Ut mites simus & húmiles corde,

Te rogámus audi nos.

Ut secundùm vires nostras demus páuperi,
Ut diligámus inimícos & benefaciámus his qui odérunt nos,
Ut orémus pro persequéntibus & calumniántibus nos,
Ut in timóre Dómini declinémus ab omni malo,
Ut horæ mortis néscii, semper vígiles & paráti simus,
Ut custódias in æternùm hanc voluntátem cordis nostri,
Ut quod cœpisti in nobis, opus bonum perfícias,

Te rogámus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Exaudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Miserére nobis, Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.
℣. Ego in Dómino gaudébo: ℟. Et exsultábo in Deo Jesu meo. *Hab.* 3.

Orémus.

DOmine Jesu Christe, qui dixisti: Pétite, & accipiétis; quærite, & inveniétis; pulsáte, & aperiétur vobis; da quæsumus, nobis peténtibus diviníssimi tui amóris affectum; ut te toto corde, ore & ópere diligámus, & à tuâ nunquam laude cessémus: Qui vivis & regnas.

# LITANIÆ
## BEATÆ
## MARIÆ VIRGINIS.

*Fer. II. IV. & Sabbato; & in omnibus Festivitatibus beatæ Mariæ, pridie & die.*

KYrie, eleéson; Christe, eleéson; Kyrie, eleéson.
Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, Miserére nobis.
Fili Redemptor mundi, Deus, Miserére nobis.
Spíritus Sancte, Deus, Miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, Miserére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Fília David,
Lætítia Israel,
Glória Jerúsalem,
Honorificéntia pópuli tui,
Pátribus promissa,
Prophétis nunciáta,
Quæ caput serpentis Filii tui virtúte contrivisti,
Justo Joseph desponsáta,
Virgo perpétua,
Quæ grátiam apud Deũ invenisti,
Ad quam Gábriel Angelus à Deo missus est,
Grátiâ plena,
Inter mulíeres benedicta,
Quæ te ancillam Dómini professa es,
Cujus humilitátem Deus respexit,

*Ora pro nobis.*

In quam Spíritus Sanctus supervénit,
Cui virtus Altíssimi obumbrávit,
Quæ cognátam tuam Elísabeth visitasti,
Cujus Fílius Joannem in sinu matris ejus sanctificávit,
Mater Dei, quæ Cæsaris edicto obtemperasti,
Quæ peregrína & pauper Fílium tuum primogénitum peperisti,
De quâ Jesus Altíssimi Fílius natus est,
Quæ Fílium tuum in præsépio reclinasti,
Quæ Pastóres & Magos venientes adoráre Dóminum vidisti,
Mater Dei, quæ legi purificatiónis te sponte subjecisti,
Quæ Jesum in Jerúsalem, ut sísteres eum Dómino, tulisti,
Quæ cum Fílio in Ægyptum fugisti,
Quæ dolens Jesum tríduo quæsisti,
Quæ gaudens Jesum in templo invenisti,
Cui Jesus infans súbditus erat,
Quæ super deficiente vino in Canâ miserta es,
Quæ perfectam super cunctis Fílii tui verbis obediéntiam commendasti,
Quæ juxta crucem Fílii tui stetisti,

*Ora pro nobis.*

Cujus ánimam dolóris gládius pertransívit,
Quam Jesus in cruce, discípuli quem diligébat matrem constítuit,
Cui Jesus móriens, Joannem in fílium commendávit,
Quæ post ascensiónem Fílii tui cum Apóstolis unanímiter in oratióne perseverasti,
Cui fecit magna, qui potens est,
Quam beátam omnes generatiónes dicent,

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Parce nobis, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Exaudi nos, Dómine.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; Miserére nobis.

Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

℣. Beáta es, María, quæ credidisti: ℟. Perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1.

Orémus.

Cordibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam, benignus infunde; & intercedente sanctíssimâ Dei Genitríce Maríâ, córpora nostra castitáte, nostrasque mentes humilitáte & caritáte sanctífica: Per eumdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

*FINIS.*

# ORDO
## COMMENDATIONIS ANIMÆ
### ANTE DECESSUM.

*Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.*

KYrie, eleéson. Christe, eleéson. Kyrie, eleéson.
Pater de cœlis, Deus; Miserére ei.
Fili Redemptor mundi, Deus, miserére ei.
Spíritus Sancte, Deus; miserére ei.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére ei.
Sancta María, Ora pro eo (*vel* ea.)
Omnes sancti Angeli, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Justórum, ora pro eo (*vel* ea.)
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joannes Baptista, ora pro eo (*vel* ea.)
Omnes sancti Patriarchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Joannes, ora.
Omnes sancti Apóstoli & Evangelistæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocentes, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Diónysi cum sóciis tuis, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Pater Benedicte, ora.
Sancte Maure, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes sancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléne, ora pro eo (*vel* ea.)
Sancta Thecla, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Scholástica, ora.
Omnes sanctæ Vírgines, oráte pro eo (*vel* ea.)
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercédite pro eo (*vel* ea.)
Propítius esto, Parce ei, Dómine.
Propítius esto, Adjuva eum, (*vel* eam) Dómine.
Propítius esto, Líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.
Ab ira tua, líbera.
A mala morte, líbera.
A potestáte diáboli, líbera.
A pœnis inferni, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.

Per crucem & passiónem tuam, líbera.
Per Labóres tuos, líbera.
Per sanctam Agóniam tuã, líbera eum, (*vel* eam,) Dómine.
Per Angústias cordis tui in Cruce, cùm te à Patre derelictum clamasti, líb.
Per mortem & sepultúram tuam, líbera.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritûs Sancti paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, te.
Ut moriátur morte Justórum, te.
Ut, destructâ terrestri hujus habitatiónis domo, domum non manufactam hábeat in cœlis, te.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére ei.
Kyrie, eleéson. Christe, eleéson. Kyrie eleéson.

*Deinde, cùm in agone sui exitûs anxiatur anima, dicitur:*

PRoficíscere, ánima christiána, de hoc mundo, In nómine Dei Patris omnipotentis, qui te creávit; In nómine Jesu Christi Filii Dei vivi, qui pro te passus est; In nómine Spíritûs sancti, qui in te effúsus est. Egredienti de córpore áditus tibi páteat ad Sion montem, civitátem Dei viventis, Jerúsalem cœlestem, & multórum Angelórum frequéntiam, & Ecclésiam primitivórum qui conscripti sunt in cœlis. Exurgat Deus, & dissipentur omnes potestátes tenebrárum; fúgiant cuncta spirituália nequítiæ in cœléstibus, & ovem pretióso Christi sánguine redemptam violáre non áudeant. Líberet te à cruciátu Christus, qui pro te crucifixus est. Líberet te ab æternâ morte Christus, qui pro te mori dignátus est: ovem suam te bonus pastor agnoscat, atque in electórum suórum grege constítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas; & præsens semper assistens manifestíssimam beátis óculis aspícias Veritátem in sécula seculórum. ℟. Amen.

COmmendámus tibi, Dómine, ánimam fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ]; precamurque te, Dómine Jesu Christe, Salvátor mundi, ut, propter quam ad terram misericórditer descendisti, eam in pace suscípias, & in sinu Abrahæ per manus sanctórum Angelórum collocáre dignéris. Agnosce, Dómine Jesu, creatúram tuam, per te renátam ex aquâ & Spíritu sancto, consecrátam signo crucis tuæ, nutrítam

córpore & sánguine tuo, & in Ecclésiæ tuæ sinu verbo veritátis instructam. Ne péreat prétium quod pro ejus æternâ redemptióne persolvisti. Delicta juventútis ejus & ignorántias clementer indulge. Ne memíneris iniquitátum ejus antiquárum, quas suscitávit furor mali desidérii: sed memento miseratiónum tuárum, & glóriæ nóminis tui. Licèt enim peccáverit, tamen in te sperávit & crédidit, teque Deũ & Salvatórem suum unà cum Patre & Spíritu sancto fidéliter adorávit.

℟. Amen.

*Ps.* 3. Dómine, quid multiplicáti sunt, *pag.* 1.

Kyrie, eleéson. Christe, eleéson. Kyrie, eleéson.

Pater. ℣. Et ne nos, &c.

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Salvum me fac, Deus; ℟. Quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam. *Ps.* 68.

℣. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaudi me, ℟. In veritáte salútis tuæ. *Ps.* 68.

℣. Eripe me de luto, ut non infigar: ℟. Líbera me ab iis qui odérunt me, & de profundis aquárum. *Ps.* 68.

℣. Non me demergat tempestas aquæ, neque absórbeat me profundum: ℟. Neque úrgeat super me púteus os suum. *Ps.* 68.

℣. Exurge in adjutórium mihi: ℟. Dic ánimæ meæ, Salus tua ego sum. *Ps.* 34.

℣. Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundantur; ℟. Quóniam tu, Dómine, adjuvisti me, & consolátus es me. *Ps.* 85.

Orémus.

UNigénite & dilecte Fili Dei vivi, qui pro redemptióne mundi voluisti in præsépio nasci, à Judæis reprobári, à Juda proditóre ósculo tradi, vínculis alligári, sicut agnus ad víctimam duci, flagellis & cólaphis cædi, sputis fœdári, spinis coronári, cruci affigi, cum sceleràtis deputári, & inter acerbíssimos dolóres expiráre: quæsumus, ut per has sanctíssimas pœnas tuas, & per crucem ac mortem tuam, liberáre dignéris fámulum tuum *N.* [ *vel* fámulam tuam *N.* ] à pœnis inferni, & perdúcere quò perduxisti latrónem tecum crucifixum; Qui cum Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus. ℟. Amen.

*Posteà legitur de Passione Domini nostri Jesu Christi.* (Ex Matth. Marc. Luc.)

ASsúmit Jesus Petrum, & Jacóbum, & Joannem secum; & cœpit pavére, & tædére, contristári, & mœstus esse. Tunc ait illis: Tristis est ánima mea

usque ad mortem ; sustinéte hîc, & vigiláte mecum. Et progressus pusillùm, pósitis génibus, orábat dicens : Pater, si vis, transfer cálicem istum à me : verúmtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Appáruit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et prócidit super terram in fáciem suam, orans ; & factus in agóniâ, prolíxiùs orábat, ut si fieri posset, transíret ab eo hora. Et dixit : Abba, Pater, si possíbile est, tránseat à me calix iste : ómnia tibi possibília sunt ; transfer cálicem hunc à me : sed non quod ego volo, sed quod tu. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sánguinis decurrentis in terram.

*Ps.* 69. Deus, in adjutórium meum intende. *pag.* 128.

℣. Exaudi, Deus, oratiónem meam, & ne despéxeris deprecatiónem meã : ℟. Intende mihi, & exaudi me. *Ps.* 54.

℣. Cor meum conturbátum est in me : ℟. Et formído mortis cécidit super me. *Ps.* 54.

℣. Timor & tremor venérunt super me : ℟. Et contexérunt me ténebræ. *Ps.* 54.

℣. Ego autem in te sperávi, Dómine ; ℟. Dixi : Deus meus es tu ; in mánibus tuis fortes meæ. *Ps.* 30.

℣. Illúmina óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte ; ℟. Nequando dicat inimícus meus : Præválui adversùs eum. *Ps.* 12.

℣. Custódi ánimam meam, & érue me : ℟. Non erubescam ; quóniam sperávi in te. *Ps.* 24.

Orémus.

DOmine Jesu Christe, cleméntiam tuam humíliter implorámus, per illam ánimæ tuæ tristítiam usque ad mortem, & per agóniam quam, instante passióne, pertulisti, quando factus est sudor tuus sicut guttæ sánguinis decurrentis in terram : succurre fámulo tuo, [ *vel* fámulæ tuæ ] in agóne mortis constitúto [ *vel* constitútæ ] : tuére eum [ *vel* eam ] in hac hora contra diabólicos incursus : líbera eum [ *vel* eam ] à mortis imminentis terróribus, & de peccatórum suórum consciéntiâ formidantem, fac eum [ *vel* eam ] de misericórdiæ tuæ immensâ largitáte secúrum [ *vel* secúram ] : Qui vivis & regnas Deus. ℟. Amen.

*Ps.* 141. Voce meâ ad Dóminum clamávi, voce meâ. *pag.* 97.

℣. Vide, Dómine, humilitátem meam & labórem meum : ℟. Et dimitte universa delicta mea. *Ps.* 24.

℣. Dómine Deus miserátor & miséricors, pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax; ℟. Réspice in me, & miserére meî. *Ps.* 85.

℣. Ne derelinquas me, Dómine Deus meus: ℟. Ne discésseris à me. *Ps.* 37.

℣. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? ℟. Et volábo & requiescam. *Ps.* 54.

℣. Moriátur ánima mea morte Justórum: ℟. Et fiant novíssima mea horum simília. *Num.* 23.

Orémus.

DOmine Jesu Christe, qui per os Prophétæ dixisti: In caritáte perpétuâ dilexi te; ídeò attraxi te, míserans: te súpplices deprecámur, per istam caritátem quâ dilexisti nos, ut omnes amaritúdines passiónum tuárum, quas pro nobis peccatóribus sustinuisti in cruce, offerre & osténdere dignéris Deo Patri pro ánimâ fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] in hac horâ éxitûs ejus; quátenùs cum ipsâ misericórdiùs agátur, quàm ejus peccáta meruérunt: Qui cum eódem Deo Patre & Spíritu sancto vivis & regnas Deus.

℟. Amen.

*Finitis Psalmis & Orationibus (vel etiam antequam finiantur,) si instet momentum exitûs animæ de corpore, legitur super moribundum quod sequitur de Passione Domini nostri Jesu Christi.* (Ex Matth. Luc. Joann.)

TEnebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam, & obscurátus est sol. Et circa horam nonam clamávit Jesus voce magnâ, dicens: Eli, Eli, lamma sabacthání? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Pósteà, sciens Jesus quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sitio. Vas ergo erat pósitum acéto plenum. Et contínuò currens unus ex eis, acceptam spóngiam implévit acéto, & impósuit arúndini; & dabat ei bíbere. Cùm ergo accepisset Jesus acétum, dixit: Consummátum est. Et íterùm clamans voce magnâ, ait: Pater, in manus tuas commendo spíritum meũ. Et hæc dicens, inclináto cápite, trádidit spíritum.

Orémus.

MEmor esto, piíssime Dómine Jesu, illíus horæ in quâ de cruce pendens, clamasti voce magnâ: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? & íterùm: Pater in manus tuas commendo spíritum meum; & hæc dicens expirasti. Per istam ergo pretiosíssimam mortem quæ vita nostra fuit, obse-

crámus cleméntiam tuam, ut non derelinquas in hâc horâ fámulum tuum [*vel* fámulam tuam] cujus præter te nullus est auxiliátor álius; sed suscípere dignéris, spíritum ejus, & introdúcere in regnum tuum, ubi te, cum Deo Patre & Spíritu sancto, perpétuâ caritáte díligat, & cum sanctis & electis in ætérnum cantet misericórdias tuas. ℟. Amen.

[*Finitâ præcedenti Oratione, & egressâ animâ, statim dicitur* ℟. In te, Dómine, sperávi. *cum versibus & Oratione, ut infrà.*]

*Si autem adhuc anxiatur anima, recitantur sequentes Psalmi, vel eorum pars, prout necesse erit.*

*Ps.* 21. Deus, Deus meus, réspice in me. *pag.* 137.

*Ps.* 34. Júdica, Dómine, nocentes me. *pag.* 77.

*Ps.* 53. Deus, in nómine tuo. *pag.* 71.

*Ps.* 56. Miserére meî, Deus. . . . . quóniam in te confídit. *pag.* 95.

*Ps.* 70. In te, Dómine, sperávi. *pag.* 129.

*Ps.* 85. Inclína, Dómine, aurem tuam. *pag.* 163.

*Ps.* 87. Dómine Deus salútis. *pag.* 155.

*Ps.* 90. Qui hábitat in adjutório. *pag.* 32.

*Ps.* 138. Dómine, probasti me. *pag.* 139.

*Egressâ autem animâ, dicitur:* ℟. In te, Dómine, sperávi; non confundar in ætérnum: accélera ut éruas me: in manus tuas commendo spíritum meum: * Redemisti me, Dómine Deus veritátis: illustra fáciem tuam super servum tuum [*vel* ancillam tuam]; salvum [*vel* salvam] me fac in misericórdiâ tuâ. ℣. Dómine Jesu, súscipe spíritum meum: * Redemisti me. *Ps.* 30. *Act.* 7.

Kyrie, eleéson. Christe, eleéson. Kyrie, eleéson. *Secretò*, Pater. *Altâ voce,* ℣. Et ne nos, &c. ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum servo tuo [*vel* ancillâ tuâ,] Dómine; ℟. Quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confitentes tibi: ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. *Ps.* 73.

℣. Dómine, exaudi, &c.

℣. Dóminus vobiscum, &c.

Orémus.

Tibi, Dómine, commendámus ánimam fámuli tui [*vel* fámulæ tuæ] *N.* ut defunctus

[ *vel* defunćta ] século, tibi vivat : & quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu, véniâ misericordíssimæ pietátis absterge; Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

## ADDENDA IN HYMNIS

*In Festivitate sancti Augustini, Episcopi, 28 Augusti, ad II. Vesperas, pag. 576.*

HYMNUS.
*Voiſ. Presb. Orat.*

AUGUSTINE, modum pone labóribus,
Maturusque Deo, sídera tránsvola :
Nunc æterna vocat te Superûm quies
Tantis débita præliis.

Ergo perpetuis ébrius háustibus,
Largo plena bibes gáudia flúmine;
Prælibáre leves quo tibi güttulas
Olim cœlitùs est datũ.

Psalmos, dùm medio fúneris in sinu,
Pendentes meditans párjete, dúlcibus
Indulges lacrymis, quàm bene pœnitens,
Ex hâc nos cathedrâ doces!

Mortem, quò superis tu propior gregi
Succurras meliùs, sponte vocas; adest:
Abjećto levior póndere, cœlitum
Mens ascendit ovans domos.

Non omnis raperis, múltaque pars tuî
Scriptis vivit adhuc : néscia fúneris :
Scriptis vivis adhuc, vix oritur, tuis
Jam telis jacet hæresis.

Sit laus summa Patri, súmmaque Filio;
Sit par, sanćte, tibi glória Spíritus,
Per quem, vita piis plena labóribus,
Sanćto fúnere cláuditur. Amen.

## IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

HYMNI ALII.

*Ad I. Vesperas, pag.* lxxxvij.

HYMNUS. *Brev. Clun.*

QUisquis, ô! sacram properas ad ædem,
Dirigat gressus pietas, fidesque;
Regis hæc regum Domus, & Tonantis
Altera sedes.

Cujus in cœlo thronus est perennis,
Parva vult terris habitáre tećta;

Incapax claudi, latet hoſpes arcto
Clauſus in orbe.
Non malos ultor venit inter ignes,
Non nigrâ nimbi tonat è procellâ:
Nec minùs credas placido verenda
Númine templa.
Quid vetus fluxit cruor hoſtiárum?
Priſtinæ ceſſent holocauſta Legis,
Ipſe libámen Deus & Sacerdos,
Se litat aris.
Quid venis audax? procul hinc profánus;
Sancta nî fletûs lavet unda crimen.
Munda quàm multis jubet eſſe mundum
Vócibus ædes!
Quæ tibi fumant, Deus alme, templis,
Thura, jucundo placeant odóre;
Et pluant pingues reſolúta lætis
Núbibus imbres.
Amen.

*Ad Horas, & per Octavam Dedicationis, ſequens dicitur.*

DOXOLOGIA.

Qui templa Sancti Spíritûs,
Chriſti redemptos ſánguine,
Nos éfficit, Deo Patri
Sit laus per omne séculum.
Amen.

*Ad I. & II. Veſperas diei Octavæ Dedicationis, pag. cv & cxiij.*

HYMNUS.

*Brev. San-Viton.*

Urbs beáta, vera pacis
Víſio, Jerúſalem,
Quanta ſurgit! celſa ſaxis
Cónditur vivéntibus:
Quæ polívit, hæc coaptat
Sédibus ſuis Deus.
Síngulis ex margarítis
Síngulæ portæ nitent;
Murus omnis fulget auro,
Fulget uniónibus;
Anguláris petra Chriſtus
Fundat urbis mœnia.
Ejus eſt ſol cæſus Agnus;
Ejus eſt templum Deus:
Æmulantes hìc beáti
Purióres ſpíritus
Laude jugi Numen unum,
Terque Sanctum cóncinunt.
Undequâque ſunt aperta
Civitátis óſtia:
Quiſquis ambit huc veníre,
Inſeríque mœnibus,
Antè, duris hìc probári
Débuit labóribus.
Sit perennis laus Parenti,
Sit perennis Fílio:
Laus tibi, qui nectis ambos,
Sit perennis, Spíritus,
Chriſma cujus nos inungens,
Viva templa cónſecrat.
Amen.

# INDEX
## PSALMORUM.

---

INDEX CANTICORUM PSALTERII.



*FINIS.*

